HISTORIA
ECCLESIASTICA

PER ANNOS DIGESTA

VARIISQUE OBSERVATIONIBUS ILLUSTRATA

AUCTORE

GASPARE SACCARELLO

TAURINENSI

CONGREGATIONIS ORATORII ROMANI PRESBYTERO

TOMUS VIGESIMUS SECUNDUS

AB ANNO JESU CHRISTI 1074. USQUE AD AN. 1100.

ROMÆ MDCCXCII.

EX TYPOGRAPHIA PAULI JUNCHI.

SUPERIORIBUS ADPROBANTIBUS.

ADPROBATIONES.

VOlumen XXII. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ per annos digeſtæ, variiſque obſervationibus illuſtratæ a V. Cl. Gaſpare Saccarello Congregationis Oratorii Rom. Presbytero, nihil, quantum equidem adſequi legendo potui, quod Catholicæ fidei, boniſque moribus adverſetur inveni; quare typis editum vulgari poterit.

Romæ Nonas Junii 1792.

Joſeph Reggi Canonicus
Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus.

JUbente Reverendiſſimo Patre Thoma Mamachio S. Palatii Apoſtolici Magiſtro legi, & Vigeſimumſecundum Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Volumen a Cl. P. Gaſpare Saccarello Congregationis Oratorii Presbytero conſcriptum, idemque de eo, ac de præcedentibus judicium fero.

Joſeph Theoli S. Theologiæ Doctor.

IMPRI-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

Franc. Xav. Passari. Archiep. Larissen. Vicesg.

IMPRIMATUR,

Fr. Thomas Maria Mamachius Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.

HISTORIA ECCLESIASTICA

JESU CHRISTI AN. 1074. GREGORII SEPTIMI PAPÆ AN. 2. MICHABLIS DUCÆ IMP. AN. 4.

IN Petri cathedra anno proximo, toto plaudente orbe, electus, & ordinatus Gregorius septimus, ut in fine præcedentis voluminis demonstravimus, in ejusdem præclare gestis enarrandis, hoc alterum initium, & progressum habebit. Quare hujus anni initio concilium, ex Episcopis Italiæ in prima quadragesimæ hebdomada celebrandum indixit, ut ex ejusdem epistola ad Epiſcopos suffraganeos Mediolanensis Ecclesiæ data constat. *Non incognitum vobis esse credimus*, ait, *in Romana ecclesia jamdudum constitutum esse, ut per singulos annos ad decorem, & utilitatem sanctæ ecclesiæ generale concilium apud sedem apostolicam sit tenendum. Nos itaque hujus celebritatis hoc in tempore causam valde necessariam considerantes, in prima hebdomada quadragesimæ synodum, annuente Deo, Romæ celebrare dispositimus. Ad quam omnes vos, & apostolica auctoritate præsentium vestram exhibere commonemus, atque præcipimus; quatenus una vobiscum, & cum alia frequentia vestri ordinis, officii nostri debitam solicitudinem in divinis, & ecclesiasticis cunctis, suffragante superna clementia, commode, ac reverenter, exercere valeamus &c.*

JESU CHR. AN. 1074. Gregorius concilium Romæ celebrat.

Lib. 1. epist. 43.

Concil. tom. 10 pag. 39.

JESU CHR. AN. 1074. Rom. Synodus Simoniacos, & concubinarios Sacerdotes, vel Episcopos damnat.

Apud Murat. tom. 3. rer. ital. pag. 324.

2. Ad synodum itaque convenientes Episcopi, *in qua Guibertus Ravennas Episcopus sedit, & innumerabilis multitudo Episcoporum ex provinciis diversis congregata*, ait Bonizo pag. 811. Gregorius Papa Simoniacam labem, & Sacerdotum incontinentiam, quæ tunc ecclesiam Dei turpiter fœdabant, totis viribus extirpare conatus est, ut idem Gregorius in epistola ad Ottonem Constantiensem a Berviedensi in ejus vita relata, his verbis narrat. *Instantia nunciorum tuorum festinanter redire volentium non permisit nos fraternitati tuæ, quæ in Romana synodo constituta sunt, seriatim intimare. Hæc tamen necessario tibi scribenda fore arbitrati sumus, nos juxta auctoritatem sanctorum Patrum in eadem Synodo sententiam dedisse: Ut hi, qui per simoniacam hæresim, hoc est interventu pecuniæ, ad aliquem sacrorum ordinum gradum, & officium promoti sunt, nullam in sancta Ecclesia ulterius ministrandi locum habeant. Illi quoque, qui Ecclesias datione pecuniæ obtinent, omnino eas perdant: nec deinceps vendere, vel emere alicui liceat. Sed nec illi, qui in crimine fornicationis jacent, Missas celebrare, aut secundum inferiores Ordines ministrare Altari debeant. Statuimus etiam, ut si ipsi contemptores fuerint nostrarum, immo sanctorum Patrum Constitutionum, populus nullo modo eorum officia recipiat: ut, qui pro amore Dei, & officii dignitate non corriguntur, verecundia seculi, & objurgatione populi resipiscant. Studeat igitur fraternitas tua se in his nobis cooperatorem exhibere, sic crimina ista de Ecclesiis suis radicitus evellere, quatenus boni pastoris meritum apud Deum valeat obtinere, & Romana Ecclesia de te, sicut de carissimo fratre, & studioso cooperatore gaudere debeat.*

Simoniaci, & Concubinarii clerici adversus decretum Roman. synodi tumultuantur.

3. Utraque tamen labes, simonia scilicet & mœchia, tam altas adeo radices ubique fixerat, ac in pravam consuetudinem adeo increbuerat, ut cum eam tamquam zizaniam ex agro Dominico evellere Gregorius tentaverit, adversarios & refractarios concubinarios, seu conjugatos clericos habuerit, tamquam si quid novum, & supra humanas vires imperasset. Hinc Lambertus Schafnaburgensis, in chronico. *Adversus hoc decretum protinus vehementer infremuit tota factio clericorum, hominem plane hæreticum & vesani dogmatis esse clamitans, qui oblitus sermonis Domini quo ait: Non omnes capiunt hoc verbum, qui potest capere, capiat. Et Apostolus:*

Qui

Qui se non continet, nubat; melius est enim nubere, quam uri: violenta exactione, homines vivere cogeret ritu Angelorum, & dum consuetum cursum naturæ negaret, fornicationi & immundiciei fræna laxaret. Quod si pergeret sententiam confirmare, malle se sacerdotium, quam conjugium deserere, & tunc visurum eum, cui homines sorderent, unde gubernandis per Ecclesiam Dei plebibus, Angelos comparaturus esset. Vide, & deplora miserandum hujus ævi, ecclesiarum fere omnium statum, cum id quod ab nascentis ecclesiæ exordio, continuaque traditione, ac repetitis ecclesiæ legibus statutum firmatumque fuerat, tunc impossibile, & supra humanas vires videretur. JESU CHR. AN. 1074.

4. Non is tamen erat Gregorius, qui Simoniacorum, aut concubinariorum Sacerdotum quærelis, aut turbis ab suscepto proposito dimoveretur. Unde idem Lambertus subdit. *Nihilhominus ille instabat, & assiduis legationibus Episcopos omnes socordiæ ac desidiæ arguebat, & nisi ocius negotium sibi injunctum exequerentur, Apostolica se censura prædicundum susciperet, & firmiter tenendam Episcopali vigilantia inculcaret &c.* Hæc cum peragere neglexisset, subdit Pontifex. *Molestе ferentes secundam ei scripsimus epistolam, indignationis ei nostræ motus ostendentes, & idem præceptum iterato acrius inculcantes, tum etiam ipsum ad Synodum Romanam, quæ prima proximæ Quadragesimæ hebdomadu futura est, advocavimus, ut pro se rationem reddat, & inobedientiæ causas, si rationabiles habuerit, in audientium totius conventus exponat. Hæc ideo fratres carissimi vobis innotescimus, ut animæ vestræ saluti consulamus, &c.* Quos ideo admonet, ne ullam ei, utpote Apostolicæ sedis præceptis, contumaci obedientiam, aut reverentiam deferrent, atque epistola altera ad omnes clericos, & laicos in Regno Theutonico constitutos, idem præcepit. Gregorius Papa decreti Synodalis executionem urget.

5. Ut autem facilius voti sui compos fieret, præcipuos in Germania Principes, ut tantum a se susceptum opus adjuvarent, litteris suis hortatus est, Rodulphum scilicet Sveviæ ducem, & Adalbertum, ejusdemque conjugem. *Quapropter ad te*, ait Gregorius, *& ad te omnes, de quorum fide & devotione confidimus, nunc convertimur, rogantes vos, & Apostolica auctoritate admonentes, ut quidquid Episcopi debinc loquantur, aut taceant, vos officium eorum, quos aut Simoniace promo-* Aliæ Gregorii epist. in eam rem ad Principes datæ.

JESU CHR. AN. 1074.

tos, & ordinatos, aut in crimine fornicationis jacentes cognoveritis, nullatenus recipiatis, & hæc eadem adstricti per obedientiam, tam in Curia Regis, quam per alia loca, & conventus Regni notificantes aut persuadentes, quantum potestis, tales Sacrosanctis deservire mysteriis, etiam vi, si oportuerit, prohibeatis. Romæ data tertio idus Januarii indict. 13. in altera vero, septimo Kal. Novemb. ejusdem indictionis. *Gratias Deo referimus*, ait, *quod & laici, & mulieres ad Dominum mentes erigunt, & ad cultum religionis libenter intellectu capiunt, & tenere contendunt. Nam illi, qui propter lucrandas animas Episcopi vocati & constituti sunt, & subditos suos verbo, & exemplo viam veritatis docere debebant, his temporibus seducti a diabolo, non solum legem Dei deserunt, sed impugnare, & omni conatu subvertere, non desistunt. Quo minus mirandum est, si ipsi inferiores ordines a delicto non prohibent, quorum aut ordinatio fuit hæretica, aut vita omni immunditia, & facinoribus cooperta, qui dum in semetipsis propria scelera nec corrigunt nec attendunt, subditorum quoque crimina, aut per negligentiam aut timore propriæ conscientiæ portant.* Et ut Apostolicæ sedis præcepta firmiter tenerent, hortatur. Nec frustra tantam in extirpanda simonia & in clero incontinentia sollicitudinem gessisse, constantiamque adhibuisse, dicenda inferius probabunt, ac exemplum Hermanni Bambergensis Episcopi ab auctore vitæ Gregorii supracitato adductum confirmat, nam is ab clero suo apud Pontificem tamquam simoniacus accusatus, iter in urbem aggressus est, secum pecuniam multam, vestimentorumque copiam deferens, *Apostolicum rigorem muneribus emolliri posse sperans*, & urbi appropians, Hermannum Metensis ecclesiæ Episcopum, & Apostolicæ sedis legatum, quem fortuito in itinere socium habuit, ut præiret, ac benevolum sibi Pontificem munerum exhibitione redderet, rogavit. At vix Metensis Episcopus hæc expositi, cum Spiritu Sancto inflammatus Gregorius respondit. *Fac eum, si aliquam fidelium communionem velit obtinere in partes suas redire, & monasticæ regulæ districtum jugum poenitendo subire, quoniam propitius sit mihi Deus, si domum istam mihi impleret auro & argento, numquam me consentiente, Episcopali fungetur officio. Hoc itaque modo & iste Simoniacus submotus est a Sacerdotio*, ait is auctor.

Greg. vita cap. 43. Murat. ut supra.

6. Gre-

JESU CHR. AN. 1074.

6. Gregorii tamen, seu Romanæ synodi decreta, Episcopi passim Germaniæ Italiæ, & Galliarum exequi recusarunt, quin in perversum sensum interpretari conati sunt, præcipue Gregorium reprehendentes, eo quod, jussisset, ne laici officiis Sacerdotum Simoniacorum, aut concubinantium interessent, quasi nulla in iis Sacramentorum conficiendorum potestas remaneret. Unde Sigebertus, qui hoc tempore vivebat, partibus Henricianis addictus in chronico ad hunc annum hæc adnotat. *Gregorius Papa celebrata synodo Simoniacos anathematizavit, uxoratos Sacerdotes a divino officio removit, & laicis Missam eorum audire interdixit, novo exemplo, & (ut multis visum est) inconsiderato præjudicio contra Sanctorum Patrum sententiam, scripserunt quod Sacramenta quæ in Ecclesia fiunt, baptismus scilicet, Chrisma, Corpus & Sanguinem Christi Spiritu Sancto latenter operante, eorumdem Sacramentorum effectum, seu per bonos seu per malos intra Dei Ecclesiam dispensetur, &c.* Verum non statuit Gregorius VII. Sacramenta per Sacerdotes conjugatos vel Concubinarios confecta nulla esse, sed ne Christiani Missas ipsorum audirent, ut cum se palam ab ipso populo sperni, contemnique cernerent, ad uxores dimittendas compellerentur: *Statuimus etiam*, inquit ipsemet Gregorius VII. in laudata Epistola ad Ottonem Constantinensem Episc. *ut si ipsi contemptores fuerint nostrarum, imo SS. Patrum constitutionum, populus nullo modo eorum officia recipiat, ut qui pro amore Dei, & officii dignitate non corriguntur, verecundia seculi, & objurgatione populi resipiscant.* Quo unico Gregorius loco calumniantium ora obstruuntur.

Sigeberti, aliorumque calumniæ in Gregorium.

7. Ad comprimendos nihilominus obloquentium voces, vel calumniantium tumultus, Apologiam decretorum Romanæ synodi, seu Gregorii Papæ, auctor quidam anonymus & coævus eodem tempore vulgavit, vigintiquatuor capitibus distinctam, cui Gregorii epistolam ad Ottonem Constantiensem datam præmittit, qua, quid præceperit Gregorius in Romana synodo liquido constat, eaque nil novum ab Gregorio statutum fuisse demonstrat, idque ex quatuor œcumenicorum conciliorum canonibus, ex Apostolicarum constitutionum auctoritate, sanctorumque Patrum statutis dilucide probat, ut ibidem videre est, non enim tractatus in eam rem editos hic inserere brevitatis nostræ propositum patitur.

Decretorum Romanæ synodi Apologia. *Labb. concil. tom. 10. pag. 315. seqq.*

8. Hoc

JESU CHR. AN. 1074.

8. Hoc unum adnotare juvabit, in quatuor capita Romanæ synodi decretum ab Apologiæ auctore distingui, quorum primum ut capite quinto refert, *Erat ut clerici aliquem sacrorum ordinum gradum, & officium per prætium adepti, nullatenus deinceps in ecclesia ministrarent. Secundum ut ecclesiam prætio acquisitam nullus retineat, nec alicui deinceps ecclesiæ jura vendere, vel emere liceat. Tertium ut a clericali officio cessent quicumque se pro incontinentia reprehensibiles exhibent. Quartum ut populus clericorum officia nullatenus recipiat, quos Apostolicas constitutiones contemnere videat.* Ideſt ut ab officiis clericorum incontinentium laici ſe ſe abſtinerent, quod ſane ultimum caput maximas ubique turbas excitavit in Germania, Italia, & Gallia, eo quod laicorum judicio clericorum ordinem ſubmittit, ac vagis & incertis ſuſpicionibus locum daret. Hinc ut ad hunc annum adnotat Manſius, Galliarum Epiſcopi aliquot, in Pariſienſi concilio congregati: *Mandatum Hildebrandi de non audienda Miſſa Presbyteri habentis concubinam*, recipere, executionique mandare recuſarunt, ut auctor vitæ S. Gualterii Abbatis S. Martini juxta Pontiſaram adnotat, ac addit Sanctum Abbatem Gregorii decretum pro viribus contra Epiſcopos defendiſſe, cujus geſta in nova conciliorum collectione extant.

Quænam Gregorius in Rom. ſynodo decreverit.

Tom. 20. pag. 437.

Apud Bol. land. die 8. aprilis.

9. Ut autem bene cœpta Gregorius perficeret, ad Henricum Regem, qui præcipuus eccleſiarum nundinator eſſe videbatur, ac mœchorum patronus, ſolemnem legationem deſtinavit, de qua hæc in Gregorii vita narrat Cardinalis Aragonienſis. *Percepta ab Gregorio Apoſtolicæ dignitatis plenitudine eumdem Regem benigne, ac paterne commonuit, ut matri ſuæ Sanctæ Romanæ eccleſiæ ſe devotum & ſubjectum filium exhiberet, atque ab Epiſcopatuum, & eccleſiarum venditione omnino quieſceret, ad quod opus efficaciter proſequendum transmittere ſtatuit matrem ipſius Regis Imperatricem, una cum Oſtienſi, & Prænestino, & Cumano Epiſcopis, ideſt Giraldo, Uberto, & Rainaldo.* De eadem legatione agens Bonizo lib. ad amicum pag. 811. adnotat. *Qui ejuſdem Poncificis legatione ſuſcepta, uſque in Bavarium tranſeuntes ad Regis præſentiam pariter acceſſerunt. Receptis itaque affectuoſe Legatis ipſis, & digno cum honore tractatis, cum per dies plurimos Rex de ſua emendatione ſanctæ communitionis verba*

Gregorii legatio ad Henricum Regem.

JESU CHR. AN. 1074.

ba manſuete, ac patienter audiret, quinque nobiles viros familiares ſuos ab Alexandro Papa excommunicatos vix a conſortio & ſocietate ſua removit. Quos etiam iterato anathemate ab Gregorio percuſſos fuiſſe narrat Pandulphus Piſanus in vita Gregorii. *Quinque de familia Theutonicorum Regis*, ait, *quorum conſilio eccleſiæ venduntur a liminibus eccleſiæ ſeparavit.* Lambertus vero eadem in chronico retractans, hæc narrat. *Rex celebrata in Bamberga Paſchali ſolemnitate Nuremberg perrexit obviam Legatis Apoſtolicæ Sedis. Erant autem bi, mater ejus Imperatrix, Epiſcopus Oſtienſis, Epiſcopus Præneſtinus, Epiſcopus Curienſis, Epiſcopus Comenſis, miſſi a Romano Pontifice, componere, ſi poſſent, multo jam tempore vacillantem ſtatum Galliarum. Nec tamen cum Rege ſermonem communicare ſæpius rogati conſenſerunt, donec ſecundum Eccleſiaſticas leges pœnitentiam profeſſus, per judicium eorum anathemate abſolveretur, pro eo quod propter venditas Eccleſiaſticas dignitates ſimoniacæ hæreſeos inſimulatus fuiſſet apud Sedem Apoſtolicam.* Et ſane eum pœnitentem abſolutum fuiſſe, ejuſdem Gregorii litteræ poſtea ad eum datæ, & aliæ ad matrem ejus ſcriptæ ſignificant, inferius recitandæ. Quid præterea per eoſdem legatos geſtum ibidem ſit, idem Lambertus his verbis proſequitur. *Itaque petierunt verbis Romani Pontificis legati ut Synodum tenere intra Gallias pace Epiſcoporum ſinerentur. Vehementer hoc abnuerunt omnes Epiſcopi tanquam inuſitatum, longeque a ſuis rationibus alienum, nec ſe hujus auctoritatis privilegium ulli alii præter quam ipſi Romano Pontifici unquam delaturos affirmabant. Siquidem intenderat Romanus Pont. ut omnes Epiſcopos & Abbates qui ſacros gradus pretio redemiſſent, diſcuſſione habita deponeret, jamque hac de cauſa Bambergenſem Epiſc. & alios nonnullos ab omni divino officio ſuſpenderat, donec coram venientes injuſtum ſibi crimen hæreſeos digna ſatisfactione purgarent. Et Rex quidem cupide hoc volebat odio Wormatienſis Epiſc. & quorundam aliorum, qui eum bello Saxonico offenderant, quos hac calumnia involvendos, & dignitatis ſuæ detrimenta paſſuros ſpe certiſſima præſumperat. Sed quia per Legatos res tanta poſſe confici deſperabatur: conſulto in audientiam ipſius Romani Pontificis delata eſt.* Hucuſque de hac legatione Lambertus, auctor vero vitæ Gregorii, ſeu Aragonienſis Cardinalis, cur ſynodum in Germania cele-

JESU CHR. AN. 1074.

celebrari recusaverint Episcopi, hæc adnotat. *Synodum vero in regione ipsa celebrare Legatis nequaquam permisit, allegans Liemarus Bremensis Archiepiscopus, vices Romani Pontificis sibi, sicut & Moguntino Archiepiscopo in Germania, antiquis Privilegiis esse concessas. Cui Legati Sedis Apostolicæ de legationis officio responderunt: Venerabilis frater certum tibi esse debet,, neque auctoritas canonica, neque mos Ecclesiasticus est, ut ultra obitum ejus qui dederat, Romani Pontificis auctoritas protedatur.* Hæc idcirco, quod tam Bremensis, quam Moguntinus se etiam esse Legatos jactarent Sedis Apostolicæ, accepto privilegio ab ejusdem Gregorii Papæ prædecessoribus. Pergit vero. *Præterea sicut in primis Leonis Papæ quodam capitulo legitur: Pontifex Romanus vices suas ita committit, ut qui accipiunt, in partem sollicitudinis sint vocati, non in plenitudinem potestatis. Sed ut ad finem hujus contentionis breviter veniamus, Synodus hac fugacitate est deturbata. Bremensis vero pro inobedientia & rebellione ab officio sacerdotali est suspensus, & Legati a Rege amplius muneribus honorati, cum ejus gratia & benigno responso incolumes ad Urbem Romanam redierunt.* Hæc in vita Gregorii is auctor. Eademque Bonizo Sutriensis loco supra citato.

Gregorius Bremensem Episc. Romam ad causam dicendam vocat. *Lib. 2. epist. 28.*

10. Reversi itaque in urbem legati, gestorum suorum facta relatione, & qua ratione ab Liemaro Bremensi Archiepiscopo prohibiti fuerint, ne synodum ibidem celebrarent, exponentes, Gregorius datis ad eum litteris Romam evocavit ad dicendam causam, ac ut ibidem ad diem Natalem S. Andreæ Apostoli esset, jussit, cumque adesse renuisset, his alteris ad eum datis litteris, quod in Romanam ecclesiam ingratus ob accepta beneficia, ac contumax, dum ejusdem mandata sprevisset, graviter conqueritur, eo quod ut subdit Pontifex. *Legatis nostris Huberto Prænestinensi, & Giraldo Ostiensi Episcopis, quos ad partes illas ad id destinavimus, ut in unum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus religiosisque clericis convocatis, vice & auctoritate nostra fulti, quæ corrigenda essent, corrigerent, quæ religionis addenda essent, adderent: pro viribus impedisti. Ad hæc ut & Concilium fieret prohibuisti, Ab iisdem etiam Romam vocatus ad institutum terminum, festivitatem scilicet S. Andreæ non venisti. Ad hæc igitur, & quam plura etiam alia corrigenda, ad proximum Synodum quæ*

quæ proximæ Quadrageſimæ prima hebdomada celebrabitur, Deo annuente, Apoſtolica auctoritate, tibi venire præcipimus & invitavimus. Prædictis enim delictis nobis perſuadentibus, ab omni Epiſcopali officio, prædicta auctoritate, donec ad nos venias, te ſuſpendimus. Dat. Romæ pridie Idus Decem. Indict. XIII.

JESU CHR. AN. 1074.

11. His autem Gregorii monitis, & minis perfricta fronte reſiſtens Liemarus, funeſti ſchiſmatis inter Gregorium, & Henricum, paulopoſt exorti præcipuus auctor, & fautor fuit, ac Henricum Regem in mala propenſum, conſiliis ſuis præcipitem fecit, ut infra dicturi ſumus.

Liemarus Bremen. Archiep. præcipuus ſchiſmatis fautor.

12. Interea cum ab legatis ſuis accepiſſet Gregorius Henrici Regis animum erga Apoſtolicam ſedem propenſum adhuc paratumque eſſe ejuſdem juſſionibus parere litteras ad eum dedit, quibus hæc habet. *Quamquam fili charisſime cauſam Mediolanenſis Eccleſiæ non ita compoſueris, quemadmodum litterarum ad nos miſſarum ſeries, pollicitatioque continebat, tamen quia Legatis noſtris te benevolum tractabilemque præbuiſti, eorumque interventu quaſdam res Eccleſiaſticas laudabiliter correxiſti, nobis quoque per congruæ ſalutationis & devotæ ſervitutis exhibitionem tranſmiſiſti, gratanter accepimus. Sed & illud, quod piæ memoriæ Agnes mater tua Imperatrix Auguſta apud nos conſtanter teſtificata eſt, iidemque Legati Epiſc. atteſtati ſunt, ſimoniacam ſcilicet hæreſim funditus de regno tuo extirpare, & inveteratum morbum fornicationis clericorum toto anniſu corrigere velle, vehementer nos exhilaravit. Filiæ quoque noſtræ fideliſſimæ veſtræ Beatrix Comitiſſæ, & filia ejus Mathildis non modice nos lætificavere, ſcribentes nobis de amicitia & ſincera dilectione veſtra. Quod libentiſſime accepimus: quarum conſilio, ſed & perſuaſu dilectiſſimæ matris veſtræ Auguſtæ ad hoc inducti ſumus, ut has vobis litteras ſcriberemus. Quamobrem, licet peccator, memoriam tui inter Miſſarum ſolemnia ſuper corpora Apoſtolorum, & habui & habeo, ſuppliciter obſecrans, ut Deus omnipotens, & hæc tibi bona ſtabiliat, & ad profectum Eccleſiæ ſuæ ampliora concedat. Monco autem te fili excellentiſſime, & ſincera charitate exhortor, ut in his rebus tales tibi conſiliarios adhibeas, qui non tua, ſed te diligant, & ſaluti tuæ, non lucro ſuo conſulant. Quibus ſi obtemperaveris, Dominum Deum, cujus cauſam tibi ſuggerunt, pro-*

Gregorii epiſt. ad Henricum Regem. *Lib. 2. epiſt. 30.*

JESU CHR. AN. 1074.

tectorem propitiumque habebis &c. Subjicit de causa Mediolanensi, deque vocatis Romam quibusdam Episcopis Germaniæ ad futuram synodum.

Aliæ Gregorii epist. ad Agnetem Imp. lib. 1. 85.

13. Ad Agnetem vero Imperatricem Henrici Regis matrem, ob egregiam ab ea in legatione delegata navatam operam scribens, & gratias agit, ac multo præconio exornat; eademque epistola Beatricis Comitissæ filiæque ejus Mathildis mentionem faciens, de earum etiam laudibus nonnulla inserit, quas sibi carissimas fuisse testatur, & sane non immerito de his tribus feminis benemereri satagebat Gregorius, Agnes, quippe Henrici mater, Beatrix Gothofredi Barbati Lotharingiæ Ducis Vidua, filia autem ejus Mathildis Gothofredo Gibboso, ac Barbati filio nupta Romanam ecclesiam, ipsumque Romanum Pontificem Gregorium, in periculis, tribulationibusque constitutum pro viribus semper consilio, & opibus tutatæ sunt, ut ex dicendis infra constabit.

Gregorii epist. ad Mathildem. *Lib.* 1. 40.

14. Hinc ad Mathildem hoc eodem anno scribens Gregorius, egregiæ indolis puellam in inscriptione dicit, ac de ejusdem in sedem Apostolicam observantia gratias agit, ac ut ad limina Apostolorum una cum matre veniat, hortatur. Eam autem ab Gregorio puellam dictam fuisse ait Baronius, eo quod in matrimonio virginitatem servasset, hæc tamen incerta esse adnotat merito Pagius, unde puellam ideo Gregorius dixit, quia ætate adhuc florebat, quod etiam a clarissimis scriptoribus usurpatum fuisse addit, nec ullum iniit divortii cum Gothofredo vestigium, aut testis ullus in hujus historiæ decursu occurrit. Aliæ quoque, eæque prolixiores extant ab eodem Gregorio hoc eodem anno ad Mathildem datæ epistolæ mense Febr. seu 14. Kal. Martii, quibus eam ad sanctæ vitæ cultum, quem susceperat, studiosissime prosequendum hortatur. Meminit iisdem se alias commonuisse, ut ad perfectam Christianæ religionis vitam exolendam, in his duobus potissimum insistat, nempe ut sacratissimam Eucharistiam frequenter accipiat, & erga Dei Genitricem propensiori amore sit affecta. Sunt hæc aurea plane Gregorii verba: *Inter cætera, quæ tibi contra principem mundi arma Deo favente contuli quod potissimum est, ut corpus Dominicum frequenter acciperes, indicavi, & ut certæ fiduciæ Matris Domini te omnino committeres, præcepi*: deque his pluribus agens ad finem ista de studio frequenter sumendi Eucha-

Jesu Chr. an. 1074.

Eucharistiam, & cultu erga Dei genitricem exhibendo hæc addit. *Debemus, o filia, hoc ad singulare confugere Sacramentum, singulare appetere medicamentum. Hæc ideo, charissima B. Petri filia scribere procuravi, ut fides ac fiducia in accipiendo corpus Domini major tibi accrescat. Talem quidem thesaurum, taliaque dona, non, aurum, non lapides pretiosos amore patris tui, cœlorum videlicet principis, a me tua requirit anima, licet ab aliis sacerdotibus longe meliora pro meritis accipere possis. De Matre vero Domini, cui te principaliter commisi, & committo, & nunquam committere quousque illam videamus (ut cupimus) omittam, quid tibi dicam? Quam cœlum & terra laudare licet ut meretur nequeant, non cessant? hoc tamen proculdubio teneas, quia quanto altior & melior ac sanctior est omni matre, tanto clementior & dulcior circa conversos peccatores & peccatrices, &c.* His plane Mathildis suffulta subsidiis, mirum dictum est, quantum in Christiana vita profecerit, quantum se super cæteras fœminas exaltaverit, quantum etiam super omnes Reges, & Principes eminentior apparuerit, & fortior sit inventa etiam robore militari, ait Baronius.

15. Eadem in Romana synodo Robertus Guiscardus Normannorum Princeps excommunicatus fuit, ut narrat Bonizo, de quibus hæc etiam Cardinalis Aragonensis in vita Gregorii adnotat. *Gregorius Papa generale concilium convocavit in quo Guibertus Ravennas cum Episcoporum diversarum provinciarum immensa multitudine sedit, præterea & egregia Comitissa Mathildis & Ozzo Marchio, & Gilulphus Salernitanus Princeps, eidem non defuere. Sed inter cetera ipsius concilii acta, Normanni, & Robertus Guiscardus excommunicati fuerunt &c.* Quos sane Pontificatus sui initio infestos habuisse non semel Gregorius in litteris suis hoc tempore scriptis testatur. Unde in epistola ad Herlembaldum. *Nam Normanni, qui ad confusionem, & periculum Reipublicæ, & sanctæ ecclesiæ unum fieri meditabantur, in perturbatione in qua eos invenimus nimis obstinata perseverare, nullo modo, nisi nobis volentibus, pacem habituri. Si enim discretio nostra Sanctæ Ecclesiæ utile approbaret, ipsi jam se nobis humiliter subdidissent, & quam solent reverentiam exhibuissent &c.* Et in epistola ad Gulielmum Burgundiæ Comitem. *Nam contra eos Normannos, qui nobis rebelles sunt satis sufficiunt mili-*

Gregorius Papa Robertum excommunicat. *Apud Ossel. rer. Boicarum tom. 2. p. 812. Murat. tom. 3. rer. Ital. pag. 305.*

Lib 1. epist. 25. et 46.

JESU CHR. AN. 1074.

militet isti, qui nobiscum sunt, ait Pontifex, Robertum autem excommunicatum ideo fuisse addit Baronius, eo quod, teste Leone Ostiensi, Campaniam cum exercitu ingressus esset, ac Beneventum obsideret. At hæc aliquot post annos contigisse adnotat Muratorius. Unde alia excommunicationis causa exquirenda est, quæ sane in eo fuit, quod Robertus fidelitatis juramentum præstare recusavit, quem, ut narrat Bonizo loco citato pag. 812. Hugo Candidus Cardinalis schismaticus, & Gregorio rebellis. *Apuliam tendens Robertum, & Normannos dudum a Papa excommunicatos contra sanctam Rom. ecclesiam mirabiliter excitavit, nam dicebat falso, seu injuria, eos excommunicatos.* Et Gregorium Rom. ecclesiæ invasorem. *Quod cum quotidie, palam, & clanculo in Curte præfati Ducis mussitaret*, Robertus prudenti consilio ab se repulit dicens. *Mihi suadere non poteris contra Rom. me armari Pontificem.* Cum hæc aliaque Rex dixisset, Hugo Candidus *ad Guibertum suæ nequitiæ fautorem se contulit*, quem etiam Gregorio rebellem fuisse videbimus. Robertus vero saniora admittens consilia, debitam Gregorio reverentiam, obedientiamque offerens, non multo post absolutionem ab eo promeruit. Unde idem Pontifex in epistola ad Mathildem anno proximo scripta, ajebat. *Scitote Robertum Guiscardum sæpe supplices legatos ad nos mittere, & tantæ fidelitatis securitatem se in manus nostras dari cupere ut nemo umquam firmiori obligatione, se cuilibet Domino debeat, vel possit adstringere. Sed nos*, addit Pontifex, *non incertas rationes, cur illud fit adhuc differendum considerantes, superna dispensationis, & Apostolicæ procurationis consilia præstolamur &c.* Cujus absolutionem usque ad annum 1077. dilatam fuisse Pagius autumat, Mansius vero usque ad annum 1080. ut ibidem dicturi sumus.

Causæ plurimæ in eadem Rom. synodo agitatæ.

16. Ad Romanam synodum redimus, in qua diversorum Episcoporum, atque Abbatum causæ ibidem tractatæ sunt, atque synodali sententia, decretoque Apostolico definitæ, ut apparet ex pluribus epistolis ejusdem Pontificis ex Synodo datis. Inter quas non est prætermittenda causa Pictavienſium canonicorum, qua cautum est ut Episcopus vel ejus loco Decanus, vel alius in dignitate constitutus jus retineant certis diebus cantandi Missam in aliena Ecclesia, exempta scilicet, hocque servari consueviſſe Romæ in stationibus, atque

atque in aliis orbis partibus. In eadem Synodo pariter ab eodem Gregorio Papa ſancitum eſt decretum, ut Hiſpaniarum Ecclebæ Romanum ordinem atque officium reciperent, ut ipſius Gregorii Papæ litteræ teſtantur, quod Epiſcopi Hiſpaniarum, qui Synodo interfuerunt, ſe facturos promiſerunt, ut idem affirmat. Inſuper lectæ fuerunt in Synodo litteræ Geilæ Hungariæ Regis ad Gregorium Papam ſcriptæ, quibus idem Rex ſignificabat ſuum erga Apoſtolicam Sedem incomparabile ſtudium & obſervantiam, petens ne adverſantes ſibi hoſtes Romana ſede tueretur, eorumque dictis fidem haberet. Ad quem ex eadem Synodo Gregorius reſpondet, laudatque ejus officium erga Romanam Eccleſiam, ſpondens ab eadem quidquid amoris & beneficii erga filium mater conſueverit exhibere. In eadem item Synodo Guillelmus Epiſcopus Bellovacenſis dignum exhibuit ſpecimen Chriſtianæ charitatis, & Epiſcopalis modeſtiæ, ut qui graviſſima paſſus a ſuis tam clericis, quam laicis, quorum cauſa iidem excommunicati fuiſſent: tantum abeſt ut adverſus eos conqueſtus ſit, ut etiam pro eis Pontificem rogaret, & abſolutionem ab eodem Pontifice ab excommunicatione impetraret. JESU CHR. AN. 1074.

17. Ad eamdem Romanum ſynodum inter alios vocati ſunt Lucenſes canonici, ut cauſam dicerent, cur contra Epiſcopum ſuum Anſelmum conſpiraſſent, eo quod eoſdem ad regularem, & communem vitam revocare conatus eſſet, cui eum obſtinato animo reſtitiſſent. *Vocantur ad ſedem Apoſtolicam*, ait auctor vitæ Anſelmi, ſeu Presbyter ejuſdem eccleſiæ Pœnitentiarius. *Ibique conſpiratores in propriam Epiſcopum & inſidiatores detecti ſunt*. Ac juxta Fabiani Papa decretum curiæ ſeculari, juſſu Mathildis Comitiſſæ in ſervitutem traditi ſunt, at rebelles clerici *adverſus ipſam quotquot potuerunt conſpirare fecerunt*. Ait is auctor, ac de tumultu paulopoſt ibidem excitato hæc addit. *Convenerunt ergo quamplures iterum Epiſcopi apud ſanctum Geneſium, quod caſtrum a civitate Lucana non multum diſtat, inter quos reverendiſſimus Albanenſis Epiſcopus nomine Petrus* (Igneus cognomento dictus) *vicem domini Papæ agebat, qui cum eodem Lucenſi Epiſcopo ſancto Anſelmo, & cum reliquis omnibus conſpiratores illos excommunicavit. Unde inſolabiliter illi dolenter & indignantes, totam civitatem malitioſe commoverunt, atque freti auxilio perditiſſimi hominis quondam dicti Henrici Regis* Lucenſes Canonici ad ſynodum vocati.

reli-

JESU CHR. AN. 1074.

religiosissimum Episcopum a civitate repulerunt, sed & prædictæ dominæ Mathildæ rebelles penitus facti sunt. Hujus itaque conspirationis nefariæ caput & princeps fuit quidam nomine Petrus, falsa professione canonicus, ordine damnationis suæ subdiaconus, mente superbus, incontinens moribus, verbis procax, corpore incompositus, vir sanguinum, & fomes omnium spurcitiarum, qui propter immensitatem malitiæ suæ factus est subito contumax præco Henricianæ tyrannidis. Cujus principis factione & gratia, vivente adhuc ipso sancto Anselmo ejusdem Lucanæ civitatis Episcopo, idem Petrus est intrusus pseudoepiscopus, postmodum Guiberti pseudopapæ audacissimus defensor, obstinatissimusque sectator, occupans omnia jura Episcopatus, ita ut unum tantum castrum remansisse sancto Anselmo, idem auctor affirmat. Porro virum sanctissimum a sua Ecclesia sic extorrem apud Mathildem vitam agere Gregorius Papa præcepit.

Gregorius Papa expeditionem contra Saracenos parat. *Lib. 1. epist. 46.*

18. Dum hoc tempore negotiorum mole Gregorius Papa premeretur, ac Ecclesiarum omnium, omniumque gentium sollicitudiem gereret, de militum delectu habendo, & exercitu adversus Saracenos comparando sollicitus erat, unde ad Gulielmum Burgundiæ Comitem scribens, in memoriam eidem revocat, se olim prædecessori suo Alexandro secundo, ante corpus Apostolorum Principis Petri Deo promisisse. *Ut quacumque hora necesse fuisset, vestra manus ad dimicandum pro defensione rerum S. Petri non deesset, si requisita fuisset.* Quare ut milites pro opportunitate pararet, hortatur, & ut ad idem faciendum *S. Egidii Comitem, & socerum Riccardi Capuani Principis, & Amedeum filium Adelatæ*, seu Adelaidis Comitissæ Susiarum, & Pedemontis, *ceterosque, quos cognoscitis S. Petri esse fideles.* Cur exercitum tanta sollicitudine Gregorius pararet, his paulopost verbis exponit. *Speramus enim quod forsitan alia inde utilitas oriatur, scilicet ut pacatis Normannis*, contra quos, ut paulopost subdit, *satis sufficiunt, milites, qui nobiscum sunt. Transeamus Constantinopolim in adjutorium christianorum, qui nimium afflicti creberrimis morsibus Saracenorum, inhianter flagitant, ut sibi manum nostri auxilii porrigamus &c.* Hæc ibidem, quod ut efficacius perurgeret, datis ad omnes Christi fideles litteris, Classicum quodammodo adversus infideles, his verbis cecinit. *Notum vobis esse volumus, hunc*

Gregorii epist. ad omnes fideles.

hunc virum præsentium portitorem, de ultramarinis nuper reverteretur partibus, Apostolorum Limina, & nostram præsentiam visitasse. A quo, sicut a plerisque aliis, cognovimus, gentem Paganorum contra Christianum fortiter invaluisse Imperium, & miseranda crudelitate, jam fere usque ad muros Constantinopolitanæ civitatis omnia devastasse, & tyrranica violentia occupasse, & multa millia Christianorum quasi pecudes occidisse. Qua de re, si Deum diligimus, & Christianos esse cognoscimus, pro miseranda fortuna tanti Imperii, & tanta Christianorum clade nobis valde dolendum est, Et non solum dolere super hac re debitæ sollicitudini nostræ sufficit, sed animas pro liberatione fratrum ponere, exemplum Redemptoris nostri, & debitum fraternæ charitatis a nobis exigit. Ac pluribus ad id opus suscipiendum eosdem hortatur, & excitat. Epistola autem altera anno sequenti ad omnes Christifideles, & præsertim ad ultramontanos, eodem stylo ad bellum Saracenis inferendum hortatur. *Ad vos jam pervenisse credimus, quæ sit nostra voluntas, & qnid ex parte S. Petri direximus de adjutorio faciendo fratribus nostris, qui ultra mare in CPolitano Imperio habitant, quos Diabolus per se ipsum a fide catholica conatur avertere, & per membra sua non cessat quotidie tamquam pecudes enecare crudeliter &c.* Quare subdit, *ex parte D. Petri rogamus, monemus, invitamus, ut eo modo, quem portitor dixerit, ad nos quidam vestrum veniant, qui Christianam Fidem vultis defendere, & cælesti Regi militare, & cum eis viam, favente Deo, præparemus omnibus, qui cælestem nobilitatem defendendo per nos ultra mare voluit transire, & quod Dei sunt filii, non timent exendere. Itaque fratres charissimi, estote ad pugnandum fortissimi pro laude illa, & gloria, quæ omne desiderium superant, qui hactenus fortes fuistis pugnare pro rebus, quas non potestis detinere, nec sine dolore possidere &c.*

Jesus Chr. an. 1074.

Lib. 2. epist. 37.

19. Ad eamdem autem expeditionem se paratum fuisse, & quinquaginta, & ultra militum millia ad id perficiendum collegisse, in epistola ad Henricum Regem, definente hoc eodem anno, sexto idus Decemb. data, testatur, eaque quam benevolo in eum animo esset, itaut eidem, se absente, Romanam ecclesiam commendaverit, quantumque fructum ex hac expeditione assecuturum se speraret, significat, sed præstat hæc omnia ejusdem verbis referre. Itaque post aliqua

Gregorius ad expeditionem ineundam quinquaginta millia militum collegerat.

JESU CHR. AN. 1074.

aliqua de paterna in eum benevolentia, hæc addit, *Præterea indico tuæ magnitudini quia Christiani ex partibus ultramarinis, quorum maxima pars a Paganis inaudita clade destruitur, & more pecudum quotidie occiditur, gensque Christiana ad nihilum redigitur, ad me humiliter miserunt, nimia compulsi miseria implorantes, ut modis quibus possem eisdem fratribus nostris succurrerem, ne Christiana religio nostris temporibus (quod absit) omnino deperiret. Ego autem nimio dolore tactus, & usque ad mortis desiderium ductus, (magis enim vellem pro his animam meam ponere, quam eos negligens, universo orbi ad libitum carnis imperare) procuravi Christianos quosque ad hoc provocare, ad hoc pellere; ut appetant defendendo legem Christi animam suam pro fratribus ponere; & nobilitatem filiorum Dei luce clarius ostentare. Quam admonitionem Italici, & Ultramontani, Deo inspirante, (ut reor, immo etiam omnino affirmo) libenter acceperunt, & jam ultra quinquaginta millia ad hoc se præparant; ut si me possunt in expeditione pro Duce a Pontifice habere armata manu contra inimicos Dei volunt insurgere, & usque ad sepulchrum Domini, ipso ducente, pervenire. Illud etiam me ad hoc opus permaxime instigat, quod Constantinop. Ecclesia de S. Spiritu a nobis dissidens, concordiam Apostol. Sedis expectat. Armeni etiam fere omnes a Catholica Fide aberrant, & pene universi Orientales præstolantur quid Fides Apostoli Petri inter diversas opiniones eorum decernat. Instat enim nostro tempore, ut impleatur quod pius Redemptor speciali gratia dignatus est Apostolorum Principi indicare ac præcipere, dicens: Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Et quia patres nostri, quorum vestigia, licet indigne, sequi optamus, partes illas pro Fide Catholica confirmanda sæpe adierunt; nos etiam adjuti precibus omnium Christianorum (si Christo duce via patuerit, quia non est via homini in manu ejus, & a Domino gressus hominis diriguntur) illuc transire pro eadem fide, & Christianorum defensione compellimur. Sed quia magna res magno indiget consilio, & magnorum auxilio, si hoc Deus me permiserit incipere: a te quæro consilium, & ut tibi placet, auxilium. Quia si illuc, favente Deo, ivero: post Deum tibi Romanam ecclesiam relinquo, ut eam & sicut sanctam matrem custodias, & ejus honorem de-*

fen-

JESU CHR. AN. 1074.

fendat. Quid tibi super his placeat, & quid prudentia tua divinitus aspirata decernat, mihi quantocius potes, remittas. Nam si de te, plusquam plurimi putent, non sperarem, verba hæc frustra proferrem; sed quia forsan non est homo, cui de sinceritate dilectionis meæ adhuc indubitanter credas; Spiritui sancto, qui omnia potest, committo, ut menti tuæ suo more indicet, quid tibi cupiam, quamtumve diligam: & eodem modo circa me tuam mentem componat, ut impiorum desiderium depereat, & bonorum accrescat. Hæc enim duo desideria circa nos duos, licet diverso modo, incessanter invigilant, & secundum voluntatem eorum, a quo prodeunt, decertant &c. Hæc Gregorius ad Regem Henricum, qui tantum bonum intervertit, dum Saxoniæ expeditioni totus intentus, quæque magna illi postponenda putavit. Paulopost tamen Orientalium rerum eventus felicior renuntiatus, fervorem expeditionis illius minuit, ut ex litteris ejusdem Gregorii ad Comitem Pictaviensem datis apparet. Sicque etsi prima Cruciatorum expeditio sub Urbano secundo suscepta sit anno 1095., earumdem tamen primum auctorem incentoremque Gregorium septimum fuisse dubitari vix potest, qui etiam, ut anno proximo diximus, ad Saracenos in Hispania profligandos, ac ejiciendos, vicinos Principes excitaverat.

Lib. 2. epist. 3.

20. Interea cum Gregorius litteras a Sancio Aragoniæ Rege accepisset, quibus suum erga Apostolicam sedem obsequium testabatur, ac juxta ejusdem jussionem, se in sacris ritibus Romanum officium suscepisse narrabat, ad eumdem decimo tertio Kalendis Aprilis anni elapsi, & iterum octavo Kalendas Februarii hujus anni scripsit, atque ejusdem in Romanam ecclesiam obsequium, ac reverentiam commendat, se tamen nequaquam probare posse addit, quod Aragonensis ecclesiæ Episcopus Sancius in urbem profectus, successorem sibi postulaverat, quod infirmitate gravatus, pastoralia officia exercere vix poterat, clericum ex illegitimo concubitu natum elegisset, quod absurdum, & canonica auctoritate prohibitum fuisse admonet. Itaque Sancium ad suam ecclesiam se remisisse, ea conditione, addit, ut quæ posset per se ipsum ageret, spiritualibus præsertim officiis incumbens. *Ad peragendas autem exteriores, & interiores curas, talem clericum in ecclesia constituerat, qui ad tantam procurationem providus, & si res postularet, ad per-*

Gregorii epist. ad Sancium Aragoniæ Regem. *Lib. 1. 63. et lib. 2. 50.*

JESU CHR. AN. 9274.

cipiendam Episcopalis officii dignitatem, & ordinem esset idoneus, postquam per annum, & amplius experimentum sui dedisset. *Post quæ demum*, subdit Pontifex, *si illius vita, mores, & disciplina probabilis fuerit. Apostolicæ sedi ejus, tuis, & Episcopi litteris, nec non jub testimonio cleri ejusdem ecclesiæ denuncietur, & de ordinatione Ecclesiæ deliberato consilio, certa vobis, & salubris, annuente Deo, responsio dabitur. . . . Hæc igitur dilecte fili, prudenter considera, & ad observanda nostra monita Episcopum quantum potes adjuva &c.*

Gregorii epist. ad Alphonsum, & Sancium Reges. *Lib. 1. 64.*

21. Eodem tempore, quo primas ad Sancium Aragoniæ Regem, de Romano recipiendo officio litteras Gregorius dederat, alteras ad Alphonsum Castellæ Regem, & Sancium Navarræ dedit, quas Episcopis in ea ditione constitutis communes esse voluit, arguens ipsos quod jussionibus suis per legatum Hugonem Candidum expositis de Gothico officio in Romanum commutando restitissent, hortaturque ut tamquam obsequentes filii præceptis suis parerent. *Quapropter*, inquit, *ut filios carissimos vos adhortor & moneo, ut vos sicut bonæ soboles, etsi post diuturnas scissuras, demum tamen ut matrem revera vestram, Romanam Ecclesiam recognoscatis, in qua & nos fratres reperiatis, Romanæ Ecclesiæ ordinem & officium recipiatis, non Toletanæ, vel cujuslibet aliæ, sed ipsius, quæ a Petro & Paulo supra firmam Petram per Christum fundata est, sanguine consecrata, cui portæ inferni, ideest, linguæ hæreticorum, numquam prævalere potuerunt, sicut cætera regna Occidentis, & Septentrionis teneatis. Unde enim non dubitatis vos suscepisse religionis exordium: restat etiam ut inde recipiatis in Ecclesiastico ordine divinum officium, quod Innocentii Papæ ad Eugubinum directa Episcopum vos docet epistola, quod Hormisdæ ad Hispalensem missa decreta insinuant: quod Toletanum, & Bracarense demonstrant Concilia: quod etiam Episcopi vestri ad nos nuper venientes juxta constitutionem Concilii per scripta sua facere promiserunt, & in manu nostra firmaverunt.* Præterea se excommunicationis sententiam ab legatis suis adversus Munionem Ofcensem Episcopum, utpote simoniacum latam, confirmasse addit. *Usque dum respiscens de Episcopatu, quem indebite tenuit, sibi satisfaciat, atque inde recedat, data Romæ 14. Kal. Aprilis Indict. 12.*

22. Hoc

22. Hoc etiam tempore Romam perlatæ sunt litteræ Gulielmi Anglorum Regis, & Mathildis Reginæ uxoris ejus, quibus de ipsius in Pontificem electione gratulatur, cum autea de obitu prædecessoris Alexandri, cui plurimum debebat, tristatus fuerat. Accepit litteras, & acceptavit officium ipsum Gregorius Papa, atque Apostolicas litteras benevolentiæ indiciis plenas Regi reddidit, alterasque ad Reginam, quam ut maxime piam fœminam hortatur, ut viro sit adjumento in iis, quæ spectant ad animæ ipsius salutem, dicens: *Insta viro tuo, animæ utilia suggerere ne desinas: certum est enim si vir infidelis per mulierem fidelem salvatur, vir etiam fidelis per mulierem fidelem in melius augmentatur.* Datæ sunt litteræ Gregorii ad eos hoc anno pridie nonas Aprilis, quibus etiam meminit de Legatis Apostolicæ Sedis Petro, & Joanne in Angliam missis, deque redditibus S. Petri Regis opera exigendis. Quod ad Guillelmum Regem ipsum pertinet, hic præ ceteris Christianis Regibus borealibus a Gregorio Pontifice commendatur: nam cum Henricum Germaniæ Regem sit passus persecutorem, Philippum Francorum Regem Ecclesiarum expilatorem (ut prætermittamus dicere de Roberto Guiscardo invasore, Godefredo Lotharingio prævaricatore, & aliis, de quibus suis sæpe litteris queritur) hic optimus habetur comparatione malorum, de quo hæc ipse: *Rex Anglorum licet in quibusdam non ita religiose (sicut optamus) se habeat: tamen in hoc, quod Ecclesias Dei non destruit, neque vendit, & pacem justitiamque in subditis moderari procurat; & qui contra Apostolicam Sedem, rogatus a quibusdam inimicis Crucis Christi pactum inire, consentire noluit; presbyteros, uxores, laicos, decimas, quas detinebant, etiam juramento dimittere compulit: cæteris Regibus se satis probabiliorem, ac magis honorandum ostendit. Unde non indignum debet existimari, potestatem illius mitius esse tractandam, atque respectu probitatis ipsius, subditorum, & eorum quos diligit, negligentias ex parte fore portanda &c.* Magnam quidem tunc temporis comparavit sibi laudem ex eo Vvillelmus Rex Angliæ, quod, cum promulgata essent sancita hoc anno synodalia decreta de cælibatu clericorum adversus concubinarios, & adversus simoniace ordinatos, atque contra laicos Ecclesiarum decimas occupantes, hos omnes regia auctoritate compresserit.

Jesu CHRIST. 1074. Gregorii litteræ ad Gulielmum Angliæ Regem, & ad Mathildem Reginam. *Lib. 1. epist. 70. 71.*

JESU CHR. AN. 1074

Gregorii litteræ ad Philippum Franc. Regem.

Lib. 1. 75.

Lib. 1. 74.

23. Legatos etiam cum litteris ab Philippo Francorum Rege missos Gregorius hoc anno accepit, quibus idem Rex jam antea ob violata ecclesiæ jura ab Gregorio redarguitus, pariturum se ejus jussis significavit. Quare ad eum rescribens, propositum litteris suis declaratum magnopere commendavit, monuitque, ut ecclesiæ Bellovacensi damna emendaret. Quænam autem hæc fuerint, haud satis apparet, sed enormia fuisse idem Gregorius, litteris eadem die, nempe Idibus Aprilis, datis ad Clerum, & populum Bellovacensem aperit, quibus asserit, eos omnes ob inaudita, detestanda, & abominanda scelera perpetrata anathemate fuisse condemnatos, intercessione vero ipsorum, & Episcopi Guillelmi absolutos in Synodo Romæ proxime celebrata. Inter alia autem, hæc notatu digna, litteris ad Regem Francorum redditis, eidem consideranda proponit: *Attendere enim te nobiscum & diligenter considerare volumus, in quanta dilectione sedis Apostolicæ, quantave gloria, & laudibus fere per orbem terrarum antecessores tui Reges clarissimi, & famosissimi habiti sunt, dum illorum regia majestas in amplificandis, & defendendis Ecclesiis pia ac devota constitit, in tenendo justitiam libera distracta permansit. Postquam vero divina & humana jura subvertendo tanta virtus in posterioribus cœpit hebescere, totius Regni gloria, decus, honor, & potentia cum perversis moribus immutata sunt, & nobilissima fama, & status regni a culmine suæ claritatis inclinata sunt Hæc quidem & alia talia frequenter, & si oportet, aspero etiam sermone tibi inculcare, suscepti nos officii cura compellit. Quoniam licet verbum prædicationis absondere, & uspiam tacere, non sit nobis tutum, aut liberum; tamen quando dignitas est amplior, & persona sublimior, tanto propensiorem curam & clamorem pro ejus rectitudine nos habere convenit &c.* At vero nihil profecisse ex iisdem Gregorii Papæ admonitionibus Regem, quæ ab eo hoc eodem anno sunt scelera perpetrata demonstrant. De quibus coactus est ipse Gregorius ad ipsos Episcopos Francorum & principes proclamare, datis inter alios ad Willelmum Comitem Pictavienſem litteris istis hoc anno mense Novembri.

Quid de Rege eodem ad Comit. Pictav.

24. *Licet Philippi Regis Francorum iniquitates ad notitiam tuam pervenisse dubitandum non sit: utile tamen duximus, quantum de eisdem iniquitatibus doleamus, tibi innotescere. Nam in-*

ter

Jesu Chr. an. 1074.

ter cætera scelera, quibus non solum Christianos, sed & Paganos videtur superasse Principes, post ecclesiarum, quas sibi licuit confundere, varias destructiones, adeo regiæ dignitatis posthabuit verecundiam, ut avaritia potius inflammante, quam ratione aliqua poscente, Italiæ negotiatores, qui ad partes vestras venerant, depræda tus fuerit. Qua de re, quia Episcopos Franciæ litteris nostris eum convenire monuimus: te quoque, sanctum Petrum & nos pure diligentem, & ut credimus, de ejus nobiscum periculis contristatum præcipue monemus, quatenus ex illis atque nobilioribus Franciæ melioribus quibusdam adhibitis, iniquitates suas sibi notificetis. Et ut ipse stultorum suggestionibus renuntiando, & bonorum, atque sapientium consiliis adhærendo, incipiat jam a confusione Ecclesiarum manum retrahere, & ad exemplar bonorum Franciæ Regum, pravos mores suos commutare, depræda tiones quas supra commemoravimus, unde Oratores sancti Petri impediuntur, capiuntur, atque multis incomodis afficiuntur, sine dilatione emendare. Qui si consiliis vestris acquieverit, nos eum quæ debemus charitate, tractabimus. Alioquin si in perversitate studiorum suorum perduraverit, & secundum duritiam, & & impœnitens cor suum iram Dei, & sancti Petri sibi thesaurizaverit: nos Deo auxiliante, & nequitia sua promerente, in Romana Synodo, a corpore, & communione sanctæ Ecclesiæ ipsum, & quicumque sibi regalem honorem vel obedientiam exhibuerit, sine dubio sequestrabimus, & ejus quotidie super altare sancti Petri excommunicatio confirmabitur. Diu est enim, quod iniquitates suas portavimus: diu est, quod sanctæ Ecclesiæ injuriam, parcendo adolescentiæ suæ, dissimulavimus. Nunc autem adeo perversitas morum suorum se notabilem reddidit, ut si tantæ valetudinis, tantæque fortitudinis esset, quantæ *Pagani Imperatores* fuere, qui tot mala *SS. Martyribus* intulerunt; *nos timore aliquo tot & tantas iniquitates suas nullo modo impunitas dimitteremus. Datum Romæ Idibus Novembris, Indictione XIII.* Extant aliæ ejusdem argumenti litteræ datæ ad Manassem Rhemensem Archiepiscopum, & alios primarios Francorum Episcopos in ejusdem Philippi regno constitutos, quos monet, ut de tot flagitiis, quæ enumerat, Regem ipsum corripiant. Datæ habentur hoc anno Idibus Septembris, & aliæ seorsum ad eumdem Rhemensem Archiepiscopum mense Decembris. Porro anno se-

BIBLIOTECA N.Z. ACMA VITTORIO EMANUELE

JESU CHR. AN. 1074.

sequenti de ipso Rege in Synodo actum est; in qua ista sequuntur de ipsius Philippi Regis excommunicatione in hæc verba concepta: *Philippus Rex Francorum, si Nuntiis Papæ ad Gallias ituris de satisfactione sua, & emendatione securitatem non fecerit: habeatur excommunicatus.* Ista Gregorius, qui his perditissimis temporibus, tamquam alter Jeremias a Deo electus fuerat ad correptionem Regum, & purgationem ecclesiæ, post innumeras contractas sordes, ait Baronius hoc anno num. 70.

Gregorii litteræ ad Beatricem, & Mathildem. *Lucæcap.* 10.

25. Dum autem severitatem, ecclesiasticamque censuram in contumaces, & refractarios Gregorius adhiberet, in pœnitentes indulgentior visus est. Quare cum Guarnerium Argentinensem Episcopum ab Alexandro prædecessore damnatum, & suspensos Longobardiæ Episcopos vinculo censuræ ecclesiasticæ absolvisset, Beatrix Ducissa, ejusque filia Mathildis scandalum quodam modo passæ, eumdem indulgentiorem forte, ecclesiasticæque censuræ violatorem fuisse, obmurmurabant. Quibus rationem gestorum suorum reddere non dubitavit Gregorius, ne egregias, & de Romana ecclesia benemeritas feminas ullo modo offenderet; hinc litteris datis. *Cum Propheta testetur, quod omnipotens Deus, quem imitari jubemur cor contritum & humiliatum non spernit: nos quidem qui peccatores sumus, etsi contritionem cordium in aliis non satis plene respicimus, cognita tamen dissimulare & quasi pro nihilo computare non debemus. Guarnerius Argentinensis Episcopus, postquam peccatis facientibus, decorem sui ordinis indigne tractavit, vocatus ad correctionem a domino nostro venerandæ memoriæ Alexandro Papa, solus inter omnes Teutonicæ terræ Episcopos, quorum multi non solum carnali scelere, sed etiam simoniaca labe fœdati itidem vocati sunt, Apostolorum Limina petit, locum judicii in humilitatis forma prævenit, & veritus Apostolicam virgam, annuntiando & cogitando pro peccatis suis in faciem procidit. Apostolica igitur tum censum correptus, jam nunc Apostolicam venit experiri clementiam, & cum tanta fatigatione, sicut audivimus, jejunando pariter, & plerumque pedes eundo, compunctionem & obedientiam demonstravit; ut confratres nostri pro competentia horum temporum, miserendum sibi fere dignum æstimarent, & decernerent. Cui quanquam Episcopatus officii redintegra-*

Gregorius indulgentiæ adhibitæ rationem reddit. *Lib.* 1. *epist.* 77.

JESU CHR. AN. 1074.

grationem ad vota ſua non conceſſimus, exercere tamen in illo rigorem canonicum hoc in tempore quid referret, cum fortaſſe hoc amoto, locum ejus non alius poſſideret, niſi qui plurimum pecuniæ dare poſſet? Cæterum quod vos feciſtis in eum, quam inhoneſtum vobis, quam mihi verecundum, quamque B. Petri & Apoſtolicæ Sedi contumelioſum ſit, quæſo cum animis veſtris reputate, ut in quibus peregrinorum his in partibus tutiſſima debet eſſe defenſio, inopinata pericula lateant, & noſtra, qui hoc aliis principibus prohibemus, in hac re quaſi conſentanea pro familiaritate veſtræ dilectionis voluntas arguatur, præſertim cum eumdem fratrem per litteras noſtras non ſine magna fiducia vobis commendaverimus. Quamobrem nobilitatem veſtram multum rogamus & admonemus, ut injurias ejus quantum poteſtis, demulcentes, cum omni benevolentia & manifeſta charitatis exhibitione eum abire dimittatis, & ſicut in ſupra memoratis rogavimus litteris, tutum ſibi uſque ad dominum Erlembaldum Mediolanenſem ducatum præbeatis: ſcientes eum per epiſtolam noſtram eſſe commonitum, ut nullatenus ſupra hac re contra vos, aut veſtros aliquid moliatur adverſi. Dyoniſio vero Placentino, & aliis Epiſcopis Longobardiæ, qui ad nos venerant, nihil de Epiſcopali officio, niſi confirmandi pueros pro neceſſitate conceſſimus, ſed totius negotii fræna ita retinemus in manu, ut aut correctis de venia, aut pertinacibus non ſit deſperandum de pœna &c. Hiſque exemplis Petri Apoſtolorum Principis, qui *murmurantibus adverſum ſe diſcipulis ſatisfacere non eſt dedignatus*, de ſe notatis, cetera ſe vix curare ſubjungit.

Gregorius ſynodum, pro anno ſequenti indicit. *Lib. 2. epiſt. 1. 10. 13. 24.*

26. Interea ut rebus eccleſiaſticis provideret in ſequentem annum ſynodum in urbe celebrandam quadrageſimæ initio indixit, ad quam in primis vocavit longius poſitos, & toto orbe diviſos Britannos Epiſcopos, & Abbates, Tullenſis etiam Epiſcopus ad eam vocatus eſt, ut de ſimonia, & cohabitatione cum mulicre accuſatus, ſui rationem redderet, de quibus ad Hudonem Archiepiſcopum Trevirenſem litteras dedit. Ad eamdem quoque Synodum juſſit accurrere Iſibertum Piſtavienſem Epiſcopum, qui citatus ut adeſſet, Romæ in die natali S. Andreæ, minime comparuit, atque graviſſima accuſatione conventus, judicium Sedis Apoſtolicæ declinavit. Juſſerat quippe Gregorius Papa per Legatos Apoſtolicæ Sedis Amatum Epiſcopum Olorenſem, & Gozelinum Ar-

JESU CHR. AN. 1074. Archiepiſcopum Burdigalenſem, & alios ſimul collectos examinari cauſam Comitis Pictavienſis, qui aſſereretur duxiſſe in uxorem conſanguineam ſuam: qui cum ad cauſam examinandam congregati fuiſſent in unum, paſſi ſunt irruentes milites ab eodem Pictavienſi Epiſc. immiſſos, qui alios verberibus, contumeliis alios affecerunt. Cujus rei cauſa juſſus eſt, Romam venire patrati ſceleris rationem redditurus. Quod cum facere diſtuliſſet, ſuſpenſus ab officio, futuro Synodo præſto eſſe jubetur. Laudavit vero Gregorius ipſum Guillelmum Pictavienſem, qui paruiſſet Eccleſiæ, jubenti divortium, donec cauſa plenius noſceretur. Cui roganti ut liceret retinere illam ſub ſororis ipſius cuſtodia, quouſque per Synodum cauſa finem acciperet, idem Pontifex denegavit, quam & longius ablegandum mandavit. Aſſiſtere pariter eidem Synodo jubentur litigantes inter ſe Benno Epiſcopus Oſnaburgenſis, atque Abbas Corbejenſis, niſi prius ea cauſa per Colonienſem terminaretur Epiſcopum. Convocatur quoque ad eamdem Synodum Liemarus Bremenſis Archiepiſcopus ob cauſam anno ſuperiore narratam. Inſuper Archiepiſcopum Moguntinum Sigefridum una cum ſuis ſuffraganeis Epiſcopis Ottone Conſtantienſi, Guarnerio Straizburgenſi, Henrico Spirenſi, Herimanno Bambergenſi, Imbrico Auguſtenſi, Adalberone Wirzeburgenſi, juſſit Gregorius datis ad eos litteris convenire. Deque his etiam ſcripſit ad Henricum Regem, ut Legatos ad Synodum mitteret, aliisque litteris, ne illos audiret, qui diſcordias inter ipſos fovebant, hortatus eſt. Advenire quoque juſſit Cunibertum Taurinenſem Epiſcopum, tamquam invaſorem monaſterii ſancti Angeli accuſatum. Itidemque adeſſe voluit Guillelmum Papienſem Epiſcopum ob cauſam divortii inter Azonem, atque Mathildem, de quibus ſuperius dictum eſt; vocataque eſt ipſa Mathildis. Hugonem quoque militem, ob occupata bona Eccleſiæ Turonenſis ad Synodum rationem redditurum vocavit. Adhuc inſuper, ſed anni ſequentis exordio, vocatus eſt ad eamdem Synodum Guibertus Ravennas Archiepiſcopus, litteris ad eum datis. Hugo etiam Dienſis Epiſcopus una cum clericis ſuis, ut ibidem adeſſet, juſſit Pontifex. Hactenus de indictione Synodi in annum ſequentem.

Gregorii litteræ ad Hugonem Abbatem Cluniacenſem *Epiſt.* 14. & 62.

27. Ad Hugonem quoque Cluniacenſem Abbatem, cujus induſtriam, & conſilia magni faciebat Gregorius litteras anno elapſo, & labente ſcripſit, prioribus, ſeu anni ſuperioris, mona-

monachos S. Remigii ab Manaſſe Remenſi Archiepiſcopo vexatos commendat, & ut uſque ad cauſæ cognitionem tueretur, jubet, aliis hoc anno datis, ut Romam feſtinaret, hortatur. *Proinde noſcat religio veſtra*, ait poſt aliqua, *quoniam qui denegatam nobis præſentiam veſtram hactenus cum admiratione juſtinuimus, deinceps ſine multa anxietatis & mentis perturbatione ferre non poſſumus. Meminiſſe enim debetis, quot, & quanta negotia in veſtra manu, & confratris noſtri Giraldi Oſtienſis Epiſcopi poſuerimus, quæ propter abſentiam veſtram aut neglecta pereunt, aut competentem finem habere non poſſunt: quoniam cum præfatum Epiſcopum in ſervitio Sancti Petri ultra montes ad regem miſimus, vos venturum eſtimabamus. Quapropter, etſi commoti, dilectionem veſtram intimo admonemus affectu, ut nos in multis & magnis angustiis poſitos, quantocius viſitare curetis.* Ac quanta ſpiritualium, ac temporalium negotiorum mole premeretur, narrat, ſeque orationibus monachorum ſuæ congregationis commendat. *Datum Romæ 14. Kal. Aprilis Indict. 12.*

Jesu Chr. an. 1074.

Concil. tom. 10. pag. 51.

28. Sed quid ſanctiſſimo viro in itinere Romano acciderit, ex Hugone altero Cluniacenſi monacho, & Hugonis Abbatis vitæ ſcriptore coævo, & oculato audiamus. *Romam proficiſcens aliquando pater Hugo, arctiſſimam a prominentis rupis latere viam ingreſſus eſt. Erat inferius terribilis profunditas, ita ut metu præcipitii vix unquam viatores audiant intueri. Præcedentibus itaque aliis poſt alios præ timore ſociis, ſequebatur pater mente & oculis, dextraque pariter ad cœlum levatis, ſiniſtra mulæ habenas tenebat, & oratione ſuſpenſus Domino totus inhiabat. Propter tranſeuntes quædam paupercula mulier ibi in breviſſimum arduæ rupis foramen ſe ſe receperat. Mula vero cui Sanctus inſidebat, ubi latitantem illam ſubito aſpexit, miſere pavefacta, illico reſilit, & reſiliens tota in immane profundum cum ſancto viro cadit. Ubi ſanctus, antea ſic etiam cadendo mentem & oculos, dextramque ad cœlum erectam, tenebat. Cadebat quidem corpore, ſed immotus cum Domino ſtabat mente: prævaluitque ſtabilitas mentis, ſuaque ſedens mula inviſibiliter reportatus ab infimis, viaque eſt redditus totus incolumis. Videte chariſſimi, videte patrem morte redeuntem, admiramini de funere reſurgentem. Sed qui Jonam in mare præcipitatum de profundo abyſſi, de ventre cæti clamantem ad ſe liberare voluit; etiam hunc oran-*

Hugo Clun. Abbas Romam veniens a periculo liberatus.

JESU CHR. AN. 1074.

tem omnipotenti misericordia sanum a ruina levavit. Vidit Vincentius, qui in laico habitu fideli sedulus obsequio Sanctum sequebatur, qui adhuc superesset, & se vidisse testatur. Hæc de sancto Hugone dum ad Apostolorum limina ab Gregorio vocatus, pergeret.

Gregorius ab infirmitate sanatur. *Lib. 2. epist. 9.*

29. Hoc autem anno contigit ipsum Gregorium, Octobri ineunte graviter ægrotare, at præter spem sanitatem adeptus, se sospitem tunc fuisse condoluit. Unde ad Beatricem, ejusque filiam Mathildem, postquam earum in Romanam ecclesiam affectum, & in se ipsum, utpote Petri successorem, & servum commendavit, de rebus suis hæc addit. *De cetero scitote nos præter spem omnium, qui nobiscum erant, de infirmitate corporis evasisse, & jam bonam valetudinem recepisse: unde nobis dolendum potius quam gaudendum esse putamus. Tendebat enim anima nostra, & toto desiderio ad illam patriam anhelabat, in qua ille, qui laborem & dolorem considerat, la sis quietem & refrigerium præstat. Verum reservati adhuc ad consuetos labores & infinitas sollicitudines, in singulas horas quasi parturientis dolores & angustias patimur, dum pene in oculis nostris naufragantem Ecclesiam nullo valemus eripere gubernaculo.* Hæc de rebus suis, & ecclesiæ sibi commissæ Gregorius.

Gregorii sollicitudo commendatur.

30. Etsi tamen tanta negotiorum mole premeretur, de immensa nihilominus sollicitudine, qua spiritualia, æque ac temporalia Romanæ sedis jura, & privilegia curabat, toto vitæ suæ, & Pontificatus tempore nil umquam remisit, ut ejusdem epistolæ singulis annis datæ testantur, quas singulas referre longum esset, cum non solum vigili cura ea, quæ communem ecclesiæ fidem, aut disciplinam spectarent, sed singulorum etiam causas pertractaret: exemplo sit epistola ad Hubertum Genuensem Episcopum hoc anno Kal. Maji, vel Martii data, qua præcepit, ut Ansaldi cujusdam uxor adulterii accusata, ad purgationem admitteret, ac Ansaldi patrem, vel quemlibet alium, qui id impedire tentasset, excommunicatione plecteret, ut sic crimine probato dimitteretur, alioquin ad virum suum rediret, atque ne in longius quam, par est oratio prodeat, de Gregorii sollicitudine in procuranda fidelium æterna salute dicta sint satis. *Lib. 1. epist. 48.*

Gregorius Hungariæ Regnum

31. In juribus vero privilegiisque Rom. ecclesiæ tutandis, æqualem fere curam eodem tempore gerebat. Hinc cum hoc tem-

tempore, ut narrat Lambertus Schafnaburgenſis in chronico, cum inquam, Salomon Rex Hungarorum a Jojade Beli filio, alias Geiſa nominato ejus conſanguineo, prælio victus, amiſſo exercitu, vix fuga ſibi conſulens evaſerit, adieritque per Legatos Henricum Regem, cujus ſororem conjugem acceperat, petens adverſus invaſorem tyrannum arma parare, ſpondens quæque maxima, ſi id faceret, nempe (ut idem auctor narrat) eum in regni Hungarici conſortium accepturum, futurumque eidem tributarium, atque munitiſſimas Hungariæ civitates, tamquam firmæ ſemper futuræ pacis pignora tributurum. Quod factum cum Gregorius accepiſſet, nempe quod ipſe Salomon ab eodem Henrico Rege quaſi domino ipſum regnum Hungaricum in feudum accepiſſet, cum ex his videret magnopere lædi jura Apoſtolicæ Sedis, cui jam idem regnum eſſet oblatum, iſta reſcripſit ad ipſum Salomonem Hungariæ Regem. *Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Salomoni Regi Hungarorum ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Litteræ tuæ ad nos tarde propter moram Nuntii tui allatæ ſunt: quas quidem multo benignius manus noſtra ſuſcepiſſet, ſi tua incauta conditio non adeo beatum Petrum offendiſſet. Nam ſicut a majoribus patriæ tuæ cognoſcere potes, regnum Hungariæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ proprium eſt, a Rege Stephano olim beato Petro cum omni jure & poteſtate ſua oblatum, & devote traditum. Præterea Henricus piæ memoriæ Imperator ad honorem S. Petri regnum illud expugnans, victo Rege, & facta victoria, ad corpus B. Petri lanceam coronamque tranſmiſit, & pro gloria triumphi ſui illuc regni direxit inſignia. quo principatum dignitatis ejus attinere cognovit. Quæ cum ita ſint, tu tamen in cæteris quoque a regia virtute, & moribus longe diſcedens, jus & honorem ſancti Petri (quantum ad te) imminuiſti & alienaſti, dum ejus regnum a Rege Teutonicorum in beneficium (ſicut audivimus) ſuſcepiſti. Quod ſi verum eſt, qualiter gratiam B. Petri, aut noſtram benevolentiam ſperare debeas, tu ipſe, ſi juſtitiam vis attendere, non ignoras: videlicet te non aliter eam habiturum, nec ſine Apoſtolica animadverſione diu regnaturum, niſi ſceptrum regni quod tenes, correcto errore tuo, Apoſtolicæ, non regiæ majeſtatis beneficium recognoſcas. Neque enim nos timore vel amore, aut aliqua perſonali acceptione (quantum Deo adjuvante poterimus) debitum honorem ejus, cujus ſervi ſumus,*

Jesu Chr. an. 1074. Rom. dicit eccleſiæ vectigale. *Lib. 2. epiſt. 13.*

JESU CHR. AN. 1074.

irrequiſitum relinquemus. Verum ſi hæc emendare, & vitam tuam (ut Regem decet) inſtituere, & Deo miſerante adornare volueris; proculdubio dilectionem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſicut matris dilectus filius, & noſtram in Chriſto amicitiam plene habere poteris. Dat. Romæ quinto Kal. Novemb. Indictione 13. Ideſt hoc anno.

Gregorius ſequeſter pacis inter Geiſam, & Salomonem de Regno contendentes. *Lib.* 2. *epiſt.* 70.

32. Cumque prævalente Geiſa, Salomon Regnum amiſiſſet, & ſequeſter quidem pacis adfuit Gregorius, ac Salomonem juſto Dei judicio Regno excidiſſe, eo quod B. Petri protectionem ſpreviſſet, ac Rom. eccleſiæ jura violaſſet. Unde ad Geiſam, qui Regnum invaſerat, poſt aliqua de Salomone hæc addit. *Verum ubi comtempto nobili dominio B. Petri Apoſtolorum Principis, cujus Regnum eſſe prudentiam tuam latere non credimus, Rex (Salomon ſcilicet) ſubdit ſe Theutonico Regi, & Reguli nomen obtinuit, Dominus autem injuriam ſuo illatam Principi prævidens, poteſtatem Regni ſuo ad te judicio tranſtulit, & ita ſi quid in obtinendo Regno juris prius habuit, eo ſe ſacrilega uſurpatione privavit &c.* Ac multa alia per litterarum portitorem ſe eidem deferenda commiſiſſe addit. Interea ad Judith Salomonis conjugem, Agnetis Imperatricis filiam, quæ cum merito adverſam paſſa fuiſſet fortunam, cum marito extorris Regno facta, conſolatoriam dedit epiſtolam, qua non ſolum orationes ſuas eidem offert, ſed etiam pro opportunitate auxilium, ac ut patienti animo adverſitates anguſtiaſque ferret, hortatur, ut ibidem videre eſt. Ac data dicitur, *Romæ quarto Idus* Januarii indict. 13. ideſt initio anni proximi 1075.

Lib. 2. *epiſt.* 44.

Alteram ſynodum in urbe Gregorius celebrat. *Noris hiſt. delle inveſtiture pag.* 42. *Concil. to m.* 20. *pag.* 435. *Greg. lib.* 2. *epiſt.* 33.

33. Poſt ſynodum hoc eodem anno in Dominica primæ hebdomadæ quadrageſimæ celebratam, cujus ſupra mentionem fecimus, alteram definente fere anno, ſeu in feſto S. Andreæ ab eodem Pontifice habitam fuiſſe adnotat Noriſius, ac miratur de eadem conciliorum editores omnino siluiſſe; At in noviſſima ipſorum editione, quæ adhuc ſub prælo Venetiis eſt ejuſdem mentio habetur p. 435. Ejuſdem etiam meminit Gregorius non uno in loco. In epiſtola ad Cunibertum Taurinenſem Epiſcopum hæc habet. *Licet adverſus præſumptionem tuam durius invehi deberemus, quia vocatus ad ſynodum, quam circa feſtivitatem S. Andreæ celebravimus venire contempſiſti &c.* Ac ut ab moleſtiis Abbati, & monaſterio S. Michaelis inferendis ſe ſe abſtineret, hortatur, deinde ut ad proximam anno

anno futuro ſynodum in urbe celebrandam properaret, jubet. *Quapropter iterum te Apoſtolica auctoritate monemus, ut ad ſynodum, quam in prima ſeptimana Quadrageſimæ celebraturi ſumus, venias &c.* Ad quam abbas prædicti monaſterii adfuturus erat, cui ut in urbe moras traheret Gregorius juſſerat, ut ibidem narrat. Hinc etiam Liemaro Bremenſi Archiepiſcopo inter cetera exprobrat, quod *ab eiſdem*, legatis ſcilicet ſuis *vocatus, Romam ad inſtitutum terminum, feſtivitatem ſcilicet S. Andreæ non veniſti &c.* At de geſtis hoc anno hactenus.

Jesu Chr. an. 1075.

JESU CHRISTI AN. 1075. GREGORII SEPTIMI PAPÆ AN. 3. MICHAELIS DUCÆ IMP. AN. 9.

1. Ad ſynodum prima Quadrageſimæ hebdomada in urbe celebrandam Cunibertum Taurinenſem Epiſcopum, aliosque ex Italia, Germania, & Galliis Gregorius Papa anno proximo, ut ibidem diximus, evocaverat, & revera ibidem tempore habitam fuiſſe certo ſcimus, quamvis ejus acta perierint, multa tamen, eaque gravia ibidem conſtituta fuiſſe, tum ex Gregorii litteris, cum ex aliis ſcriptoribus intelligimus. Gregorius enim Henrico Regi ſcribens, inter cetera perperam ab eo geſta, quod eccleſias, ſe inſcio, ſeu ut dicebatur per inveſtituram, ſeu traditionem Paſtoralis, & annuli daret, exprobrat, quod Romanæ ſynodo decreto nuper edito prohibitum fuerat. Unde inter plurima addit. *Congregata namque hoc in anno apud Apoſtolicam ſedem ſynodo, cui nos ſuperna diſpenſatio præſidere voluit, etiam nonnulli tuorum interfuere fidelium, videntes ordinem chriſtianæ religionis multis jam labefactatam temporibus, & principales ac proprias lucrandarum animarum cauſas diu prolapſas, & ſuadente Diabolo conculcatas, concurſi periculo & manifeſta perditione Dominici gregis, ad ſanctorum patrum decreta doctrinamque recurrimus, nihil novi, nihil adinventionis noſtræ ſtatuentes, ſed primam & unicam eccleſiaſticæ diſciplinæ regulam, & tritam ſanctorum etiam relicto errore repetendam, & ſectandam eſſe cenſuimus &c.* Ideſt canonicas Epiſcoporum, & Abbatum electiones, ab clero & populo, vel ab monachis peragendas. *Hujus autem decreti*, ſubdit, *quod dicunt, humanos divinis honoribus præponentes, importabile pon-*

Synodus Rom. ab Gregorio in urbe celebrata.

Lib. 3. epiſt. 10.

Gregorius inveſtituras eccleſiarum abrogat.

JESU CHR. AN. 1075.

pondus, & immenſam gravitudinem: nos autem magis proprio vocabulo recuperandæ ſalutis neceſſariam veritatem vocamus, & lucem non ſolum a te vel his, qui in regno tuo ſunt, ſed ab omnibus terrarum Principibus, & populis, qui Chriſtum confitentur, & colunt, devote ſuſcipiendam & obſervandam adjudicamus &c. Et cetera ibidem legenda. Id etiam confirmat Hugo Flaviniacenſis in chronico Virdunenſi coœvus auctor hæc ad annum 1074. adnotans. *Quia vidit*, Gregorius Papa, *hoc Sanctorum Patrum adverſari decretis, ut in canonica electione Epiſcopi prævaleret donum Regis, imo multoties ipſam electionem immutaret, vel potius irritam faceret: eodem anno* (imo anno 1075.) *in Rom. Synodo quinquaginta Epiſcoporum, conſidente Presbyterorum & Abbatum multitudine, juxta decreta Pontificalia, & inſtitutiones canonicas, ne hoc amplius a quoquam præſumeretur, prohibuit, ſub interminatione anathematis decretum faciens in hæc verba: ſi quis deinceps Epiſcopatum, vel Abbatiam de manu alicujus laicæ perſonæ ſuſceperit, nullatenus inter Epiſcopos, vel Abbates habeatur, nec ulla ei ut Epiſcopo, vel Abbati audientia concedatur. Inſuper etiam gratiam beati Petri, & introitum eccleſiæ interdicimus, quoad uſque locum, quem ſub crimine tam ambitionis, quam inobedientiæ, quod eſt ſcelus idolatriæ, cepit, deſeruerit. Similiter etiam de inferioribus Eccleſiaſticis dignitatibus conſtituimus. Item ſi quis Imperatorum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel quæcunque ſecularium poteſtatum, aut perſonarum inveſtituram Epiſcopatus, vel alicujus Eccleſiaſticæ dignitatis dare præſumſerint ſententiæ vinculo ſe adſtrictum ſciat &c.* Ac Gregorii decretum variis conciliorum canonibus conſonum fuiſſe adnotat. *Secutus autem eſt in hoc Patrum exempla, licet jam per multa annorum curricula damnabilis hæc conſuetudo inoleviſſet, & in uſum converſa eſſet &c.* Quam conſuetudinem, ſeu potius abuſum ab ſeptima, & octava ſynodo oecumenicis, aliiſque damnatam fuiſſe adnotat. Hinc addit. *Viderint igitur viri cordati, quod juris Imperatoribus, Regibus, & Principibus in electione Pontificis reſervaretur.* Anſelmus etiam Lucenſis Epiſcopus, qui concilio interfuit, lib. 2. contra Vicbertum ſchiſmaticum, ejuſque ſequaces, poſtquam expoſuit mala, quæ ex damnabili inveſtiturarum abuſu proveniebant, ſubdit. *His tantis cladibus, quæ contingunt ex præfatis promotionibus, Gregorius ſeptimus obvia-*

Gregorii Papæ decretum de inveſtituris abrogandis.

obviare cupiens, Romana synodo quinquaginta Episcoporum, considente Presbyterorum, & Abbatum multitudine. per omnia sanctis præfatis patribus consonantiu decreta statuit, dicens: Si quis deinceps Episcopatum, vel Abbatiam, & cetera, quæ in Gregorii decreto supra exscripsimus. Arnulphus etiam hujus temporis scriptor lib 4. cap. 3. de Henrico Rege loquens, qui ut Gregorii conatibus resisteret, cum Roberto Apuliæ Principe societatem inierat, subdit. *Dum de hac re discurrerent nuncii, præfatus Papa habita Romæ synodo,* hoc anno, *palam interdicit Regi jus deinde habere aliquod in dandis Episcopatibus, omnesque laicas ab investituris ecclesiarum summovet personas, insuper facto anathemate cunctos Regis clamat consiliarios, id ipsum Regi comminatus, nisi in proximo huic obediat constituto.* Hactenus de Gregorii decreto tunc primum de abrogandis investituris edito, quod postea non semel confirmavit, ac pro viribus, ut observaretur, conatus est, ut ejusdem gesta & epistolæ posthac datæ testantur.

JESU CHR. AN. 1075.

Apud Murat. tom. 3. rer. ital.

2. In eadem hac Romana synodo, quæ secunda passim dicitur, cujus vix fragmentum extat, alia quoque statuta fuisse ex epistola Gregorii ad Aurelianensem Clericum, seu Curardum, quæ data dicitur Romæ in synodo secunda Kal. Martii indict. 13. Ejusdem autem synodi acta, quæ supersunt, seu fragmentum hæc continet. *Anno ab Incarnatione Domini* 1074. cum ab die Incarnationis Domini, seu ab Virginis annunciatione annus inciperet, ac proinde ab Natali annus 1075. in cursu erat. *Pontificatus Domini* Gregorii Papæ septimi secundo, cum tertius jam ab die 22. Aprilis inciperet. *Indict. 13. celebravit ipse Dominus Papa Gregorius Romæ synodum a sexto Kal. Martii, usque ad pridie Kal. sequentis mensis, cui interfuit Archiepiscoporum, Episcoporum & Abbatum multitudo, atque diversi ordinis clericorum, & laicorum copia. In qua inter cætera decreta, quæ ibi gesta sunt, quinque de familia Regis Teutonicorum, quorum consilio Ecclesiæ venduntur, a liminibus sanctæ ecclesiæ separavit, ita ut si ab inde usque ad Kolend. Junii Romam venirent, & satisfacerent, excommunitati haberentur. Philippus Rex Francorum, si Nuntiis Papæ ad Gallias ituris de satisfactione sua, & emendatione securitatem non fecerit, habeatur excommunicatus. Liemarum Bremensem Archiepiscopum pro inobedientia superbiæ suæ ab Episcopali officio suspendit, & a*

Aliæ Rom. synodi decreta. *Lib. 2. epist. 52.*

Labb. concil. novæ edit. tom. 20. pag. 443.

JESU CHR. AN. 1075.

& a corpore, & sanguine Domini interdixit. Guarnerium Strazburgensem ab Episcopali, & sacerdotali officio suspendit. Henricum Spirensem suspendit, Herimannum Bambergensem, si ante Pascha non venerit satisfacturus, similiter suspendit. Item in Longobardia Guillelmum Papiensem, & Cunibertum Taurinensem suspendit. Dionysium Placentinum deposuit, Robertum Ducem Apuliæ jam anathematizatum, & Robertum de Loritello invasores bonorum sancti Petri excommunicavit. Hucusque ibi de synodalibus actis.

Episcopi plures in Rom. synodo suspensi, aut depositi *Lib. 2. 54. 76. lib. 3. 3.*

3. De gestis autem in eadem synodo quam plurimæ extant Gregorii epistolæ, nimirum de Dionysii Placentini Episcopi depositione ad Placentinum clerum, de suspensione Herimanni Episcopi Bambergensis Epistola ad Ecclesiam Bambergensem, ad Sigefridum Archiepiscopum Moguntinum; nec non ad ipsum Henricum Regem, in qua ista de ipso. *Simoniacus enim ille Herimannus dictus Episcopus, hoc anno ad Synodum Romæ vocatus venire contempsit. Sed cum propius Romam accessisset, in itinere subsistit, & præmittens nuntios suos cum copiosis muneribus, noto sibi artificio innocentiam nostram, & confratrum nostrorum integritatem pactione pecuniæ attentare, atque si fieri posset, corrumpere molitus est. Quod ubi præter spem evenit, tam de damnatione sua securior festinanter retrocessit, & blandis, fallacibusque promissis clericorum, qui secum erant, animas lactans, ajebat se, si patriam repedare posset, ab Episcopatu cessaturum, & monasticæ vitæ professionem subiturum. Quam sponsionem qualiter impleverit, celsitudinem tuam, fili charissime, non latet. Quin etiam temeraria ulterius progressus audacia, clericos Ecclesiæ suæ salutem, & honorem quærentes bonis suis despoliavit, & nisi eum tua (ut audivimus) regalis potentia refregisset, penitus confudisset. His excessibus diligenter consideratis, ab Episcopali, atque sacerdotali officio dejecimus &c.* Extant, & aliæ eodem argumento ab eodem Gregorio scriptæ litteræ ad Clerum populumque Bambergensem, & ad Henricum Regem rursum, ut alium in locum ipsius subrogandum curaret. Totam hanc historiam de Herimanni Bambergensis Episcopi excommunicatione, & ab Episcopatus, & sacerdotii depositione fusius est prosequutus Lambertus hoc anno; de quo etiam post enarratas ab eo sæpius iteratas adversus jussa Apostolicæ Sedis inobedientias, & contuma-

tumacias, hæc habet ſub eodem anno. *Herimannus Bambergenſis Epiſcopus comperto quòd alius in locum ejus ſubrogatus eſſet Epiſcopus, cum omnis jam ei ſpes adempta eſſet recuperandæ deinceps dignitatis ſuæ, nec ad eludendam Romani Pontificis ſententiam ullum ultra pateret diverticulum; in monaſterium, cui nomen eſt Suarza, ſeceſſit, ibique ſub Eggeberto Abbate, ſanctæ converſationis habitum ſuſcepit; ſtatimque aſſumpto ſecum eodem Abbate ſuo Romam profectus eſt. Cum de inobedientia ſua humiliter apud ſedem Apoſtolicam pœnitentiam egiſſet, & anathemate liberatus, & ſacerdotalis miniſterii, præter pontificalem dignitatem, denuo licentiam eſt conſecutus.* Hæc Lambertus. De Henrico autem Spirenſi Epiſcopo in eadem ſynodo ſuſpenſo, narrat Lambertus, eumdem in ſua pervicacia perſeverantem, terribili Dei judicio, e vivis repente ereptum fuiſſe, cum ſprevisſet admonitionem clerici cujuſdam nomine Huzmanni ejus in ſede Spirenſi ſucceſſoris, cui Deus per viſionem imminentem ejus exitum revelaverat, ut ibidem videre eſt, vel apud Bar. num. 14. hujus anni.

Jesu Chr. an. 1075.

4. In eadem quoque ſynodo compoſita fuiſſe diſſidia inter Pragenſem Epiſcopum, & Meravienſem declarant litteræ ejuſdem Gregorii Papæ, immo decretum ejuſdem ſententiæ ibidem auctoritate Apoſtolica promulgatæ. Incipit *Quoniam ad memoriam &c.* Scribens idem Gregorius Papa ad Patriarcham Aquilejenſem, quæ præcipue in eadem Synodo fuerint conſtituta, immo repetita, quæ in aliis ſæpe ſuperius Conciliis erant promulgata, his verbis ſignificat. *Fraternitatis tuæ prudentiam latere non debet, neque tui ordinis dignitatem ignorare oportet, quæ ſtatuta, quæque decreta in peracto Concilio præteritæ Quadrageſimæ conſilio confratrum noſtrorum, ac totius conventus aſſenſu, ſequentes ſanctorum Patrum auctoritatem, ſtatuimus. Decrevimus enim, quod ſi quis eorum ordinum, qui ſacris altaribus miniſtrant: presbyter ſcilicet, diaconus, & ſubdiaconus uxorem, vel concubinam habet, niſi illis omnino dimiſſis, dignam pœnitentiam agant: ſacris altaribus penitus miniſtrare deſiſtant, nec aliquo Eccleſiæ beneficio ulterius potiantur, ſive potitis fruantur. Qui vero ſimoniace, videlicet per interventum pecuniæ ſunt promoti, ut abſque ulla ſpe recuperationis deponantur, Apoſtolica cenſura ſtatuimus.* Atque ibidem ſtatuta, datis undique

Alia ſynodi decreta de Clericorum incontinentia. *Lib. 2. 53.*

JESU CHR. AN. 1075. *Lib. 2. epist. 61. 62. 66. 67. 68. &c.*

litteris per totum Occidentem vulgari, & executioni mandari præcepit, præcipuos etiam Germaniæ Episcopos excitans, ut congregatis suæ Metropolis Episcopis synodali auctoritate eadem vulgarent, ac ecclesias sibi commissas, ab iis sordibus, Simonia scilicet, & incontinentia clericorum expurgarent. Hinc ad Annonem Colonienſem Archiepiſcopum. *epist. 68.* *Carissime frater*, ait, *de obedientia tui securior, fiducialius adhortor, & moneo, atque communis Domini B. Petri auctoritate præcipio, ut ad castitatem clericorum prædicandam, atque inculcandam, juxta Patrum decreta, & canonum statuta cum suffraganeis tuis omnibus studiosius accingaris &c. Ut sponsæ Christi, quæ maculam nescit, aut rugam, candidatæ, & immaculatæ familiæ gratiosum exhibeatur officium &c.* Hunc porro Annonem Colonienſem, poſtquam diu ægrotaſſet, hoc anno obiiſſe, Lambertus, & auctor vitæ ejusdem admonent. De Moguntino vero Archiepiſcopo Lambertus ſupracitatus adnotat, Romam hoc anno pro causa Bambergenſis Epiſcopi profectum, vix ad communionem ſuam a Gregorio admiſſum, eo quod Epiſcopum ſimoniacum ordinaſſet. Demum vero ad ſua rediiſſe, ibique juxta Gregorii præceptum ſynodum congregaſſe, nil tamen profeciſſe. Unde de ea hæc Lambertus. *Synodum autem hoc eodem anno mense Octobri Moguntiæ congregavit, ubi inter alios Episcopos, qui convenerant, aderant Curiensis Episcopus Apostolicæ Sedis litterat, & mandata deferens, quibus ei sub interminatione gradus, & ordinis sui præcipiebat, sicut antea quoque multis legationibus præceperat, ut presbyteros omnes, qui intra suam diœcesim essent, cogeret aut in præsentiarum conjugibus renuntiare, aut se in perpetuum sacri altaris ministerio abdicare. Quod dum facere vellet, exurgentes, qui undique assidebant clerici, ita eum verbis confutabant, ita manibus & totius corporis gestu in eum debaccabantur, ut se vita comite e synodo discessurum desperaret. Sic tandem rei difficultate superatus, statuit sibi deinceps tali quæstione omnino supersedendum, & Romano Pontifici relinquendum, ut causam, quam ipse toties inutiliter proposuisset; ille per semetipsum quando, & quomodo vellet, perageret.* Hæc Lambertus, qui & verſipellem hominem fuiſſe eumdem Sigefridum Archiepiſcopum Moguntinum oſtendit, dum docet, eumdem uſum, vel abuſum potius auctoritate Apoſtolicæ

Concilii Moguntini inanis exitus.

licæ Sedis ad commodum Regis, non autem ad utilitatem periclitantis Ecclesiæ, ut cum armavit milites detrectantes adversus miseros Thuringios, & concitavit illos adversus eos auctoritate male præsumpta Apostolicæ sedis, ut idem auctor ibidem a Baronio relatus adnotat. Sigefridum scilicet Lotharingios propria auctoritate inauditos, nec synodali sententia discussos præcipiti sententia excommunicasse, idque se auctoritate Apostolicæ sedis feciſſe addidit, ut eo prætextu *exercitus Regis promptior deinceps, fidentiorque adversus eos bellum gereret, de quorum occisione, si post excommunicationem occisi fuissent, putaret, se nec peccatis obnoxium, nec pœnis, quos leges ecclesiasticæ statuunt homicidis.* Ceterum longe abest, ut Gregorius æqui observantissimus hæc ei in mandatis dederit, quin ut ex ejus litteris apparet, contumaces etiam, & sceleſtos, ut ad pœnitentiam magis, quam supplicium provocarent, hortatus est. JESU CHR. AN. 1075.

5. Interea hujus anni initio antequam indictæ synodi tempus adesset, Gregorius Papa tamquam speculator a Deo positus, tantam ubique in orbe christiano morum perversitatem ægre ferens, ac Episcopos ipsos, ceterosque clericos, vitio Simoniæ, ac luxuriæ contaminatos ut plurimum videns, cum ubique adesse non posset, ad ecclesiæ reformationem tentandam legatos suos misit Abbatem S. Bonifacii Gepizonem, & Abbatem Maurum S. Sabæ cum Apostolicis litteris datis quarto nonas Januarii, quarum initium est. *Notum vobis est, quod succrescente nequitia &c.* Atque se ubique adesse non posse adnotans, ut legatis suis parerent, atque in procuranda reformatione eos adjuvarent, cunctos fideles, ad quos litteras dedit, hortatus est; legatis autem suis, ut Feretranæ, & Eugubinæ ecclesiæ res sollicite curarent, jussit, & epistola altera idibus Januarii data sub eadem indictione decimatertia, legatos suos Abbates admonet, ut ablatas res, vel incaute ab Episcopo distractas Pisaurensis ecclesiæ restituere faciant. Innumeras porro alias hujus anni initio epistolas ab eo scriptas continet liber secundus epistolarum ejus, quibus varia pertractat argumenta, quæ ad morum correctionem, ecclesiarumque incolumitatem, vel concordiam spectant, ut ibidem videre est, ex his nonnullas ad viros Principes datas tantum commemorabimus, quarum prima ad comitissam Mathildem inscripta, jubet ei, ut ab maritali Azonis Marchionis

Gregorii sollicitudo pro reformatione ecclesiæ.

Lib. 2. epist. 40.

Epist. 41.

Lib. 2. epist. 36. ad 53.

Epist. 36.


image
not
available


image
not
available

JESU CHR. AN. 1075. *Lib. 3. epist. 3. & 5.*

patet. Hinc ut eum obsequentiorem sibi redderet Gregorius, dissimulatis iis, quæ perperam, seu potius perverse hactenus in ecclesiarum nundinationibus, vel concubinariorum protectione egerat, de Herimanni Bambergensis Episcopi simoniaci depositione scribens, ipsum commendans hæc præfatur. *Inter cetera bonarum virtutum opera, fili charissime, ad quæ te meliorationis studio assurgere, fama referente audivimus: duobus te modis sanctæ matri tuæ, Romanæ Ecclesiæ scilicet, eminentius commendasti: in altero quidem, quia simoniacis viriliter resistis; in altero, quia clericorum castitatem, utpote servitorum Domini, & libenter approbas, & efficaciter desideras adimplere. Quibus de causis signum nobis proposuisti, opitulante Deo, altiora de te, & præstantiora quæque speranda &c.*

Lib. 3. epist. 5.

Henrici Regis epist. ad Gregorium de servanda pace.

8. Aliæ quoque ejusdem Gregorii extant epistolæ, ad Henricum datæ, quibus benevolo in eum animo se fuisse testatur, extantque etiam ejusdem Henrici Regis epistolæ ad Gregorium hoc anno scriptæ, quibus se cum eo pacem servaturum fore ajebat, legatosque ad mutuam inter eos pacem ineundam misit, quibus has litteras dedit, quas in suis ad Beatricem, & Mathildem litteris recitat Gregorius. *Noverit vestra sanctitas, pater, quoniam dum ego pene omnes Principes mei Regni de nostra magis discordia, quam de mutua pace gauderc percipio: ad vos ipsos Nuntios latenter dirigo, quos satis nobiles, ac religiosos esse cognosco, & pacis bonum inter nos optare conjungi, nequaquam dubito. Hoc autem quod modo, nemine scire volo præter vos, dominam matremque meam, atque amitam Beatricem, & filium ejus Mathildam: Me vero (adjuvante Domino) de expeditione Saxonica redeunte, alios Legatos dirigam quam familiariores, ac fideliores habebo, per quos omnem vobis meam voluntatem, & reverentiam, quam beato Petro, & vobis debeo, significabo.* Hucusque ad Gregorium Papam Henricus Germaniæ Rex. Sed & aliis quoque litteris hoc anno datis idem Rex (ut ipse Gregorius testatur) se filium sanctæ Romanæ ecclesiæ, & ipsi Gregorio subjectum, dilectione unicum, atque devotione præcipuum esse professus, commendans se ipsi omni affectu amoris, & reverentiæ. His vero devotionis suæ, & obsequii testificationibus respondens Gregorius Papa litteris alteris ad eum datis, legatos suos se recepisse ait, dum ægritudi-

Lib. 3. epist. 7.

tudinis causa extra urbem esset, de Saxonica victoria gratulatur, & ut mitius cum iis ageret, hortatus est, quodque religiosis viris discordiæ causas, quæ inter eos excitatæ fuerant, sopiendas commisisset, gratias agit, interea ut in locum Herimanni Episcopi depositi, alium in Bambergensi sede canonice subrogandum curaret, hortatur. De pace autem inter eos servanda hæc addit. *Sed quia desideramus non solum vobiscum, quem Deus in summo rerum posuit culmine, sed etiam cum omnibus pacem, quæ in Christo est, habere, jusque suum unicuique observare, cupimus summopere corde, & animo adhærere. Novi enim (quod te credo non ignorare) quia qui Deum revera diligunt, & Romanam Ecclesiam Romanumque Imperium ad vindictam suorum criminum non pertimescunt, inter nos pacem, & concordiam inferere agendo, vel orando concupiscunt. Quapropter bonam concepi fiduciam; quia hanc nostram imo totius Ecclesiæ causam religiosis hominibus cœpisti committere, qui nos, non nostra injuste diligunt, & ut Christiana instauretur religio, sua intentione requirunt. Ego autem (ut paucis loquar) horum consilio paratus sum (Christo favente) gremium tibi sanctæ Romanæ Ecclesiæ aperire, teque ut dominum fratrem, & filium suscipere, auxiliumque prout oportuerit, præbere; nihil aliud a te quærent, nisi ut ad monita tuæ salutis non contemnas aurem inclinare, & Creatori tuo, sicut te decet, non contradicas offerre gloriam, & honorem.* Hæc, aliaque Gregorius ad fovendam, reintegrandamque cum Henrico Rege concordiam.

Jesu Chr. an. 9075.

9. Hactenus tamen Henricum simulasse, emendationemque ab male gestis promisisse, gesta posthac testantur. Cum enim Saxonico bello dubiæ aleæ, incertique eventus implicatus esset, Gregorii ope se in adversa fortuna indigere sciebat, neve Germaniæ Principes, qui opem eidem ferebant, abalienaret, se in Romanam ecclesiam obsequentiorem, ac ad Gregorii jussa exequenda paratissimum fore obtestabatur. At victoria de iis adepta, promissis non stetit, quin ad vomitum rediens pejora molitus est, ut ex dicendis infra constabit.

Henricus Rex simulatam concordiam violat.

10. Hanc Henrici Regis mutationem auctores coævi narrant, de quibus Paulus Berardensis in vita Gregorii septimi hæc adnotat. *Illo tempore Saxones, quoniam videbant ab eo* (Henrico Rege) *se nimium crude.iter tractari, unanimiter*

Henricus in pejora prolabitur. *Apud Murat. tom. 3. rer. Ital.*

JESU CHRIST. AN. 1075.

miter conſpiraverunt, ut pro Rege illum amplius non haberent. Tunc coactus ſupplices ad Apoſtolicum litteras direxit, orans, ut ſuis orationibus commendatum ſuſciperet quatenus eum de tam horrendo pavidoque judicio jam imminenti, ſuis meritis excelſi Regis dextræ eriperet, iterum iterumque promittens, nihil unquam amplius de Eccleſiis Dei facere, quod ſanctii Canones reprehendere poſſent. Cujus precibus motus Papa ejſdem Saxonibus litteras, & nuncios miſit &c. At ut paulopoſt ſubdit auctor, victoria elatus, *Cuncta, quæ per matrem, per Epiſcopos, per Clericos, per communes nuncios & privatos ante promiſerat: poſtmodum quia ſecurus, in irritum duxit. Siquidem eccleſias, quas in manu Domini Papæ corrigendas ſub juramento poſuerat, non ſolum non dimiſit, verum etiam contra decretales Patrum inſtitutiones, quibuſdam adulteris, & Simoniacis ſub inveſtitura contradidit.* Quod fieri Gregorius Romanæ ſynodi decreto hoc anno edito prohiberat. Domnizo etiam Presbyter in vita Mathildis verſibus exarata, de varia Henrici Regis agendi ratione, dum Saxonicum urgeret bellum, & poſt adeptam victoriam hæc narrat.

Murat. tom. 5. rer. Ital. pag. 362.

Quod Rex abſque more Papæ mandavit, adorans
Atque petens ipſum, pro ſe rogat Crucifixum,
Paſtor confeſtim Saxonum mittere genti
Curavit, plane pacem cupiens revocare.
Inde ſuus Miſſus donec redeat, jubet ipſum
Regem nullo modo ſuper ipſos pergere: quod non
Rex expectavit, Geleatus quin equitavit
Contra Saxones, qui fortes ſunt, & atroces.
Peccator quamvis, prudens tamen hic erat armis.
Commiſſo bello, victor Rex extitit ergo.
Unde ſuperbus adeſt, Papam deſpexit ut amens,
Omnia quæ Papæ, matrique ſpoponderat ante,
Fregit, & invertit, ſimoniacos revocavit &c.

Hæc de his Donizo Presbyter.

Henricus Thedaldum Mediol. Epiſc. eligit.

11. Inter cetera ab Henrico Rege contra fidem datam hoc anno perperam geſta Thedaldum quemdam Mediolanenſem Epiſcopum, cum duo jam ibidem electi eſſent, Gothofredus ſcilicet, cui Guido, ſeu Vido eam ſedem renunciaverat, & Atto ab Herlembaldi factione electus, cujus electionem


image
not
available

JESU CHR. AN. 1075. *quem Rex præterquam nobis litteris, ac legatorum verbis pro miserit in Mediolanensem Ecclesiam posuit, quod Episcopalem sedem, ad quam alia prius, quæ adhuc superstes est fuerit assignata persona, non satis ordinate susceperisse videtur. Quod cum per quosdam fideles nostros nostram requireret amicitiam, scripsimus ei hoc nos multum velle, & cupere, atque eo pacto facillimum convenire posse, si requisitis Apostolorum liminibus, & nostra præsentia causam promotionis suæ puram atque probabilem ostendere vellet, & posset. Ad quod exequendum amicabiliter eum vocavimus, & prefixo sibi termino ad proximam Synodum venturæ quadragesimæ, aut, si malit, ante Synodum firmam securitatem veniendi ad nos, & redeundi ex nostra parte promisimus, & dare parati sumus. Insuper etiam ne interim aliquem de sacris ordinibus gradum recipiat apostolica ei auctoritate interdiximus. Quod item, & vobis per eam, quam Beato Petro Apostolorum principi debetis obedientiam, & ex nostra quam per illum licet indigni suscepimus, apostolica auctoritate interdicimus, ut nullum vestrum ad promotionem alicujus ordinis manum ei præsumat imponere, donec oblata nobis sua præsentia, quid de introitu ejus judicandum & statuendum sit sincera, Deo adjuvante, possimus examinatione discernere &c.* Et ne quislibet ei manum inponere præsumat sub anathematis comminatione eis iterum inculcat: at ii, Gregorii præcepto spreto, Episcopum schismatici schismaticum consecrarunt, ut supra ex Arnulpho audivimus.

Herlembaldus a factionis occiditur. *Arnulph. lib. 4. cap. 8.*

12. Interea Mediolanensis urbs *An. Incar. Dom.* 1075. *Indict.* 13. *transactis quatuor a memorato superius incendio annis*, ait Arnulphus, *propinquante sanctissimo Paschæ festo, secunda videlicet Hebdomadis autenticæ feria, miseranda iterum civitas divinum persensit iracundiam, experta quam sit horrendum incidere in manus Dei viventis &c.* Nam ut subdit, erumpens illico ignis, tota pene civitas consumpta est, ut pluribus ibidem narrat auctor, deinde de Herlembaldi nece, hæc addit. *Inter tot angustias, tantosque dolores, ob urbis incendium, cum tota foret in urbe luctus omnis ordinis, atque ætatis utriusque sexus, solius Arimbaldi intrepidus perseverabat ac inflexibilis animus.* Ac Paschate instante, cum nullus Mediolani Episcopus esset, qui Cathecumenos baptizaret, Herlembaldus Luitprando Presbytero, ut eos baptizaret, jusserat, at exasperata plebs cum militibus conjuncta, ad arma properans, Herlembaldum cum

Cap. 9.

cum suis fortiter resistentem aggreditur. *Ubi vero circumventus est undique*, subdit is auctor, *illico crebris configitur ictibus dictoque citius moriens corruit, comitatu ejus exiguo circumquaque dispersо, cadaver ejus humi prostratum discerptis protinus exuitur indumentis, nudatumque fustibus undique tunditur, atque petris, ut qui vivens multis terrori fuerat, multorum subiaceret lusibus moriens*, ac nulla pompa posthac tumulatum fuisse addit. *Post hæc Luitprandus ille jam dictus Presbyter*, subdit auctor, *dum fugeret, inventus auribus truncatur, & naso, ut qui alienum præsumsit officium*, dum absente Episcopo baptismum Herlembaldi jussu administraverat, *quod habere videbatur, amitteret*, eo quod auribus, nasoque truncatus sacrificium offerre prohiberetur. Herlenbaldi necem decennio post Arialdi martyrium contigisse narrat Beatus Andreas in vita Arialdi, unde ad annum proximum 1076. Herlenbaldi martyrium differendum censent nonnulli Puricellus, Pagius anno 1076. not. 8. Eum tamen paulopost incendium urbis, quod hoc anno contigit, martyrium subiisse aperte Arnulphus indicat, eoque sublato, Thealdus Mediolanensis sedis possessionem inire facile potuit. Unde Arnulphus. *Susceptus est Præsul ille a clero, & populo, utpote novarum rerum usualiter avido; Cui etiam suffraganei ii ipsi, qui Gotefredum consecraverant, manus imponunt.* Herlenbaldus autem, qui Simoniacos, & uxoratos Sacerdotes, usque ad ultimum vitæ alitum persecutus fuerat, sopita populi seditione, ab catholicis, in ecclesia sanctorum Protasii & Aurelii sepultus est inter martyres, & sanctis inscriptus fuit, eo quod disciplinæ ecclesiasticæ tuendæ zelo, ab schismaticis occisus fuerit. *Ad cujus sepulchrum magna mirabilia usque hodie operatur Deus*, ait Bonizo pag. 813.

Jesu Chr. an. 1075.

Lib. 5. cap. 5.

13. Ad Luitprandum vero Presbyterum ab schismaticis auribus, nasoque truncatum, eo quod jubente vel suadente Herlenbaldo baptismum in Paschate, prætermissis vel spretis Ambrosianæ ecclesiæ ordinariis, sive Canonicis administraverat, consolatorium Gregorius septimus litteram scripsit, ab Landulpho juniori historiæ suæ insertam cap. 6. eaque S. Pontifex ob injurias ab schismaticis acceptas cum eo gratulatur, eo quod pro pietate decertans, auribus, & naso truncatus fuerat, neque ob id Sacerdotali officio removendum esse ait. *Quod si interior species nihil passa est destrimenti in abscissionibus,*

Gregorii epist. consolatoria ad Luitprandum Presbyterum. *Murat. rer. Ital. tom. 5. pag. 477.*

JESU CHR. AN. 1075.

nibus, non eſt abſciſſum a te Sacerdotale officium, quod proprium eſt ſanctitatis, & non tam conſideratur in integritate membrorum, quam in integritate virtutum. Proinde poſt aliqua addit, *martyr Chriſti confortare in Domino, magis credas in te nunc eſſe Presbyteratus officium, quod prius olei unctione, non tui ſanguinis eſt tinctione commiſſum.* Itique ſuam, & Apoſtolicæ ſedis protectionem offert, etſi ei neceſſarium fuerit, ut ad eam qualibet occaſione appellaret, excitat vel etiam adiret. *Cum gaudio, & magno honore ſuſcipere parati ſumus &c.* Hæc, & alia ibidem ad Luitprandum Presbyterum Gregorius.

Gregorii literæ ad Boleslaum Poloniæ Ducem. *Lib.* 2. 73.

14. Eamdem, quam pro Hungarici Regni pace ſervanda ſollicitudinem Gregorius habuerat, ut ejuſdem litteræ ad Geiſam, & Salomonem, qui de ejuſdem Regni poſſeſſione inter ſe decertaverant, teſtantur, quarum anno proximo mentionem fecimus, eamdem inquam pro diſciplina in eccleſiis Poloniæ reſtituenda geſſit, ut ex litteris ejus hoc anno ad Boleslaum Poloniæ Ducem datis, apparet, ob quam cauſam ſe legatos illuc miſiſſe admonet, præceteris, ut certam ſedem Poloniæ Metropolitano aſſignarent, & ut novas Epiſcopales ſedes ibidem erigerent. *Quod inter tantam hominum multitudinem*, ait, *adeo pauci ſunt Epiſcopi, & amplæ ſingulorum parochiæ*, ſeu Diœceſes, *ut in ſubjectis plebibus curam Epiſcopalis officii, nullatenus exequi, aut rite adminiſtrare valeant &c.* Et ut pacem in Regno ſuo, & cum Ruſſis religioſe ſervaret, admonet, quam pacem ob pecuniam Ruſſorum Regi ablatam, violaſſe videbatur, ut ibidem narrat Pontifex: litteræ vero *Romæ ſeptimo Kal. Maji Indict.* 13. datæ ſunt.

Gregorii litteræ ad Demetrium Ruſſorum Regem. *Lib.* 2. 74.

15. Legatos etiam ad Demetrium Ruſſorum Regem cum litteris ſuis paulopoſt miſit, ideſt, 15. Kal. Maji ejusdem indictionis 13. Quid vero tunc inter Ruſſorum Regem, & Gregorium actum ſit, Gregorii litteræ teſtantur, quas Regi, & Reginæ Ruſſorum inſcripſit, quibus hæc narrat. *Filius veſter Limina Apoſtolorum viſitans ad nos venit, & quod regnum illud dono ſancti Petri per manus noſtras vellet obtinere, eidem beato Petro Apoſtolorum principi debita fidelitate exhibita, devotis precibus poſtulavit. indubitanter aſſeverans, illam ſuam petitionem veſtro conſenſu ratam fore ac ſtabilem, ſi Apoſtolicæ auctoritatis gratia ac munimine donaretur.*

Cujus

Cujus votis ac petitionibus, quia justa videbantur, ex consensu vestro, tum ex devotione postentis, tandem assensum præbuimus, & regni vestri gubernacula sibi ex parte B. Petri tradidimus, ea videlicet intentione atque desiderio charitatis, ut Beatus Petrus vos & regnum vestrum, omniaque vestra bona; sua apud Deum intercessione custodiat, & cum omni pace honore quoque & gloria idem regnum usque in finem vitæ vestræ tenere vos faciat, & hujus militiæ finito cursu, impetret vobis apud supernum Regem gloriam sempiternam. Quin etiam nos paratissimos esse, noverit vestræ nobilitatis serenitas, ut ad quæcunque justa negotia hujus Sedis auctoritatem pro sua necessitate petierit, proculdubio continuo petitionum suarum consequetur effectum. Præterea ut hæc, & alia multa, quæ litteris non continentur, cordibus vestris arctius infigantur: misimus hos nuntios nostros, quorum unus vester notus est, & fidus amicus. Quia, & ea quæ in litteris sunt, diligenter vobis exponent, & quæ minus sunt, viva voce explebunt. Hunc Demetrium Russorum Regem bello a fratre vexatum hoc tempore fuisse, ac pro obtinendo auxilio ad Henricum Regem confugisse addit Lambertus.

JESU CHR. AN. 1075.

16. Alia hoc eodem anno cum litteris suis legationem ad Svenum, seu Svenonem Danorum Regem Gregorius Papa misit, quibus Romanæ ecclesiæ consuetudinem esse ajebat litteris, & legationibus omnes ubique per orbem, non solum populos, sed etiam Reges, & Principes vias Domini docere, & corripere, & de quorumdam Principum contumacia conqueritur, eo quod ecclesiasticas leges, monitaque Apostolicæ sedis spernerent. Cum Svenone tamen gratulatur, quod suam in Romanam Ecclesiam reverentiam hucusque servaverit, suumque in quibuslibet Ecclesiæ Danicæ negotiis studium polliceretur, & quæ ab Alexandro Pontifice petierat, se concessurum spondet; interea, ut legatos suos in urbem mittat, per quos ista tractari possint excitat.

Aliæ Gregorii litteræ ad Svenum Regem Danorum. *Lib. 2, 75*

17. Hoc autem eodem tempore. *Grave, & inauditum facinus Romæ patratum est*, ait Bonizo Sutriensis, *nam Deo odibilis Cencius conjuratione facta, in ipsa nocte nativitatis Christi Papam sacramenta celebrantem ad Altare S. Dei Genitricis, quod dicitur ad præsepe rapuit, & vulneratum ad Turrim, quam Romæ habebat miræ fortitudinis violenter usque perduxit. Quid plura Romani mox turrim obsi-*

Cencii Rom. Patricii in Gregorium insidiæ seu injuriæ. *Bonizo Sutr. lib. ad amicum apud Oselium rer.*

JESU CHR. AN 1075. *Boicarum tom. 2. p. 184.*

obſident, maneque facto vi capiunt, ipſumque ſceleſtum interfeciſſent, niſi eum beatiſſimus Gregorius boni magiſtri diſcipulus, precibus & ſupplicationibus a morte liberaſſet, iiſque geſtis, *ſequenti die Romani auctorem tanti flagitii, cum omnibus ſuis complicibus a civitate expellunt, turresque eorum ſolotenus deſtruunt*. Rem geſtam narrat Lambertus in chronico, ad annum proximum, qui in Natalitiis Domini incipiebatur. *Ipſo tempore contigit Papam per inmiſſionem Satanæ graviſſima pulſari adverſitate. Quidam urbis Romanæ Præfectus Quintius nomine* ſeu Cincius, *& generis claritate, & opum gloria eminens valde in tota Italia, multa in poſſeſſionibus Romanæ Eccleſiæ præter leges faciebat. Perlata ad Papam querimonia, cum eum ſæpius modeſte corriperet, nec quidquam proficeret ſecreta correptio, tandem excommunicavit eum, arbitrans hoc ſaltem modo improbitatem ejus coercendam fore. Hinc ille majori dementia efferatus, ipſa nocte Natalis Domini cum armatis inopinato irruit in Eccleſiam, in qua Papa veſtimentis pontificalibus indutus ſacro altari aſſabat, Miſſarum ſolemnia celebrans, injectaque (quod dictu quoque nefas eſt) in capillos ejus manu, multis contumeliis affectum de Eccleſia protraxit, & priusquam vulgato per civitatem rumore, populus frequens auxilio concurreret, in domum quandam muniti ſſimam abripuit. Fama tam atrocis facti totam illico replevit Urbem: undique ad arma conclamatur. Divites, & pauperes, nobiles, & ignobiles omnes uno animo accurrere, atque in ipſo ſtatim Orientis diei crepuſculo domum Quintii oppugnare ſumma vi aggrediuntur, & niſi ille mali, quod imminebat haud improvidus, Papam dimittere maturaſſet, domum ipſam, peremptis omnibus, qui in ea erant, a fundamento evertiſſent. Papa interveniente, concitatæ multitudinis furor vix & ægre compreſſus eſt. Romani quod factum fuerat graviter nimis & indigne ferentes, omnia quæ Quintii erant, tam intra muros, quam extra ferro, & igne demoliti ſunt. Nec minus ille multa militaris audaciæ facinora contra faciebat, ſuccendens & evertens omnia, quæ poterat de poſſeſſionibus Romanæ Eccleſiæ. Ita per multos dies non ſine magno & harum, & illarum partium diſpendio ſimultas hæc trahebatur.* Hucuſque Lambertus. Eademque fuſiori ſtylo Paulus Benridienſis in vita Gregorii ſeptimi, & Cardinalis Aragonius, qui addit, hæc Guiberti Schisma-

Murat. rer. Ital. tom. 3. vita Gregorii cap. 48, ad 58.


image
not
available

JESU CHR. AN. 1076. *Pilkins tom. 1. concil. Britan. pag. pag. 363.*

qui ex antiqua consuetudine, sive suarum ecclesiarum privilegiis digniores sedes habent. Hinc ceteris Lantfrancus Doroverneusis, seu Cantuariensis præfuit, quem Thomas Eboracensis, deinde Londinensis sequebantur. De monachis ex S. Benedicti regula, & ex Dialogis S. Gregorii statutum est, ut *Monachi ordinem debitum teneant; infantes præcipue, & juvenes in omnibus locis, deputatis sibi idoneis magistris, custodiam habeant; nocte luminaria ferant, generaliter omnes nisi a Prælatis concessa prioritate careant. Si quis vero aliquid proprii sine præfata licentia habere in morte fuerit deprehensus, nec ante mortem id reddiderit, cum pœnitentia, & dolore peccatum suum confessus, nec signa pro eo pulsentur, nec salutaris pro ejus absolutione hostia immoletur, nec in cœmeterio sepeliatur &c.* Episcoporum nonnullæ sedes ex castris in civitatibus tunc translatæ sunt, & ne alienus clericus reciperetur absque commendatitiis litteris, vel ne Episcopi in synodis sine licentia Metropolitani loquerentur statutum est. Consanguinitatis impedimentum ad nuptias contrahendas, usque ad septimum gradum, ex S. Gregorii decreto, extensum est, ut ne ullus *sacros ordines, aut officium ecclesiasticum, quod ad curam animarum pertineat*, emat, vel vendat: superstitionis ritus, & divinationes prohibitæ ibidem sunt, at hæc summatim adnotasse sufficiant.

Xiphilini CP. Patriarchæ obitus, cui Cosmas succedit. *Pag. not. 7. an. 1078. & 17. 1080. Zonaræ Annal. pag. 190. Anna Comn. lib. 3. p. 75. Dupin. concil. 11. pag. 398.*

21. Hoc anno Xiphilinus Patriarcha CP. vivere desiit, ut adnotat Pagius, cui *Cosmas illo loco dignissimus, & sanctitate plenus*, ut ait Anna Comnena lib. 3. successit, qui ex Hierosolyma ad urbem regiam, veniens, ac CP. Patriarcha ordinatus, tum Michaeli Imperatori, cum Nicephoro successori, quem etiam biennio post coronavit, in magna æstimatione fuit. Aliquas Xiphilini Patriarchæ homilias de Cruce recitat Gretserus tom. 2. plurimasque alias in Evangelia manuscriptas in Vaticana bibliotheca extare adnotat Pagius.

JESU CHRISTI AN. 1076. GREGORII PAPÆ VII. AN. 4. MICHAELIS DUCÆ IMP. 6.

De schismate exorto inter Sacerdotium, & Imperium.

1. Infaustum annum ingredimur, quo abrupto inter Sacerdotium, & Imperium unitatis, charitatisque vinculo, acerrimæ hinc inde dissensiones non solum exortæ sunt, sed

ſed civilia, cruentaque bella, & quod deterius eſt, atrox ſchiſma, quo Occidentalis, & præcipue Romana, & Apoſtolica eccleſia, longa annorum ſerie vexata fuit. Imperium vero attritum, concuſſumque eſt, nam eo vigente ſchiſmate, accidit, ut quinque Pſeudo Pontifices, ſeu ſchiſmatici Romanæ ſedi præficerentur, ac legitimi Pontifices, Petrique ſucceſſores, in ipſa urbe obſeſſi, aut captivi detinerentur, vel urbe, & Italia extorres vagarentur. Epiſcopi vero non ſine maximo eccleſiarum ſcandalo, & damno, pro alterutra parte certantes, eccleſiæ unitatem, diris modis dilacerabant. Atque in unum non ſemel congregati, adverſus contrariæ partis Epiſcopos concilia celebrarunt. Quot etiam Reipublicæ chriſtianæ damna inde profluxerint, enarrare, aut ſtylo proſequi quis poterit. Romanæ ſcilicet urbis obſidiones direptioneſque, ac in tota pene Italia ſtrages, nam civili bello graſſante, barbaris ſæpe in auxilium vocatis, provincia cum provincia, urbs etiam adverſus alteram ad internecionem uſque certatum eſt. Tunc etiam contigit, ut adverſus patrem religionis cauſa filius inſurgeret, Regnoque armata manu dejicere conaretur, cunctaque ſacra, & prophana violarentur, ut ex dicendis infra conſtabit.

Jesu Chr. an. 1076.

2. Quid nam inveſtituræ nomine intelligeretur, quas hoc edito decreto ultra dari S. Gregorius prohibuit. *Si quis deinceps Epiſcopatum, vel Abbatiam de manu alicujus laicæ perſonæ ſuſceperit, nullatenus inter Epiſcopos, vel Abbates habeatur &c.* Quidnam inquam id eſſet, quotque inde ad eccleſiaſticæ diſciplinæ everſionem incommoda ſequerentur, paucis nunc videamus, quod inconſulto, & ſine causa ſcriptores nonnulli, ex hæterodoxis, & catholicis a S. Gregorio tentatum, ac præſumptum fuiſſe, perperam ſcripſerunt. Quod ſane ſine tanti Pontificis injuria dici non poteſt: duobus itaque modis Epiſcopatuum, & Abbatiarum inveſtituras Principes dabant, cum ſcilicet a clero, & populo, vel a monachis electum Epiſcopum, vel Abbatem, Paſtoralis, & annuli traditione, Imperator, vel Rex ad Epiſcopatus, vel Abbatiæ poſſeſſionem immittebat, ac inde ab Metropolitano Epiſcopus, vel ab Epiſcopo Abbas conſecrabatur. His autem inveſtiendi modus etſi nulla eccleſiæ auctoritate probatus, recentioriſque conſuetudinis eſſet, tolerabilior nihilominus habebatur, eo quod canonica cleri, popu-

Quidnam inveſtituræ eſſent, quidve in iis reprehenſione dignum.

Moſheim. Venema hiſt. eccles. ſæcul. 11. aliique.

JESU CHR. AN. 1076.

populique electio præcedebat, quam etiam Metropolitani consecratio confirmabat, eumdemque investituræ modum Gregorii septimi prædecessores hactenus toleraverant, ac Gregorius ipse Anselmo Lucensi potestatem fecerat, ut ab Henrico investituram peteret, postquam is absolutionem ab excommunicatione promeruisset, uti supra adnotavimus. At alius hac ætate investituræ modus ab Henrico passim usurpatus irrepserat, cum scilicet absque canonica electione, vel consensu, Princeps Pastoralis, & annuli traditione quemlibet sibi acceptum, in Episcopum vacantis ecclesiæ, vel Abbatem eligebat, ac ad Metropolitanum, ut ab eo ordinationem acciperet, mittebat, qui sane investiendi modus, & canonicas electiones, tanta seculorum serie probatas abrogabat, ac multis corruptelis, & abusibus, qui jamdiu Christi ecclesiam fœdaverant, viam aperuerat, ut clarissimus Norisius in tractatu de investituris pluribus persequitur. Inde frequentes Cleri, populique quærelæ exoriebantur, cum ignoti, ac sæpe ignavi, litterarumque experti, quin etiam concubinarii, & Simoniaci Episcopi præficerentur. Ecclesiarum hinc nundinationes fiebant, cum non animarum pastores quærerentur, sed ecclesiarum emtores, unde passim Lambertus, aliique hujus ætatis scriptores, ab Henrico, ejusque administris Episcopatus, & abbatias venditas fuisse scribunt. *Ab his Episcopatus, & Abbatiæ, ab his quidquid secularium dignitatum est, emebatur*, ait Lambertus, qui de Erimanno Bambergensi Episcopo, post Gunthari obitum, ejus sedis invasore addit. *Profuso in emptionem ejus argenti, & auri inæstimabili pondere*, obtinuit, quod innumeris exemplis idem Lambertus confirmat, ac Henricus ipse, dum nondum in malo obduruisset, emendationem promittens, his verbis ad Gregorium scribens, confessus fuerat. *Non solum enim*, ait, *res ecclesiasticas invasimus, verum quoque indignis quibuslibet, & simoniaco felle amaricatis, & non per ostium, sed aliunde ingredientibus ecclesias ipsas vendidimus &c.* Hinc etiam fiebat, ut sub spe Episcopatus, vel Abbatias obtinendi nobiliores Regni Aulam frequentarent, sub eaque spe ministrarent. *Illis diebus investituras ecclesiarum Imperatores conferre solebant*, ait auctor vitæ S. Ottonis Bremensis Episcopi lib. 1. cap. 11. *Multi nobiles, & magni viri cognati, ac filii Principum in curia degebant, spe promotionis vice capellanorum*

Tom. 5. operum Noris.

Lib. 1. epist. 29.

rum Imperatori obſequentes. Unde Anſelmus Lucenſis in apologetico pro Gregorio Papa adverſus Henricum. *Sub ſpe Epiſcopandi Regum curiæ militare*, nobiles ſcilicet ad aulam frequentandam invitabat. Ut itaque tot, tantaſque ab eccleſia corruptelas extirparet Gregorius Papa Eccleſiaſticæ diſciplinæ reſtaurandæ ſtudioſiſſimus, ut Canonicæ Epiſcoporum, & Abbatum electiones in Epiſcoporum, vel Abbatum electionibus revocarentur, juſſerat, cumque id fruſtra a præceſſoribus ſuis tentatum fuiſſe cognoviſſet, omnem inveſtiturarum uſum prohibuit, eo quod experientia didicerat, quod dum illæ vigerent, iidem ſemper abuſus irreperent, ut ex geſtis ab ipſo Henrico Rege hoc, & ſuperiori anno manifeſtum eſt, dum invito Gregorio, qui Attonem Mediolanenſibus Epiſcopum elegerat, Thealdum dederat, quem etiam ab Epiſcopis Longobardiæ conſecrari fecerat, & hoc labente anno contra ejuſdem Gregorii præceptum, Spoletinum, & Firmanum Epiſcopos per inveſtituras, abſque ulla Cleri, populique electione elegerat. His autem prænotatis nunc hujus anni geſta proſequimur.

JESU CHR. AN. 1076.

Lib. 2. epiſt. 38.

Lib. 3. epiſt. 10.

3. Cum itaque Henricus Rex poſt victoriam adverſus Saxones obtentam ſuperbia elatus, Apoſtolicæ ſedis monita, ac præcepta ſpreviſſet, ita ut nec excommunicatorum conſortium vitaret, nec Romanæ ſynodi decretum, quo Epiſcopatus, & Abbatias ab Principibus, cleri populique electione prætermiſſa, per annuli, & paſtoralis traditionem dari prohibitum fuerat, obſervaret; quin poſt Mediolanenſem Epiſcopatum Tedaldo, ſeu Thealdo, Firmanum quoque, ac Spoletinum Epiſcopatum per inveſtituram dediſſet, tantum Apoſtolicæ ſedis contemptum haud diu tolerandum Gregorius cenſuit, ac datis ad eum litteris ut tandem promiſſis ſtaret, ſatisfactionemque Apoſtolicæ ſedi daret, enixe rogavit, eidem exprobrans, quod hactenus cum excommunicatis ſocietatem habuiſſet. *Unde excellentiæ tuæ conſulimus*, ait Pontifex, *ut ſi in hac re te culpabilem ſentis, cleri confeſſione ad conſilium religioſi alicujus Epiſcopi veniat, qui cum noſtra licentia, congruam tibi pro hac culpa pœnitentiam injungens, te abſolvat, ut nobis tuo conſenſu modum pœnitentiæ tuæ per epiſtolam ſuam veraciter intimare audeat &c.* Ac de fide ſibi data, promiſſisque violatis, dum pejora præſumpſiſſet, hæc addit. *Num ut de reliquis taceamus, quod*

Gregorius Henric. Regem admonet, ut male geſta corrigeret.

lib. 3. epiſt. 10.

JESU CHR. AN. 1076. *de causa Mediolanensi per matrem tuam, per confratres nostros Episcopos, quos ad te misimus, nobis promiseras, qualiter attenderis, aut quo animo promiseris, ipsa res indicat. Et nunc quidem ut vulnus vulneri infligeres, contra statuta Apostolicæ Sedis tradidisti Firmanam, & Spoletanam Ecclesiam (si tamen ab homine tradi Ecclesia aut donari potest) quibusdam personis nobis etiam ignotis, quibus non licet nisi probatis, & antea bene cognitis regulariter manum imponere.* Hactenus secunda querela de collatione, quam Rex sibi usurpaverat etiam in terris sub Romanæ Ecclesiæ dominio positis. Tertia vero, & illa subnectitur quærela de contemptis a Rege decretis synodalibus, quibus (ut vidimus) ipse Gregorius quidquid turpe in Ecclesia Dei, vel ex simoniaca labe, vel luxuriæ clericorum turpitudine esset asperſum, abstergere conatus fuerat, in quam rem quamplurima ibidem adnotat, ac tandem se ejusdem responsa, ab legatis ab eo mittendis expectare, addit. *Denique super his, quæ in epistolis tuis visa ac cognita reticemus, non antea tibi certa responsa dabimus, donec legati tui Rabbadi, Adelprech, & Vodeschal Bei, quos his adjunximus ad nos reverſi, super his, quæ illis tecum agenda commisimus tuam nobis plenius aperiant voluntatem, Dat. Romæ sexto Idus Januarii Indict.* 14.

Henricus Rex Gregorii monita, & legatos spernit.

4. Cum litteris Legatos quoque Gregorius misit, iisque jussit, ut Henricum admonerent, ut se ad synodum Romam in secunda appropinquantis quadragesimæ hebdomada celebrandam se sisteret, ut criminationibus objectis, vel se purgaret, vel debita pœnitentia expiaret. Cumque desinente anno ex Bamberga Goslariam Henricus transiisset, ubi Natale Domini celebravit, ibique conventum Principum Regni sui congregasset, ut narrat Lambertus ad hunc annum. *Aderant præterea Hildebrandi Papæ legati denunciantes Regi, ut secunda feria hebdomadæ in Quadragesima ad synodum Romæ occurreret, de criminibus, quæ objicerentur causam dicturus, alioquin sciret, se absque omni procrastinatione tandem eadem die, de corpore S. Ecclesiæ Apostolico anathemate abscindendum esse &c.* Ut etenim in Gregorii vita narrat Paulus de gestis ab Gregorio. *His ad Apostolicam sedem perlatis*, quæ scilicet contra promissam fidem Henricus gesserat, Papa Gregorius *non modicum conturbatus est . . . Verum ne Romana sede videretur aliquid injuste seu præcipitanter agere definitum est,*

Apud Murat. rer. Ital. tom. 3.

ut

ut scilicet alteræ ad eum litteræ scriberentur, quibus admoneretur, officio suo non defuturum Pontificem, nisi ab incœptis resipisceret, ecclesiæque satisfaceret.

JESU CHR. AN. 1076.

5. At Henricus, litteris acceptis, auditaque admonitione per legatos missa, qua Romam ad dicendam causam evocabatur, cunctis imperare, nemini subesse assuetus. *Mœrore & timore correptus* ait supracitatus Paulus auctor vitæ Gregorii, *hac illacque mente furibunda transcurrens, omnes nequam consiliarios advocavit &c.* Inter eos *Moguntinus fuit Archiepiscopus*, nempe Sigifridus, *& reliqui, qui sub ipso degebant suffraganei. Facta vero tali conventione, statuerunt, ut Imperialis constitutio, cunctos in suo Regno manentes Episcopos, cursoribus ubique missis, ante suam præsentiam juberet assistere, & coadunatis omnibus, anathemati, quod Moguntinus hæreticus contra B. Petri Vicarium, imo in Dominum, & Apostolum ejus componeret, subscriberent. Quod si forte motus aliqua reverentia quis eorum se subtrahere vellet, rebus omnibus, & dignitate privatus, ut Regalis majestatis obnoxius, capitalem subiret sententiam. Interea Legatis undique missis, ab urbe quidam Hugo* (cognomento Albus) *olim Cardinalis, tunc autem inter Episcopos hæreticos præcipuum caput (qui jam tertio ab Apostolica Sede damnatus fuerat quia quosdam Simoniacos reconciliare præsumpserat) fictitiis suis litteris Archiepiscoporum, & Episcoporum personas repræsentans advenit, laudans omnia, quæ super Dominum Papam composuerant, projectis in medium aliis Epistolis, sub omnium Cardinalium, Senatusque, ac populi nomine titulatis, quibus significabantur quædam proclamationes ad præsentiam Regiam delatæ, ubi etiam continebantur postulatio novi Pontificis, & abjectio legitimi Pastoris, subintulit etiam multas inimicitias, quas patiebatur a Nortmannis, a circumjacentibus Comitibus, ab ipsis etiam traditoribus in urbe manentibus. Quibus visus Rex non modice lætatus, ad opus componendum fomentum desideratum accepit. Adductis itaque in medium diabolicis Pontificibus, anathema super Dominum Papam, imo super se ipsos protulerunt* (nempe in Conventiculo Vormatiensi). *Missis etiam in Longobardiam, & Marchiam a latere Regis tam nunciis, quam apicibus, visum est, ut facto anathemati subscriberent. Congregatis ergo omnibus Papiæ, ex præcepto Regis, & magis ex propria malevolentia,*

Henricus conciliabolum Vormatiæ adversus Gregorium congregat.

JESU CHR. AN. 9076.

tia, & odio, ut res patuit, anathemati subscripserunt. Nam ad ostendendum magnæ voluntatis cumulum, positis sacrosanctis Evangeliis, juramento firmaverunt, nullo modo se deinceps Gregorium pro Papa habituros, vel obedientiam exhibituros, missisque nunciis, idem ut alii facerent, effecerunt &c.

Schismatici Gregorium Pap. anathemate damnant.

6. Eadem fere narrat Lambertus coœvus auctor in chronico. *Legatio Papæ scilicet, vehementer Regem permovit: statimque abjectis cum gravi contumelia Legatis, omnes qui in regno suo essent, Episcopos, & Abbates Vvormatiæ Dominica Septuagesimæ convenire præcepit: tractare cum eis volens ad deponendum Romanum Pontificem, si qua sibi via, si qua ratio pateret, in hoc cardine totam verti ratus salutem suam, & regni stabilitatem, si is non esset Episcopus.* At quis præparato fomiti addiderit ignem, malorum omnium incentor exsistens, sic idem auctor paulo inferius narrat: *Rex statuta die venit Vvormatiam, venerunt etiam Episcopi, Abbates amplissimo numero. Commode quoque conficiendis tantis rebus intervenit quidam ex Cardinalibus Romanis Hugo cognomento Blancus*, sive Candidus, qui alias ab Alexandro secundo, & Gregorio ipso in Gallias, & Hispaniam missus fuerat, uti supra diximus. *Quem ante paucos dies propter ineptiam ejus, & mores inconditos Papa de statione sua amoverat.* Idest Cardinalitia dignitate privaverat.

Hugonis calumniæ aliorumque in Gregorium vulgatæ.

7. Is itaque ira exardescens opportunam se ulciscendi occasionem nactus, ex conventu Vormatiensi, *deferens secum de vita & institutione Papæ scenicis figmentis consimilem tragœdiam, scilicet, unde oriundus, qualiter ab ineunte ætate conversatus, quam perverso ordine Sedem Apostolicam occupaverit, quæ ante Episcopatum, quæ post acceptum Episcopatum memoratu quoque incredibilia flagitia commiserit.* Quænam autem ista fuerint, auctor qui ea esse commentitia probe novit, scribere prætermisit. Sed Benno pseudo Cardinalis schismaticus in unum collecta vulgavit, mendaciorum scilicet, & calumniarum congeriem.

Gregorius Papa ab schismaticis Pontificatu dejicitur.

8. *Hujus auctoritatem*, Hugonis Candidi, sequitur Lambertus, *tanquam divinitus sibi destinatam, gratissime amplexati, & promptissime secuti, sententiam promulgarunt, quod Papa esse non possit, nec ullam juxta privilegium Romanæ Sedis, ligandi aut solvendi potestatem habeat, vel aliquando habuerit, qui tantis vitam probris ac criminibus commacu-*

JESU CHR. AN. 1076.

maculaverit. Cumque cæteri omnes damnationi ejus nihil hæsitantes subscriberent, Adalbertus Voirtzeburgensis Episcopus, & Herimannus Metensis Episcopus aliquandiu restiterunt, dicentes, incongruum valde, & contra canonum scita esse, ut Episcopus aliquis absens, absque generali concilio, sine legitimis, & idoneis accusatoribus, & testibus, necdum probatis criminibus quæ objicerentur, condemnaretur, nedum Romanus Pontifex, adversus quem nec Episcopi, nec Archiepiscopi cujusquam recipienda sit accusatio. Sed Villelmus Trajectensis Episcopus, qui causam Regis pertinacius tuebatur, vehementer imminebat, ut aut cum cæteris in damnationem Papæ subscriberent, aut Regi, cui sub jurejurando fidem spopondissent, protinus renuntiarent. Is eo tempore Regi admodum charus acceptusque erat, eique Rex omnium, quæ privatim, vel publice agenda erant, post se ordinationem delegaverat, vir secularibus litteris apprime eruditus, sed fastu nimio inflatus, vix se ipse ferebat. Igitur ex nomine omnium qui convenerant Episcoporum, & Abbatum plenæ contumeliarum litteræ Romam destinantur, quibus denuncietur Romano Pontifici, ut Pontificatu quem contra Ecclesiasticas leges usurpasset, se abdicet; sciatque post eam diem quidquid agat, jubeat, decernat, irritum habere. Hactenus Vormatiensis schismatici conventus acta, nam ecclesiasticam synodum dicere religio vetat, sed concilium malignantium.

Schismatici Gregorium Pontificatu abdicant. *Lupus concil. tom. 5. pag. 102.*

9. His gestis hac formula adstantes subscripserunt. *Ego N. civitatis N. Episcopus Hildebrando subjectionem, & obedientiam ex hac hora, & deinceps interdico, & eum posthac Apostolicum nec habebo, nec vocabo &c.* Hæc Bruno in historia Saxonica, Annalista Saxo dictus ab Eccardo vulgatus. His consentiunt quæ Domnizo scripsit in vita Mathildis, ubi postquam male ab Henrico gesta ante, & post victoriam Saxonicam narravit, de Vormatiensi conventu agens hæc subdit.

Plures perversos coadunans tempore certo.
Cum quibus adversum patrem loquitur reverendum,
Moguntinus ibi fuit Archiepiscopus, ipsi
Judicium totum tribuit Rex flagitiosus.
Huc Hugo tunc falsus venit qui dicitur Albus,
Officiis hic multis Romanæ presbyter Urbis.
Ter damnatus erat, pretio qui restituebat

Empto-

JESU CHR. AN. 1076.

Emptores Christi templorum, junctus & ipsis
Adversus Papam fungens mala, lætificabat
Corda malignorum, Regis simul, & sociorum.
Audax Antistes Moguntinus nimis ille,
Non Christum timuit, Papam quando maledixit,
Cuncta subscribunt. Magis ipsi se maledicent,
O blasphemia non unquam hic, neque posti abolenda.

Bonizo lib. ad Aniump. p. 816. 17.

Henrici litteræ calumniis refertæ ad Gregorium datæ.

10. Totam vero rei gestæ seriem Bonizo Sutrien. Episcopus, his facile præsens exponit, ac quot, quantisve calumniis Henrici litteræ ad Gregorium tunc datæ refertæ essent, vel ipse titulus earum, & ultima verba indicant, quarum hæc erat inscriptio. *Henricus non usurpatione, sed pia Dei ordinatione Rex, Hildebrando non jam Apostolico, sed falso monacho*, his vero verbis claudebatur. *Ego Henricus cum omnibus Episcopis nostris tibi dicimus descende.* Ab Apostolica scilicet Romana sede.

Freheri rerum German. script. tom. 1. Labb. tom. p. 474. edit. noviss.

11. His alias eodem felle tinctas, ac querelarum plenas ad Gregorium inscriptas litteras addidit, quasi sibi Regnum, & vitam eripere tentasset, exprobrans. *Cum hactenus* ait, *ex te ea, quæ patris sunt expectarem, tibique in omnibus magna fidelium nostrorum indignatione obedirem, percepi a te vicissitudinem, qualem oportebat ab eo, qui vitæ regnique nostri pernicioſissimus esse hostis. Nam cum in primis omnem hæreditariam dignitatem, quæ mihi ab illa sede debebatur, superbo ausu rapuisses, longius inde progrediens, regnum Italiæ pessimis artibus alienare tentasti. Nec hoc contentus, in reverendissimos Episcopos, qui nobis velut dulcissima membra uniti sunt manum mittere non timuisti, eosque superbissimis injuriis acerbissimisque contumeliis contra divina, & humana jura, ut ipsi ajunt, exacerbasti. Quæ omnia cum ego quidem patientia dissimularem, tu hoc non patientiam, sed ignaviam existimans, in ipsum caput ausus es insurgere, mandans quæ nosti, scilicet, ut tuis verbis utar, quod aut morieris, aut mihi animam, Regnumque tolleres &c.* Quare se Episcoporum Procerumque conventum celebrasse ait, in quo depositionis sententia adversus Gregorium lata fuerat, cui, ut subdit. *Ego quoque assentiens, omne tibi Papatus jus, quod habere visus es, abrenuncio, atque ut a sede urbis, cujus mihi Patriciatus, Deo tribuente, & jurato Romanorum assensu debeatur, de-*

Labb. ut supra.

JESU CHR. AN. 1076.

descendas edico. Has litteras Clero, populoque Romano scribens, quantas adversus Gregorium inimicitias susceptisset, manifestum fecit, ac eorum in se fidem, benevolentiamque laudans, ut ad ejiciendum e Rom. sede Gregorium sibi sociarentur, excitavit, his verbis clausit. *Exurgite igitur in eum fidelissimi, & sit primus in fide primus in ejus damnatione. Non autem ut ejus sanguinem fundatis dicimus, quippe cum major est ei post depositionem vita, quam mors, sed ut eum si nolit descendere cogatis, & alium communi omnium Episcoporum, & vestro consilio a nobis electum in Apostolicam sedem recipiatis, qui quod iste in ecclesia vulneravit, curare, & velit & possit*. Hactenus Henrici Regis epistolæ de Gregorii depositione in Vormatiensi conventu facta, quarum nulla apud Baronium mentio, utpote eo tempore nondum editæ.

Henrici litteræ synodo Rom. oblatæ, & lectæ.

12. Has autem litteras blasphemiarum, calumniarumque plenas quanta potuit sollicitudine in urbem ab legatis suis deferri Henricus curavit, ut in synodo ab Gregorio in secunda quadragesimæ hebdomada indicta legerentur, quod & factum est, legationis autem Henricianæ primus Rolandus quidam Parmensis clericus fuit. *Scripsit autem idem Rex Romam litteras*, ait Paulus Bernriedensis in vita Gregorii, *omni injuria inhonestas, falsitateque repletas, præcipiens Domino Papæ, de sede surgeret Ecclesiamque dimitteret: vocans eum perjurum, invasorem, & Regiæ dignitatis diminutorem, maxime simoniacis Longobardiæ elaborantibus. Statuerunt etiam ut non ante litteræ darentur, & verba, quam Synodus, quæ congregata fuerat in Romana Ecclesia, plenius hoc audire posset, quod etiam factum est. Nam, & Papa Synodum faciente, quidam Parmensis Clericus, Domini Apostolici ad injuriam, eisdem literis præsentare se non abhorruit: & easdem blasphemias in facie totius Ecclesiæ, & Conventus, proferre non formidavit*. Rolandus scilicet legationis Princeps, de quo hæc etiam in vita Mathildis narrat Donizo Presbyter.

Cap. 67. Murat. tom. 3. p. 333.

Mittendos apices Romam Rex edidit ipse
Qui de sede sacra dicebant surgere Papam
Injuste stantem, Papatum depopulantem
Quos synodo coram statuerunt mittere Romam

JESU CHR. AN. 1076.

Quidam Rolandus Parmenſis clericus aptus Eligitur, quarum gerulus tunc litterarum &c.

Longobardiæ Epiſcopi depoſitioni Gregorii ſubſcribunt.

13. Eadem autem de Gregorii depoſitione Vormatienſis conventiculi acta in urbem miſſa, feliciori exitu plauſuque ab Longobardiæ Epiſcopis excepta fuere, ut his verbis memorat ſupracitatus auctor vitæ Gregorii. *Miſſi etiam in Longobardiam, & Marchiam a latere Regis tam nunciis, quam apicibus, viſum eſt ut facto anathemati ſubſcriberent. Congregatis ergo omnibus Papiæ, ex præcepto Regis, & magis ex propria malevolentia, & odio, ut res patuit, anathemati ſubſcripſerunt. Nam ad oſtendendum malæ voluntatis cumulum, poſitis ſacroſanctis evangeliis, juramento firmaverunt, nullomodo ſe deinceps Gregorium pro Papa habituros, vel obedientiam exhibituros, miſſiſque nunciis, idem ut alii facerent effecerunt &c.*

Rom. ſynodus celebratur, Gregorii manſuetudo laudatur. *Cap. 69.*

14. Nunc Romanam ſynodum ingrediamur, in qua cum *Præcurſor Antichriſti*, ut ait Paulus Bernriedenſis, Gregorio Pontifici inter cetera dixiſſet: *Rex juſſit terræ, juſſerunt Pontifices-que ut linquas ſedem, quam non es dignus habere*, ut narrat Donizo in vita Mathildis; ad clerum converſus addidit. *Vobis dicitur fratres, ut ad futuram Pentecoſtes ſolemnitatem Regio conſpectui vos repræſentetis, ſuſcepturi de manibus Regis Papam, & Patrem, quia hic non Papa, ſed lupus eſſe dignoſcitur rapax.* Ad hanc vocem cum omnes exhorruiſſent, Joannes Portuenſis ſurgens facto impetu magna voce clamavit, *Capiatur*. Quare præfectus urbis ſynodo adſtans. *Tantum inpoſtorem*, evaginato gladio, *in ipſa Salvatoris eccleſia ante Domini Papæ*, præſentiam interimere voluit, & feciſſet, *niſi pius pater toto corpore ſuper eum ſe projeciſſet &c.* Ait is auctor, cui conſentit Bruno auctor hiſtoriæ belli Saxonici coævus. Dum relatis Henrici litteris, ac in ſynodo lectis addit. *Quæ litteræ quum domino Papæ in Baſilica Lateranenſi ſanctæ ſynodo præſidenti allatæ, & coram ſynodo palam recitatæ, tanta ſit in eccleſia commotio, ut idem legatus niſi inter Apoſtolici pedes defenſionem inveniſſet, membratim laniatus interiiſſet, miſerabiliter &c.*

Freher. tom. 1. ſcript. rer. German. pag. 123.

Gregorius Papa Henri-

15. Tumultu auctoritate Pontificis ſedato, cum multa de pace ſervanda, deque contumeliis ſibi, & Apoſtolicæ ſedi

sedi ab Henrico, & fautoribus ejus illatis, dixisset Gregorius, synodus dixit. *Tua sanctissime pater censura, quem ad regendum nostri temporis seculum divina peperit clementia, contra blasphemum, invasorem, tyrannum, desertorem, talem sententiam proferat, quæ hunc conterat, & futuris seculis trangressionis cautelam conferat*, seque jussis ejus obtemperaturos, & usque ad mortem pro eadem causa certaturos esse promiserunt. *Tandem omnibus acclamantibus definitum est, ut honore Regis privaretur, & anathematis vinculis, tam prænominatus Rex, quam omnes assentanei sui colligarentur &c.* Ait auctor vitæ Gregorii, quod etiam in vita Mathildis confirmat Donizo Presbyter his versibus.

JESU CHR. AN. 1076. cum excommunicat. *Gregorii vita cap. 70. ad 76. Murat. tom. 3.*

Plura loquens Papa, dixit Synodus sibi sancta:
Tu pater es patrum, blasphemum contere pravum.
Est nostrum quippe jussis parere, tuisque
Pro Christo mortem patienter gliscimus omnes:
Judicium confer, gladium trahe, percute fortem.
Omnibus excelso dignum clamantibus esse,
Privari regno Regem, maledicere nec non.
Papa dolens, vinclis anathematis illico strinxit
Regem prædictum. Cui regnum devetat ipsum.
In Quadragesima Synodus celebrata fit ista,
Qui Petrum sanctum, qui Papam diligis almum,
Hoc anathema probat &c.

16. Quare die sequenti, ex quo petulantes Henrici litteræ ad synodum delatæ, ac publice lectæ fuerant, ut narrat Bruno in historia belli Saxonici. *Sicut ab his, qui rebus intererant*, ait auctor, *potui cognoscere. Quod cum sui magnitudine, tum magis misericordia Dei, quam in ipso bello sumus experti &c. Die itaque sequenti Dominus Papa coram ipsa synodo declaravit, quoties, & quanta mansuetudine Regem de magnis criminibus corripuisset, ut Episcopos a captivitate solveret, quanta suavitate rogasset, Apostolica auctoritate jussisset, & pro paterna dulcedine quantam superbiæ amaritudinem recepisset. Deinde cunctis acclamantibus, ne talis contumelia remaneret inulta, omnium consilio, & consensu Enricum synodali judicio damnatum, Regisque nomine, & honore privatum, anathematis gladio percussit, litteraque in Re-*

Gregorii Papæ in. Henricum. sententia.

Bruno in prologo ad Hist. belli Saxoni. apud Freher. ut supra.

JESU CHR. AN. 1076.

gnum Teutonicum misit. Quas ibidem is auctor recitat.

17. Hac autem sententia ab Gregorio in Romana hujus anni synodo prolata, Henricum excommunicatione non solum mulctasse, sed etiam Regno privasse Maimburgus, aliique scripserunt. At eum excommunicatum quidem fuisse, adnotant Norisius, Lupus, aliique, & sane Lambertus de his agens, hæc narrat. *Papa nihil permotus*, ideſt Rolandi, qui litteras Henrici ad synodum detulerat, ac Pontificii depositionem intimaverat, ut diximus supra. *Postera die cum Clerus, & populus ad synodum frequens confluxisset, in auribus omnium litteras recitari fecit, & sic sanxit, qui convenerant id fieri decernentibus Regem excommunicat, & cum eo Archiepiscopum Moguntinum Sigefridum, Episcopum Trajectensem Villelmum, Episcopum Bambergensem Robertum, ceteris, qui conspirationis hujus participes extiterunt, diem statuit, qua nisi Romæ præsentati causam dicerent, novæ hujus & inusitatæ contra sedem Apostolicam rebellionis, similem ceteris excommunicationis sententiam sortirentur &c.* Quod si verba sententiæ in Henricum tunc prolatæ, depositionem quoque a Regno comprehendere videntur, benigniori sensu eadem interpretanda sunt, quatenus si in ea perfidia perseveraſſet. Interea ne Henrici subditi, qui fidem ei juraverant, ob commercium cum eo excommunicationi subdito, ejusdem participes fierent, eosdem ab fidelitatis vinculo, usquedum resipiscens absolutionem obtinuisset, Gregorius absolvit, ut adnotat Norisius loco supracitato. Synodalis autem sententia his concepta est verbis. *Henrico Regi, filio Henrici Imperatoris, qui contra Romanam ecclesiam inaudita superbia insurrexit, totius Regni Theutonicorum, & Italiæ gubernacula contradico, & omnes christianos a vinculo juramenti, quod sibi fecere, & facient, absolvo, & ut nullus ei sicut Regi serviat, interdico &c.* Nil tamen de eodem a Teutonico Regno exturbando, aut de novo Rege in ejus locum eligendo, tunc addidit Gregorius, aut ab Regni Principibus tentatum est, sicuti paulopost factum est, cum prioribus pejora addidisset, ac in obstinatione sua obduruisset, ut suo loco dicturi sumus.

An Gregorius Henricum Regno privaverit. *Noris hist. Investit. tom. 5. pag. 99. Lupus concil. tom. 6. pag. 4.*

Gregorii epist. 3. lib. 4.

18. Quamplurimas in eam rem litteras tunc Gregorius scripsit, *quarum exemplar supponere placuit*, ait Bruno in historia belli Saxonici, duas scilicet ad cunctos fideles in

Gregorii litteræ de Henrici excom-

Re-

Regno Saxonico, atque in prima ſententiam in Henricum latam inſeruit, ſecundam paulopoſt ſcripſit, *ne Regem magis injuriæ ſuæ quam zelo juſtitiæ excommunicaſſe putaretur*, ait ſupracitatus auctor. His autem verbis hanc idcirco auſpicatur, *Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus Epiſcopis, Ducibus, Comitibus, ceteriſque fidelibus in Regno Theutonicorum chriſtianam fidem defendentibus ſalutem &c. Audivimus inter vos de excommunicatione, quam in Regem fecimus dubitare, ac quærere, utrum juſte excommunicatus ſit, etſi noſtra ſententia ex auctoritate legalis cenſuræ, ea qua debuit deliberatione progreſſa eſt &c. Quapropter &c.* Ac quot antea precibus, & admonitionibus eumdem ad conſortia excommunicatorum vitanda, & ne Epiſcopatus, & Abbatias prætio venderet, aut conferret, excitaſſe adnotat, ſed fruſtra etſi non ſemel, & datis litteris, & legatis ſuis emendationem promiſiſſet. Hinc poſt plurima. *Pro his culpis ſynodali judicio cum excommunicavimus, ut quem mites non potuimus, vel ſeveri ad viam ſalutis Deo adjuvante revocare valeamus &c.* Huic alteram longiorem adhuc Epiſcopo cuidam, qui Gregorii ſententiæ ſubſcripſerat, aut ſubſcribere paratus erat, dedit, qua adverſariorum objectionibus ſatisfacit, *Gregorius &c. delecto in Chriſto fratri N. Epiſcopo &c.* Ac eo quod pro veritatis defenſione pericula, & labores ſuſtinere paratus eſſet, gratias agit, deinde ad rem propoſitam. *Quod autem poſtulaſti*, inquit, *te quaſi ſcriptis juvari, ac præmuniri contra illorum inſaniam, qui nefando ore garriunt auctoritatem S. Apoſtolicæ ſedis non potuiſſe Regem Henricum hominem chriſtianæ legis contemptorem, Eccleſiarum videlicet, & Imperii deſtructorem, atque hæreticorum auctorem, & conſentaneum excommunicare, nec quemquam a Sacramento fidelitatis ejus abſolvere &c.* Hinc adductis undique auctoritatibus ex ſacra ſcriptura, Romanorumque Pontificum decretis, vel ſententiis SS. Patrum, docet Reges, æque ac ceteros fideles legibus eccleſiæ ſubditos, ac excommunicatione ejuſque effectibus ſubeſſe, & adductis Jeſu Chriſti verbis, quibus Petro ligandi, ac ſolvendi poteſtatem dedit. *Numquid* ait, *ſunt Reges excepti, aut non ſunt de ovibus, quas filius Dei B. Petro commiſit, quis rogo in hac univerſa conceſſione ligandi atque ſolvendi a poteſtate Petri ſe excluſum eſſe exiſtimat, niſi forte infelix ille, qui jugum domini portare nolens, Diaboli*

Jesu Chr. an. 1076. municatione *Freheri tom. 1. pag. 123. Paulus Bernerieds vita Greg. cap. 76. 77. 78.*

JESU CHR. AN. 1076.

boli se subiicit oneri, & in numero ovium Christi esse recusat &c. In quam rem longiorem tractatum addidit.

Aliæ Gregorii litteræ de Henrici excommunicatione. *Lib. 2. 6. lib. 4. 1. 2. 3.*

19. Jam ceteras in eamdem rem ab Gregorio tunc scriptas epistolas referre longum esset, quarum sexta libri tertii ad universos christianos inscripta, exageratis Henrici culpis, ac sententiam contra Henricum latam inferens, pro eorum conversione, aut ut eorumdem mala consilia reprimat, ut Deum orarent, hortatur, in altera vero ad universos quoque christianos inscripta, de Henrici Regis perfidia conqueritur, & ut viriliter ei resisterent, hortatur, qui Regi adhæserant ut vitarent, ac recedentes ab ejusdem societate, & communione, reciperent, admonet. Epistola sequenti Herimanno Metensi Episcopo data, docet Episcopos æque ac laicos, qui cum Henrico communicaverint, excommunicatos esse, auctoritatibus, & exemplis adductis eos arguit, qui dicebant non potuisse Henricum Regem ab Gregorio excommunicari, seque Episcopis potestatem feciſſe eos absolvendi, qui a Regis consortio societateque se separarent. Regem autem ipsum, nisi prius de ejus pœnitentia certus sit, se non absoluturum addit, nonnullaque alia addit. In altera ad Germanos inscripta, ut Regem in synodo excommunicatum, regiaque dignitate privatum, si vere pœnituerit, recipiant, hortatur. Nemo tamen absque Apostolicæ sedis consensu eum interim absolvere præsumat. Quod si pœnitentiam agere recusaverit, ut alium sibi idoneum Regem eligant, potestatem facit, quem se confirmaturum promittit. Non sine tamen maturo, & exquisito etiam Agnetis Imperatricis, matris Henrici consilio, & Apostolicæ sedis consensu peragerent, admonet. Quæ autem, & quanta adversus Gregorii in synodo Romana gesta, vel decreta adversus Henricum Regem objecta sint, tum ab hujus ævi scriptoribus, & præcipue a Bennone, & Venerico Vercellensi Episcopo, in Apologiis pro Henrico Rege vulgatis, vel a recentioribus scriptoribus, referre nil juvat. Atque id ab historiæ filo nos abduceret, cum præsertim Bennonis schismatici objectiones Baronius passim confutaverit; Christianus autem Lupus, clarissimusque Norisius, aliique Gregorii apologiam texuerint, omnium primus Bonizo Sutrienſis Episcopus, & Gregorio æqualis in sæpius citato libro ad amicum ab Oeffellio inter scriptores rerum Boicarum edito.

Christ. Lupus concil. tom. 6. Noristom. 4. de investituris.

20. Ita-

JESU CHR. AN. 1076. Alia in Rom. synodo gesta.

20. Itaque ad Romanam synodum redimus, in qua cum Henrico Rege Episcoporum plurimi, qui nefariis ejus consiliis consenserant, aut sponte in Vormatiensi convent. adversus Gregorium congregato subscripserant, eadem excommunicationis pœna damnati sunt, omnium primus fuit Sigefridus Moguntinus Archiepiscopus, ceteris vero Episcopis, qui schismatico conventui interfuerant, ac coacti subscripserant, respiscendi tempus usque ad festivitatem Apostolorum Petri, & Pauli dedit. *Sigifridum Moguntinum Archiepiscopum, qui conatus est Episcopos, atque Abbates regni Theutonicorum a sancta Romana ecclesia, videlicet spirituali matre sua scindere, judicio Spiritus sancti, & auctoritate beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ab omni Episcopali officio suspendimus, & a communione Corporis, & Sanguinis Domini separamus &c.* Ait Pontifex, data tantum potestate eum in articulo mortis absolvendi, si respuisset. Ceteris vero terminum ad culpam diluendam dedit, ut diximus.

Pandulphus in Gregorii vita Murat. tom. 3. pag. 305.

21. Gregorio autem rebelles tunc fuerunt Sigefridus Moguntinus, Otto Constantiensis, Robertus Bambergensis, Idolphus Colonienſis, Guibertus, ejusque successor Otto Ravennatensis, Corradus Ultrajectinus, Pippo Tulensis, Henricus Spiræ, Erpo Monasteriensis, Henricus alter Paderbonæ, Liemarus Amburgi, quibus adjungendi sunt Episcopi Longobardiæ, qui passim, & ultro schismaticis sociati sunt, quos etiam post Vormatiense conventum Henricus Rex missa ad eos legatione, *Cujus legationis auctor*, ut narrat Anselmus Lucensis, *fuit quidam Eberardus natione Theutonicus. Hic circuivit, & ambulavit terram, ut schismatica omnes inficeret contagione. Multos certe, qui propter interdictum Papæ divino ab officio cessaverant, ipse interdictus, & vinculo perditionis legatus, inaudita temeritate reconciliavit.* Quos ideo Gregorius excommunicavit, ut ibidem subdit Anselmus; non defuerunt tamen tum in Germania, cum in Italia etsi pauci, qui Gregorio fideles remanserant, ex Theutonicis, Artuicus scilicet Magdeburgensis, Vernerus Merlaburgensis, S. Bruno Misnienſis, Burchardus Harbestadensis; quibus ex auctore vitæ S. Gebehardi, idem Gebehardus addendus est Salesburgensis, Altmannus Patavienſis, Adalbero Virzburgensis, Hermannus Metensis, Magivardus Frisingensis, ac addit. *Præter hos solos quinque in toto Regno Teuthonico Episco-*

Quinam Schismaticæ factoris Præcipui fuerint.

imitantes Photium, & Dioscorum Dominum Papam senioris Romæ ore sacrilego excommunicare insiinctu diabolico præsumpserunt. Quod factum attendentes Principes Regni, non mediocriter dubitare cœperunt, an excommunicationem ipsam contemnere, an reverenter observare deberent, maxime cum in eadem lege continearur, ut si quis infra annum, & diem ab excommunicationis vinculo non fuit absolutus, omni careat dignitatis honore. *Unde ad eorum consultationem prudentes*) aut providentes) *Episcopi hujusmodi dederunt responsum: Quod secundum statuta, & exempla Sanctorum Patrum, Romanus Pontifex a nemine judicari, seu excommunicari ullatenus potest &c.* Ultrajecti autem Germaniæ Episcopos ad sceleratum consilium exequendum convenisse, narrat Ugo Flaviacensis Abbas in Chronico Virdunensi, ab Labbeo, post Baronii ætatem editos, his verbis. *Dies erat Sabbati, & vespere Sabbati, ipsa nocte Dominicæ die illucescente, in concilio malignantium constitutum est, & deliberatum, ut in crastino ad Missas in omnium audientia Papa excommunicaretur, quia ausus fuisset Regem, & Dominum suum excommunicare.* Pipponi autem, qui ex Goslariensi canonico paulo ante Tullensem sedem ab Henrico acceperat, Henricus jusserat, ut die sequenti inter missarum solemnia excommunicationis sententiam in Gregorium Pontificem ab Episcopis latam solemniter vulgaret. At is tantum facinus exhorrescens, aut fortasse facti pœnitens, cum aliis eadem nocte, Henrico Rege, ceterisque insalutatis, inde abiit, ejusque vices gessit Gulielmus Ultrajectinus, ejus loci Episcopus, qui Vormatiensis conventus incentor præcipuus, vel architectus fuerat; hic itaque inter missarum solemnia cum sententiam excommunicationis in Gregorium latam ausu temerario pronunciasset, paulopost communione sumpta, acerbissimis doloribus vexatus, tamquam alter Juda miserrime periit, ut Lambertus, & Hugo Flaviacensis in chronico narrant, de quibus hæc etiam adnotat auctor historiæ belli Saxonici, Bruno scilicet, *Legatus Regis reversus, cum Regi, qui tunc erat Trajecti, quod erat excommunicatus indicasset. Villelmi ipsius urbis Episcopi consilio Rex excommunicationem illam nihili pendat. Episcopus quoque idem timens, ne si populus hoc audisset, a Rege sicut ab excommunicato discederet, intra missas sermonem faciens ad populum, derisorie quod*

Jesu Chr. an. 1076.

Villelmus Trajectensis Episc. sceleris dat pœnas. *Apud Freherum rerum*

JESU CHR. AN. 1076. *Ger. ferript. tom. 1. pag. 130.*

quod Rex esset excommunicatus indicavit, sed hanc excommunicationem nihil valere, quibus poterat verbis (utpote facundus, homo) confirmavit. Sed quantum valeret, in seipso coactus est agnoscere si liceret ei pœnitendo a superbia resipiscere. Nam in ipso loco, in quo Romano Pontifici derogabat, ejusque potestatem verbosus adnihilare laborabat, ipse mala valetudine corripitur, in qua usque ad miserandum miseræ vitæ finem detinetur. Itaque morbo magis, & magis ingravescente, dum esset cum eo quidam homo Regis, eumque rogaret, ut se cum suo mandato remitteret ad Regem. Hoc, inquit, ei mitto mandatum, quod ipse & ego, & omnes ejus iniquitati faventes, damnati fumus in perpetuum. Quumque, a suis qui aderant, clericis, ne talia loqueretur, esset admonitus; Quid aliud, inquit, loquar, nisi quod verum esse, visibiliter intueor. Ecce enim Dæmones lectum meum circumstant, quatenus me mox, ut expiravero, rapiant. Itaque cum sacro de corpore eductus, rogo vos, & omnes fideles, ne se fatigent pro me faciendo supplicationes. Hac igitur in desperatione defunctus, nullis orationibus Deo reconciliatus, diu jacebat insepultus, donec Romam mittitur, & inde quæsito consilio, ne populus fœtore corrumpatur, Apostolico jussu sine commendationibus, seu suffragiis, sepelitur. Ac eadem Cluniacensi Abbati, cui apparuerat, ab eodem testata fuisse addit, dicens. *Non sum vivus, sed vere defunctus, & in inferno sepultus.* Hugo etiam Flaviacansis, historiæ veritatem his verbis confirmat. *De quo certum est, quia ab eo, qui ista vidit, nobis hoc monstratum est.*

Alii plures Henrici sectatores malo fine perierunt.

24. His infaustum aliorum exitum addit is auctor, Bruno scilicet. *Cur eum solum dico miserabiliter obiisse, quum manifestum sit omnes fere Henrici familiares, & fideles, æque miseras mortes incurrisse, & eos miseriores, qui fuerant illi fideliores, quod fides illa vera erat perfidia.* Atque inprimis Patriarcham quemdam recenset, *abjurationis*, ut ait, Henrici *auctorem*, repentina morte *excommunicatum, & inconfessum* obiisse, & quia tantum virum, solum ad Infernum ire non decebat. *Quinquaginta, ut audivimus, de suis habuit socios, eadem morte repentina correptos &c.* Ut quos in peccatis socios habuerat, in pœna quoque haberet. Huic Udonem Trevirensem Archiepiscopum addit, qui mane mortuus inventus fuit, deinde Epponem Cicensem Episcopum

pum ab flumine abreptum, & suffocatum, Godefridum postea Lotharingiæ Ducem commemorat, in secretiori corporis parte morbo percussum, qui nec purgatus ultima confessione, nec munitus communione obiit. Godebaldus quoque ab equo calce percussus, eodem modo interemptus fuit, Aurchardus etiam Misnensis Præfectus ab incolis interfectus periit. Leopoldus vero equo suo decidens, proprio gladio transfossus obiit, ut is auctor pluribus narrat, quæ summatim adnotasse sufficit. De quibus plura etiam adnotat Bernriedensis in vita Gregorii cap. 80. 81. JESU CHR. AN. 1076.

25. Inter ceteros infausto exitu, aut repentina morte, ob amicitiam cum Henrico retentam, Gothefridum Lotharingiæ Ducem recenset is auctor, in secretiori corporis parte morbo percussum, seu potius ferro, ut his verbis narrat Lambertus, quem Gozelonem appellat, dum ait. *Gozelo Dux Lotharingiorum, cum esset in confinio Lotharingiæ, & Flandriæ, in civitate, quæ dicitur Antvirbia occisus est per insidias, ut putabatur, Roberti Flandrensis Comitis. Cum enim quadam nocte, quiescentibus omnibus ad necessitatem naturæ secessisset, appositus extra domum speculator confodit eum per secreta Natium, relictoque in vulnere ferro, concitus aufugit. Vix deinceps septem diebus accepto vulnere superstes, quarto Kal. Martii vita decessit.* Hic porro Mathildis filiæ Beatricis maritus fuit, ex qua cum nullam suscepisset prolem, Lotharingiæ Ducatum Henricus filio suo tradidit, ut idem Lambertus paulopost scribit, quam etiam virginem reliquisse, quin & divortium paulopost nuptias contractas fuisse addit. At hæc de Mathildis virginitate, deque divortio facto, incerta esse jam supra adnotavimus, quam quidem viduitatis speciem quamdam, vivente adhuc viro servasse, ait Lambertus in chronico ad annum 1077. *Cum nec ipsa maritum in Lotharingiam extra natale solum*, ideſt extra Italiam, sequi vellet, *& ille Ducatus, quem in Lotharingia administrabat, negotiis implicitus, vix post tertium, aut quartum annum*, a nuptiis celebratis, *semel Marchiam Itulicam inviseret*, circa annum 1074. Cum vero Godefredus hoc tempore obiisset, quo in statu Mathildes permansura esset, viduitatis scilicet, an ad alias nuptias transitura, incertum se esse Gregorius Papa ad Herimannum

Godefredi Lotharingiæ Ducis obitus.

Bar. 1074. 23. 24. 25.

Greg. epist. 2. *lib.* 4.

JESU CHR. AN. 1076. Metenſem Epiſcopum ſcribens, ait, ac ejuſdem ſalutem ſe tantum exoptare addit. *De Mathilde vero communi noſtra filia, & B. Petri fideli ancilla, quod vis, volo, ſed in quo ſtatu ſit manſura, adhuc certum non teneo. Gothifredi autem quondam illius viri indubitanter ſcies, quod frequenter apud Dominum, licet peccator, habeam memoriam, quia non mé illius inimicitia, vel aliqua impedit vanitas, ſed motus fraterna dilectione tua. & Mathildæ deprecatione illius exopto ſalutem &c.* Hæc Gregorius ad Herimannum Metenſem Epiſcopum de infauſto Gothifredi ex hac vita exitu. Mathildes vero marito orbata, longo tempore in viduitate perſeveravit, uſque dum ſub Urbano ſecundo, Velphoni Bavariæ Duci iterum copulata eſt, ut infra ſuo loco dicturi ſumus. De Gothifredi autem interitu hæc narrat Arnulphus. *Poſt dies hos*, ideſt poſt Saxonicam Henrici victoriam, *ad ſeceſſum reſidens Dux Gothifredus, Gothifredi filius, gladio confoſſus interiit, conjuge relicta Mathilda Bonifacii, ac Beatricis admodum clariſſima filia.*

Murat. tom. 4. rer. ital. Arnulh. hiſt. Mediol. lib. 3. 4.

26. Beatricis Comitiſſæ obitus. Funeri Gothifredi Mathildis mariti, Beatricis ejusdem matris funus addimus, quam hoc anno Piſis obiiſſe, ex Domnizone ſcimus, hæc in vita Mathildis dicens.

Lib. 1. Murat. tom.

Plena bonis factis, diſciſque referta Beatrix,
Cunctis chara nimis, magnis, parvis quoque, Piſis
Aegra manens, vita de præſenti bene migrat.
Octo decemque dies Aprilis dum finit ire,
Chriſti poſt ortum vera de Virgine corpus
Anno milleno bis terno ſeptuageno.
Conditur Piſis, &c.

Mathildis vero ut matri defunctæ ſuffragia promereretur, Piſanam Eccleſiam multis auxit redditibus, ut ex Gregorii epiſt. 12. lib. 6. conſtat, ad Landulphum Piſanum Epiſc. data. Beatricem vero Piſis potius, quam Canoſæ ſepultam fuiſſe ægre tulit Donizo, quo loco Piſas tunc negotiatorum cujuslibet religionis, & generis emporium fuiſſe his verſibus indicat.

Dolor heu me funditus urit
Quum tenet urbs illam, quæ non eſt tam bene digna
Qui

Qui pergit Pisas, videt illic monstra marina
Hæc urbs Paganis, Turchis, Lybicis quoque, Parthis
Sordida, Chaldæi sua lustrant littora tetri.
Sordibus a cunctis jam munda Canosa, sepulchri
Atque locus Pulcher meum &c.

JESU CHR. AN. 1076.

Beatrix autem Mathildis mater Friderico primum Lotharingiæ Duci nupta, deinde Bonifacio Hetruriæ Comiti, Mathildem genuerat, tertio deinde marito copulata, Gothofredo scilicet Barbato Lotharingiæ Duci, Mathildem filiam ex Bonifacio susceptam, uxorem Gothofredo Gibboso, filio Barbati, ex altera uxore susceptum, dedit, at hoc eodem fere anno, marito, & matre orbata Mathildis remansit.

27. Interea quamplurimi, five pœnæ timore, aut conscientiæ stimulis adducti, *Divina præeunte gratia*, ut narrat citatus auctor vitæ Gregorii, *Nobiles, & mediocres ad Deum toto corde conversi, præfatum Regem reliquerunt. Ipsi etiam qui prius partim regalibus blanditiis, partim terroribus, & minis contra Apostolicam Sedem conjuraverunt, conversi, postmodum digno in Regem anathemati conscripserunt, mittentes supplices ad Apostolicam Sedem Nuncios, epithemium pœnitentiæ postulantes, Quibus misericordiæ discipulus non quærens saturari pœnis reorum, gremium Sanctæ Ecclesiæ aperuit, & ut in fide Domini solidarentur, consolatorias eis literas misit. Nonnulli vero Episcoporum gementes tantum facinus, ad Apostolicam Sedem discalceatis pedibus venerunt, tam diu inibi perdurantes, quo usque Dominus Papa misericordia manum, & pietatis viscera iis compatiens aperiret.* Ex his fuit Theodoricus Verdunensis Episcopus, qui ut narrat Hugo Floriacensis in chronico, ex Vormatiensi conventu, ubi Gregorii excommunicationi subscripserat, facti pœnitens, Verdunum privatus ingreditur. *Itaut palam obtestaretur, quia nisi illi divina prospexisset misericordia, & bonorum virorum oratio, pœnam, quam Villelmus* Trajectensis Episcopus, *perpessus erat, ipse pertulisset.* Ac Rodolphum Verdunensem Abbatem rogavit, ut Romam pergeret, pro eo absolutionem ab Gregorio ontifice postulaturus, cui etiam cum litteris, *stolam reddidit, & annulum*, ab omni interim ecclesiastico officio, usque ad reditum se abstinens.

Quamplurimi ad Gregorii obedientiam redeunt. *Cap. 79. Murat 3. pag. 338.*

28. Cum

JESU CHR. AN. 1076.

28. Cum itaque passim nobiles, & ignobiles, ecclesiastici, & secularis ordinis viri ab Henrici societate, & consortio recederent, tunc Germaniæ Principes in unum collecti, de incunda inter Gregorium Papam, & Henricum concordia, vel si in obstinatione sua perseveraſſet Henricus, de altero in Germaniæ Regem eligendo consilium inierunt, ut his verbis narrat Aragonienſis in vita Gregorii. *Ideo Principes ipſi, quoniam ſecundum malitiam inſtantis temporis, melius nihil invenerunt, cum Rodulfo, Guelfone, ac Theodorico Ducibus, & aliis majoribus Regni, juramento firmarunt, ut ſi Rex conſilio eorum adquieſcere vellet, operam ſuam efficaciter adhiberent, ut Gregorius Papa ultra montes veniret, & a vinculo excommunicationis eum abſolveret. Quo facto Rex ore proprio juramentum præſtitit, quod in adventu ipſius Pontificis abſque malo ingenio ejus ſtaret mandato. Et conſequenter Principes iterum juraverunt in hunc modum, ut ſi Rex quod juraverat obſervaret, ipſi cum eo in manu valida proficiſcerentur ad urbem Romanam, & accepta Imperialis coronæ dignitate a Domno Gregorio Papa, deſcenderent cum exercitu in Apuliam, & Calabriam contra Normannos, qui tunc adverſabantur Apoſtolicæ Sedi, & Terram ipſam expulſis Normannis, Beato Petro, & Eccleſiæ Romanæ reſtituerent. Quod ſi Rex hoc facere denegaret, ex tunc ipſi Principes cum neque pro Rege, neque pro Domino habere deberent. Quibus rite completis, juramento firmatis Archiepiſcopum Trevirenſem miſerunt Romam, quatenus ea, quæ de ſedanda diſcordia inter Eccleſiam, & Imperium (vel Imperatorem) conſtituerant, Epiſcopis, & Cardinalibus innoteſcerent, & propter hoc Romanum Pontificem uſque ad civitatem Auguſtam ſecure conduceret. Sed quam fraudulenter Archiepiſcopus ipſe per velatam Regis aſſutiam captus fuerit apud Placentiam, & poſtmodum vix liberatus, propter hiſtoriæ longitudinem prætermittimus ſcribere. Venerabilis itaque Papa Gregorius, audita legatione tantorum Principum, licet tunc graviſſima hyems inſtaret, ne tantum bonum, quod de pace ſperabatur, per ipſius negligentiam remaneret infectum, cum eodem Archiepiſcopo ipſius itinerit difficultatem aſſumpſit, & uſque ad Vercellas proceſſit.* Ait auctor.

Germaniæ Principes de concordia ineunda agunt,

Murat. rer. Ital. tom. 3. pag. 307.

Germaniæ

29. Triburiam vero Germaniæ Principes cum Apoſtolicæ ſe-

sedis legatis conveniſſe Lambertus narrat. *Interea Rodulphus Dux Svevorum, Vvelf Dux Bajariorum, Bertholdus Dux Carentinorum, Adalbero Epiſcopus Vvirzeburgenſis, Adalbertus Epiſcopus Vvormatienſis, & alii, quos Reip. calamitas movebat, in loco qui dicitur Ulma conventu habito, ſtatuerunt, ut omnes quicunque Reipublicæ conſultum vellent, decimoſeptimo Kalend. Novembris Triburiam convenirent, & variis cladibus, quibus per multos jam annos pax Eccleſiaſtica turbabatur, tandem aliquando malorum pertæſi finem facerent. Hoc Sueviæ, hoc Bajoariæ, hoc Saxoniæ, hoc Lotharingiæ, hoc Franciæ Teutonicæ Principibus denuntiarunt, univerſoſque in commune per Deum obteſtantur, ut omni excuſatione relegata, cuncta privatæ rei ſollicitudine poſthabita, hanc ſinguli, communibus commodis, vel extremam operam dependerent. Qua expectatione ſuſpenſis atque attonitis omnibus, Epiſcopus Moguntinus, & alii quamplures, qui eatenus partes Regis vehementius tuebantur, ab eo defecerunt, & adjuncti ſupradictis Principibus, ad meliorandum regni ſtatutum ardentiſſimo zelo exarſerunt &c.* Deinde exulum reſtitutione narrata, de geſtis in conventu Triburienſi hæc addit. *Statuta die juxta conditum Principes Sveviæ, & Saxoniæ Triburiam convenerunt ampliſſimo numero, obſtinatis mentibus ad ſubmovendum a negotiis regni Regem Henricum, & alium, in quem communis electio conſenſiſſet, creandum. Aderant una Legati Apoſtolicæ Sedis Sigebardus Patriarcha Aquilejenſis, & Altmannus Patavienſis Epiſcopus, vir Apoſtolicæ converſationis, & magnarum in Chriſto virtutum, cui Papa vices ſuas in diſpoſitione Eccleſiaſticarum cauſarum delegaverat, & laici nonnulli, qui magnis opibus relictis, ultro ſe ad privatam tenuemque vitam propter Deum contulerant, miſſi a Romano Pontifice, ut palam omnibus per Gallias conteſtarentur, juſtis de cauſis excommunicatum eſſe Regem Henricum, & ad eligendum alium Regem Apoſtolici conſenſus, & auctoritatis ſuffragium pollicerentur. Hi nec Principi, nec privato cuiquam, qui Regi Henrico dicto vel facto aliquatenus poſt excommunicationem communicaſſet, communicare volebant, donec publice profeſſus pœnitentiam; per Altmannum vicarium Romani Pontificis anathemate abſolveretur. Pari cautela eorum quoque communionem vitabant, qui presbyteris conjugatis, vel eis, qui Eccleſiaſticas*

JESU CHR. AN. 1076. Principes de Rege eligendo conſilium ineunt.

JESU CHR. AN. 1076.

cas ordinationes pretio comparaverant, in oratione communicassent. Per septem itaque continuos dies consilia conferentes, quid facto opus esset, qua ratione periclitanti, & jam jam naufragium minitanti Reipub. consulendum foret, perquirebant &c. Iisque expositis quæ perperam, seu potius nefarie hactenus Henricus gesserat. *Tantarum calamitatum unicum ac singulare superesse remedium* dixerunt, *ut quantocius privato eo, alius Rex crearetur, qui tandiu terminos suos evaganti licentiæ frena injiceret, & Mundi vacillantis ruinam subiectis humeris sustentaret.* His vero ab Henrico acceptis, *qui in villa Appanhein se continebat*, Ut idem narrat Lambertus, turbatus, & consternatus, semel, & iterum ad Germaniæ Principes legatos misit, non solum gestorum emendationem promittens, sed etiam se in eorum arbitrio omnia relicturum, Regnique administrationem cessurum, id unum enixe expostulans, ut regia insignia Regisque titulum retineret, *Quæ semel legitime accepta, sine summa omnium eorum ignominia amittere non posset &c.* Idque se non solum verbis, sed juramento confirmaturum promittebat, cumque legatione nil obtinuisset, *iterum alios, atque alios misit, nullum supplicationis genus, quod impediendæ tantæ rei proficuum putaretur, prætermittens, sed illi in eadem sententia fixi obstinatique manebant.* Ait Lambertus, cumque eo res esset, diesque instaret, quo armis certandum esset,

Principes de ineunda, cum Henrico concordia agunt.

30. *In hac tantarum expectatione rerum*, subdit auctor citatus, *intentis sollicitisque omnibus, ecce primo diluculo sequentis diei, quæ ultimam cladem Reipublicæ allatura timebatur, Svevi, & Saxones legatos ad Regem miserunt qui dicerent. Tametsi nec in bello, nec in pace, ulla unquam ei justitiæ, vel legum cura fuerit: se tamen legibus cum eo agere velle, & cum crimina, quæ ei objiciantur, omnibus constent luce clariora: se tamen rem integram Romani Pontificis cognitioni reservare, acturos se cum eo, ut in Purificatione S. Mariæ Augustam occurrat, ibique celeberrimo conventu habito Principum totius regni, discussis utrarumque partium allegationibus, ipse suo judicio vel abdicet, vel absolvat accusatum. Quod si ante diem anniversarium excommunicationis suæ, suo præsertim vitio excommunicatione non absolvatur, absque retractatione in perpetuum causa ceciderit, nec legibus deinceps re-*

regnum repetere posſit, quod legibus ultra administrare, annuam passus excommunicationem non posſit. Si oblatam conditionem gratanter amplexetur, & Romani Pontifici per omnia subditum se, dictoque obtemperantem fore pollicetur: hinc se experimentum capturos, omnes quos ille excommunicavit, extemplo a convictu, contubernioque suo amoveat: Ipse in urbem Spirenſium dimiſſo exercitu ſecedat, ibique ſolo Verdunenſi Epiſcopo, pauciſque miniſtris, quos tamen ſententia Principum ab hac excommunicatione integros, incorruptoſque probaverit, contentus, privatam interim vitam agat, Eccleſiam non ingrediens, nihil circa publica negotia ſuo jure diſponens, nullam regii apparatus pompam, nulla regiæ dignitatis inſigni ſibi juxta ſolitum adhibens, uſque ad Synodicam cauſæ ſuæ examinationem. Præterea civitatem Vvormatienſem, quam expulſo Epiſcopo, diſſipato cœleſtis militiæ ſanctuario, aciem belli, ſpeluncamque latronum fecerat: abducto præſidio, Epiſcopo Vvormatienſi reſtituat. Datis inſuper ſacramentis, & obſidibus, ne quid deinceps rebellionis, vel inſidiarum ab civibus timere debeat. Porro ſi quid horum prævaricaretur: tum ſe omni culpa, juriſjurandi religione, omni perfidiæ infamia liberatos, non expectato ulterius Romani Pontificis judicio, quid Reipublicæ expediat, communi conſilio viſuros.

Jesu Chr. an. 1076.

31. Rex vero gratulatus admodum; *Quod aliqua quamtumvis fœda conditione urgentem ad præſens calamitatem declinaſſet, promptiſſime per omnia obedientiam pollicetur. Statimque Colonienſem Epiſcopum, Bambergenſem Epiſcopum, Stazburgenſem Epiſcopum, Baſilcenſem Epiſcopum, Spirenſem Epiſcopum, Loſannenſem Epiſcopum, Citicenſem Epiſcopum, Oſenbruggenſem Epiſcopum, Udalricum de Cotheim, Ebarhardum Hartmannum, cæteroſque excommunicatos, quorum antehac opera, conſiliiſque gratiſſime utebatur, omnes caſtris egredi jubet. Miſſis quoque Vvormatia nuntiis, milites, quos illic præſidii cauſa conſtituerat, abſcedere, urbemque Epiſcopo patere præcipit. De hinc cæteris, qui ad auxilia ſibi facienda convenerant, ſingulis in ſua dimiſſis, ipſe juxta conditum cum paucis Spiram contendit, ibique intra terminos, & leges, quas Principes præſcripſerant, aliquanto tempore mediocriter vitam, moreſque cohibebat.*

Henricus Rex propoſitis conditionibus ſe ſubjicit.

32. His tranſactis Svevi, & Saxones, ut firmiori vinculo pax firmaretur, *Confeſtim legatos Romam deſtinarunt, qui Papam*

Henrici Regis profectio in Italiam.

JESU CHR. AN. 1076.

pam rei geſtæ ordinem edocerent, enixeque flagitarent, ut ſedandis per Gallias, ſive Germaniam, tantis bellorum civilium tempeſtatibus, ipſe ſtatuta die ſuam non dedignaretur præſtare præſentiam &c. At Rex abſolutionis obtinendæ impatiens, per Gallias proficiſcens, Gregorio Pontifici intra Italiam occurrere ſtatuit. *Paucis igitur ante Natalem Domini*, ſequitur Lambertus, *diebus*, Spirenſi *Urbe diſcedens cum uxore, filio parvulo iter aggreſſus eſt, nec quiſquam ex omnibus Teutonicis vir ingenuus comitatus eſt regno excedentem, præter unum, ipſum nec genere, nec opibus conſpicuum. Cumque impenſis tam longi itineris egeret, multoſque ſupplicaret, quibus incolumi Republ. ſæpenumero profuerat, pauci admodum erant, qui vel veterum beneficiorum memoria, vel præſenti humanarum rerum ſpectaculo permoti, neceſſitatem ejus aliquatenus relevarent. Eo miſeriarum, & calamitatis ex ſumma gloria ſummiſque opibus repente pervenerat. Similiter quoque cæteri excommunicati obtinendæ citius abſolutionis ſtudio ardentiſſime iter accelerabant in Italiam, nec tamen in ſocietatem itineris Regem admittere, Principum, vel potius Romani Pontificis metu abſterriti patiebantur.* Quam autem inclemens eſſet tunc hiems, qua contigit tam arduum iter arripere per Alpium juga Regem, idem auctor paulopoſt docet his verbis. *Vis atque inclementia hiemis, hoc anno adeo jugis, ſollicitoque aſperior inhorruerat, ut a feſtivitate S. Martini, Rhenus fluvius glaciali frigore conſtrictus, pene uſque ad Kalendas Aprilis pedeſtris itineri tranſmeabilis maneret, & pleriſque in locis vineta exſiccatis frigore radicibus, omnino areſcerent*, ſeu deperirent. Deinde *Rex Henricus in Italiam proficiſcens, intra Burgundiam in loco, qui dicitur Biſauzun, & Natalem Domini celebravit, ſatis magnifice pro ſua tum calamitate ſuſceptus, & habitus ab avunculo matris ſuæ Vvillelmo Comite, cujus in illis locis ampliſſimæ & florentiſſimæ opes erant. Ea porro cauſa erat, ut relicto recto itinere in Burgundiam diverteret, quod certo comperat, Duces Rodulphum, Vvelph, & Bertholdum omnes vias omneſque aditus, qui ad Italiam mittunt, quos vulgato nomine, Cluſas vocant, appoſitis cuſtodibus anticipaſſe, ut nulla illic ei copia tranſeundi fieret. Exacta ſolemnitate Natalis Domini profectus inde, cum in locum, qui Sivis dicitur, veniſſet, obvium habuit ſocrum ſuam, filiumque ejus Amedum nomi-*

nomine, quorum illis regionibus, & auctoritas clarissima, & possessiones amplissimæ, & nomen celeberrimum erat. Hi venientem honorifice susceperunt. Transitum tamen per terminos suos alias ei concedere nolebant, nisi quinque Italiæ Episcopatus possessionibus suis contiguos eis redimendi itineris pretium traderet. Durum hoc nimis atque intolerabile omnibus Regis Consiliariis visum est. Sed cum ei inevitabilis incumberet necessitas, quoquo posset pacto redimendi itineris, & illi nec jure propinquitatis, nec tantæ calamitatis miseratione quidquam moverentur; multo labore, & tempore in hac deliberatione insumpto, vix & ægre tandem impetratum est, ut provinciam quandam Burgundiæ bonis omnibus locupletissimam, concedendi transitus mercedem dignaretur accipere. Ita indignatio Domini non solum sacramentis, & frequentibus beneficiis sibi obnoxios, sed etiam amicos, & genere propinquos ab eo averterat.

Jesu Chr. an. 1076.

33. Simulato tamen animo Pontifici obviam in Italiam properasse Henricum Regem narrat Paulus Bernriedensis in vita Gregorii his verbis: *Cum igitur prædicti Regis conversionem jamdiu & frustra Principes expectarent, & statum Regni periculosius in dies disturbandum, immo sine capite jam penitus destituendum, viderent, tandem zelo Dei armati, cum Legatis Apostolicæ Sedis convenerunt, & eumdem, ut earum consilio acquiesceret, & resipisceret, satis fideliter rogaverunt: alioquin se non ulterius ei communicare, vel obedire protestati sunt. Hac ille necessitate, simulate quidem, ut postmodum apparuit, se per omnia & consiliis Principum, & præceptis Apostolici Domini obediturum promisit. Erat autem consilium, ut Dominus Apostolicus ad generale colloquium Augustam in Purificatione Sanctæ Mariæ tunc proxima veniret: quatenus ibidem causa ejus in audientia totius Regni legitime determinari posset. Ipsi quoque Principes, missa legatione, Dominum Papam ad prædictum diem venire suppliciter rogaverunt, ad quod iter agendum, illum promptissimum, ut subscriptæ, ejus literæ, testantur, invenerunt. Rex autem contra promissionem suam, contra consilium Principum, hoc ab Apostolico per legatos suos voluit extorquere, ne Augustam veniret, sed ut cum ad se Romam venire permitteret, ea utique intentione, ut tanto facilius Papam fallere posset, quanto pauciores Regni Principes, jam sæpius astutias ejus perpessi, discutiendæ ejus*

Henricus pœnitentiam promittit, aut simulat. *Murat. tom. 3. pag. 338.*

JESU CHR. AN. 1076.

causæ interessent: Unde, Papa votis ejus non annuit, sed ut Principes rogaverant. Ad dictum diem venire dispositum, Augustam scilicet, at ut audivimus, eumdem Henricus prævenit, & in Canusium ubi Gregorius confugerat, se se obtulit, ut anno sequenti dicturi sumus. Interea Gregorius qui pacis conciliandæ causa Germanicum iter suscipere non dubitaverat, litteras ad Germaniæ Episcopos, & Principes scripsit, ab Brendiensi in vita Gregorii relatas, quibus eos de itinere suo certiores reddebat, quave mente ad eos venerat, exponit. Datæ autem sunt *Archiepiscopis, Episcopis Ducibus, Comitibus, nec non majoribus, atque minoribus in Regno Theutonicorum.* Harum altera brevior hæc continet. *Ego qualicumque Sacerdos Apostolorum Principis servus, contra voluntatem, & consilium Romanorum, confidens de misericordia Omnipotentis Dei, & de vestra fide Catholica, venio ad vos, paratus propter honorem, & salutem animarum vestrarum mortem subire. sicut pro nobis animam suam posuit. In hoc enim positi sumus, ut per multas tribulationes tendamus, & perveniamus ad Regnum Dei. Vos autem, fratres mei carissimi, & desiderati simi, summopere curate, ut hoc possim, Deo adjuvante, adire, vobisque in omnibus prodesse. Benedicat vos ex cujus gratia mihi dictum est ad corpus Beati Petri in die ordinationis meæ. Quodcumque benedixeris benedictum erit, & quodcumque solveris super terram, erit solutum, & in Cœlis &c.* Epistola altera, de itinere suo in Germaniam agens, se sexto idus Jan. Mantuæ adfuturum promittit, sed de Pontif. profectione in Longobardiam, gestisque ibidem, cum ei Henricus occurrit, anno sequenti, quo gesta sunt, sermo fiet.

Murat. tom. 3. pag. 338.

Gregorius Papa Demetrium Croatiæ, & Dalmatiæ Ducem Regem dicit.

34. Dum totus in restituenda ecclesiis, & Imperio tranquillitate, reconciliandisque schismaticis intentus esset Gregorius, Simmir, sive Demetrium Croatiæ, & Dalmatiæ Ducem regalibus ornamentis, regioque titulo exornavit, cui vexillum, ensem, sceptrum, & coronam misit, atque hæc in Salonitana synodo Octobri mense hujus anni gesta fuisse, præsentibus Apostolicæ sedis legatis, Gebizone scilicet monasterii SS. Bonifacii, & Alexii tunc Abbate, postea Cæsenatensi Episcopo, & Folcuino Forosempronienſi Episcopo; synodi acta a Baronio primum, ex libro Cencii Camerarii vulgata, deinde a Muratorio, & Mansio in novissima Labbei editione Veneta, inserta sunt, eoque beneficio auctus Demetrius, non so-

Bar. 1076. n. 66. Murat. antiq. Ital. tom. 5 Labb. tom. 20. 474. nova edit.

solum obedientiam, fidelitatem, & protectionem Romano Pontif., ejusque successoribus promisit, sed etiam tributum ducentorum Bizantinorum per singulos annos se, suosque successores Romanæ ecclesiæ solvturos spopondit. *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, anno Dominicæ Incarnationis millesimo septuagesimo sexto, Indictione decima quarta, mense Octobris Ego Demetrius, qui, & Suinmur nuncupor, Dei gratia Croatiæ. Dalmatiæque Dux, a te domine Gebizo, ex Apostolicæ Sedis legatione domini nostri Papæ Gregorii potestatem obtinente in Salonitana basilica S. Petri synodali, concordi totius Cleri, & populi electione de Croatarum, Dalmatinorumque regni regimine per vexillum, ensem, sceptrum, & coronam investitus atque constitutus Rex, tibi devoveo, spondeo, & polliceor, me incommutabiliter completurum omnia, quæ mihi tua reverenda injungit sanctitas, videlicet, ut in omnibus, & per omnia Apostolicæ Sedi fidem observem. & quidquid hic in regno tam Apostolica Sedes, quam sui Legati sanxerunt, aut sanxerint, irrevocabiliter custodiam, justitiam excolam, Ecclesias defendam, primitiæ, decimæ, omniumque ad ecclesiam pertinentium procurator existam, vitæ Episcoporum, Presbyterorum, diaconorum, subdiaconorumque, ut caste, & regulariter vivant provideam: pauperes, viduas atque pupillos protegam, parentelæ illicitam copulam destruens, legitimam dotem annulo, sacerdotisque benedictione constituam, & constitutam corrumpi non permittam, hominum venditionem contradicam, atque in omnibus quæ ad rectitudinis statum congruunt, Deo auctore, me æquum exhibeam. Ducentorum quoque Byzantiorum tributum, meorum omnium consultu Primatum, sancto Petro per singulos annos in Resurrectione Domini de mihi concesso regno persolvendos statuo. Et ut post me regnaturi hoc idem perpetuo servent, censeo, corroboro, atque sancio &c.* Apostolicæ quoque sedis monasterium S. Gregorii, quod Urana dicebatur, in perpetuum dedit, *Ut legatis S. Petri semper sit ad hospitium, & omnino in potestate eorum*, nullique nisi Apostolicæ sedi subiectum, & iterum fidelitatem juramento confirmans, se in omnibus Romanæ ecclesiæ Romanisque Pontificibus, obsequentissimum fore testatus est, ut ibidem videre est. JESU CHR. AN. 1076.

35. Id adhuc admiratione dignius hoc tempore contigit, Legatio Regis Mauri-

Jesu Chr. an. 1076. taniæ ad Gregorium.

git, ut dum Henricus Germaniæ, & Italiæ Rex, Imperator etiam futurus, cui Romanæ ecclesiæ protectio commissa erat, dum inquam is, utpote rebellis filiis, eam probris, contumeliisque exagitat, ecclesiæque filios, tamquam captivos, in schismate retinebat Rex Barbarus, professioneque sua, utpote Mahumeticæ sectæ assecla, christiani nominis insensissimus hostis, Romanum Pontificem legatione sua adiit, Presbyterumque Servandum nomine suppliciter cum litteris suis misit petens, ut eumdem Episcopum ordinaret. Is fuit Anzir Mauritaniæ Sitifensis in Africa Rex seu Calipha, cui respondens Gregorius, & Apostolicam benedictionem impertivit, propositum laudavit, ac pro captivis dimissis gratias egit, cujus hæc sunt verba. *Nobilitas tua hoc in anno litteras suas nobis misit, quatenus Servandum Presbyterum Episc. secundum Christianam constitutionem ordinaremus. Quod, quia petitio tua justa & optima videbatur, facere studuimus. Misisti etiam ad nos muneribus, Christianos, qui apud vos captivi tenebantur, reverentia B. Petri principis Apostolorum, & amore nostro dimisisti: alios quoque captivos te dimissurum promisisti. Hunc denique bonitatem creator omnium Deus, sine quo nihil boni facere, immo nec cogitare possumus, cordi tuo inspiraverit, ipse qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, in hac intentione mentem tuam illuminavit*, & post plurima de nobilium Romanorum in eum benevolentia, & præcipue Alberici, & Cencii, qui ad eum ea occasione accepta, legatos miserant, quos ideo, ut benigne susciperet Pontifex rogat, eique ut post longa vitæ spatia, in sinum Abrahæ Deus eum perducat, *corde, & ore rogamus*, ait, & ut christianus fieret, dignusque redderetur promissionis Abrahæ factæ haud dubie exoptans; Servandum vero Archiepiscopum a se pro Hipponensi ecclesia ordinatum, epistola altera ad Hipponensem clerum, & populum inscripta commendavit. Ac ut eum cum reverentia susciperent, eique obsequium obedientiamque præberent, hortatur, eodemque tempore ad Cyriacum Carthaginensem Episcopum scribens, jubet, ut dignam ad se personam mittat; *Quatenus ipso, Deo nobis cooperante a nobis ordinato, vobisque remisso, necessitati ecclesiarum, ut sancti canones præcipiunt, Episcoporum ordinationibus succurrere valeatis &c.* Cum nullus in tota Africa, ubi olim supra quin-

Gregorii epist. ad Anzir Mauritaniæ Regem. *Lib. 3. epist. 21.*

Lib. 3. 20.

epist. 19.

gen-

gentos Episcopi erant, tunc Episcopus remansisset, præter Cyriacum, & Servandum a se nuper ordinatum. JESU CHR. AN. 1076.

36. Robertum cum Rogerio fratre suo ac ceteris Apostolicæ sedi contumacibus ab Gregorio Papa in synodo Romana excommunicatum fuisse anno 1074. adnotavimus; Is porro facti pœnitens, hoc anno emendationem promittens ab excommunicationis vinculo absolvi ab Gregorio Papa postulavit, ut his verbis narrat idem Pontifex in epistola ad Arnaldum Acheruntinum Episcopum. *Noverit fraternitas tua* inquit, *quoniam Rogerius Comes frater Roberti Ducis Apostolicæ sedis benedictionem & absolutionem requirit, ejusque filius vocari & esse desiderat. Quapropter pastorali cura hoc laboris onus tibi imponimus, immo ex parte B. Petri imperamus, ut postposita omni corporis desidia, illum adeas, eumque hujus nostri præcepti auctoritate fultus, si nobis parere, sicut pollicitus est, voluerit, & pœnitentiam, ut oportet Christianum, egerit, ab omni peccatorum suorum vinculo tam illum, quam etiam suos milites, qui cum eo contra Paganos (ita tamen, ut agant pœnitentiam) pugnaturi sunt, peccatis maxime absolvas. Addimus præterea, ut eum pie admoneas, quatenus se a capitalibus criminibus custodiat, & Christiani nominis culturam inter Paganos amplificare studeat, ut de iisdem hostibus victoriam consequi mereatur. Amplius si de Roberto Duce fratre suo aliquid tibi retulerit; respondeas ei, quoniam Romanæ Ecclesiæ janua misericordiæ omnibus patet, quicunque pœnitentiæ amore ducti offensionis scandala deserunt, & ad rectitudinis viam inoffenso pede regredi concupiscunt &c.* Quare se Robertum quoque ab eadem excommunicationis sententia absoluturum spondet; dummodo Rom. ecclesiæ obedientiam, fidelitatemque jurare ac servare paratus sit. Quæ effectum sortita hæc tunc fuerint, in obscuro est. Rogerius Siciliæ Comes absolutionem postulat. *Lib. 3. epist. 11.*

37. His addimus, quod Gregorius ecclesiarum omnium sollicitudinem gerens, inter angustias, ut vidimus positus, nil tamen Apostolici vigoris remisit; Quare cum accepisset in Flandria fornicarios clericos sacræ mensæ ministrare, & simoniacos existere impunitos, gravissimas litteras adversus eos scripsit ad Robertum Flandriæ Comitem, præcipiens, ut eos omnino amoveat, & persequatur, ut ecclesiæ adversarios. Scripsit de his etiam ad ejus conjugem Adelam, sive Adelaidem, Aliæplurimæ Gregorii litteræ. *Lib. 4. epist. 10. 11.*

JESU CHR. AN. 1076.

dem. Extant & aliæ plurimæ ejus epistolæ de privatis negotiis diversarum ecclesiarum, quas ad nimiam prolixitatem vitandam consulto prætermittimus.

Initia ordinis Grandimontensis S. Benedicti. *Mabill. Annal. ord. Bened. tom 5. lib. 64. n. 37. seqq. & 112. seqq. Pag. n. 16. an. 1074. Bolland die 8. Febr. Mabill. ut supra.*

38. Ad hæc tempora Grandimontensis ordinis initia collocanda esse Mabillonius, Pagius, aliique adnotant, cujus auctor S. Stephanus de Mureto, qui in Arvernia nobilibus parentibus natus, & educatus, ab Ephebis vix egressus voti causa in Italiam profectus, regularem monachorum vitam, qui in Calabria degebant admirans; ut idem vitæ institutum sequi liceret ab Alexandro Papa facultatem petiit, quod cum ei tunc negatum esset, ab Gregorio septimo in Pontificem vix electo tandem obtinuit, ut non solum vitæ ejusdem auctor narrat, sed pluribus persequitur Mabillonius. Ac litteras ea de re ab Pontifice datas, tum in præfatione secunda ad seculum sextum sui ordinis, cum in annalibus refert, quas tamen in dubium revocari posse non dissimulat, etsi difficultates diluere quoquo modo conetur, ut ibidem videre est. At quidquid de Gregorii septimi diplomate seu litteris sit, hoc certum est, eum hoc tempore in patriam regressum, Grandimontensem ordinem fundasse cum variis solitariis locis perlustratis, tandem apud Muretum in agro Lemovicensi consedisset, ibique *Facto ex virgultis parvulo tugurio*; ut in ejus vita legitur, *Anno domini* 1076. vel 1074. *trigesimum agens vitæ suæ annum, Deo in fide catholica se serviturum spopondit*: cujus professionem exhibet Mabillonius; *& ibidem jejuniis, & orationibus serviens Deo die ac nocte, ultro ad seculum non rediens, quinquaginta annos complevit &c.* Scilicet usque ad annum 1124. vel 1126. cum incertum sit an anno 1074. vel 1079. monasticæ vitæ se se dicaverit; Quanta austeritate viveret, pluribus narrat vitæ auctor, hinc cum sanctitatis ejus fama longe lateque percrebresceret, factum est ut ei se socii adjungerent, quorum vita eremitica primum fuit, deinde aucto eorum numero, in cœnobiticam transit, quibus modicum vinum indulsit, suis sane longe benignior, quam sibi, iisque nullam regulam scripto dedisse verosimile est, quibus vivendi regula, sancti viri exempla, exhortationesque erant: Benedictinam nonnullis mutatis eosdem secutos fuisse Mabillonius censet, at ut is auctor adnotat, *Reclamant Grandimontenses saltem reformati, nec Benedictini esse, aut videri volunt*; Cum alienis hono-

honorum titulis Benedictinus ordo non egeat', rem in incerto reliquit, ac evangelicam tantum regulam suis servandam ab S. Stephano traditam fuisse fatetur. De variis eorum observantiis, aut habitu, vel propagatione nil addimus, ne monasticam historiam scribere videamur. JESU CHR. AN. 1077.

39. Hoc tempore Sanctio Garziæ Navarræ Regi hujus nominis quarto, occiso, & quidem Raimundi fratris viri perditissimi insidiis, ut narrat Mariana; Navarrei, qui inter Ebrum flumen, & Pyrenæos montes habitabant, Sancium Ramirum Aragoniorum Regem, & defuncti patruelem sibi præfecerunt, dum aliæ Navarrici Regni provinciæ Alphonso Castellæ Regi se se dederunt, ut apud Suritam lib. 1. cap. 23. videre est, ait Pagius nota 12. ad hunc annum, qui in ejusdem rei confirmationem nonnulla addit, plura vero apud Marianam videri possunt. Sancii Garziæ Navarræ Regis obitus, cujus Regnum Aragonienſi conjungitur. *Mariana de reb. Hisp. lib. 9. cap. 12. Pagius not. 12. an. 1076.*

40. Cum ad eam gloriam jam pervenisset Robertus Viscardus Bruttiorum, Apuliæ, & Calabriæ Dux, totius etiam Siciliæ pene Dominus, ut Regibus comparari posset Michael Imp. cum eo affinitate sociari non dubitavit, ut Curopalates, & Zonaras narrant; ac *Filium ex Maria Alana susceptum, Constantinum ob patris memoriam* dictum, & Imperii insignibus ornatum, cum filia Roberti Longobardiæ Ducis filia despondit, quæ CPolim perducta, Helenæ more Græcorum nomen ei inditum est, quas nuptias cum labenti anno 1076. alligat Lupus Protospata in chronico; Quo etiam anno ut idem subdit; *Comprehensus est quidam nepos Africani Regis cum centum quinquaginta navibus in civitate Mazaria &c.* Sicque Saracenorum, seu Arabum potentia, Normannorum victoriis in Italia paulatim excidit. Constantinus Michaelis Imp. filius, Roberti Ducis filiam uxorem ducit. *Zonaras Annal. pag. 288.* *Murat. tom. 6. rer. Ital. pag. 45.*

JESU CHRISTI AN. 1077. GREGORII SEPTIMI PAPÆ AN. 5. MICHAELIS DUCÆ IMP. AN. 7.

1. Lugubris ac memorabilis scena Canusæ hoc anno peracta est. Dum ibidem adstans Rex Henricus, patratorum scelerum pœnitentiam agens, vel simulans, ab Gregorio Papa ab excommunicationis sententia absolutus; Eucharistica primum mensa, deinde communi exceptus fuit: rem gestam pluribus narrat Lambertus in chronico, cui ceteri consentiunt scriptores vitæ Gregorii, & Mathildis; Urbe itaque egressus Henricus Rex Gregorio Papæ resistit. *Apud Murat. rer. Ital. tom. 3. & 5.*

JESU CHR. AN. 1077. Gregorius, comitante Mathilde Comitissa ut statuta die, Purificationis scilicet Virginis, Augustæ Vindelicorum esset ad discutiendam cum Germaniæ Principibus Henrici Regis causam, cum Vercellas pervenisset; insperato Regem intra Italiam esse audivit; Quare *hortante Mathilda in castellum quoddam munitissimum, quod Canusium dicitur, divertit, expectare volens, donec consilium adventus ejus diligentius exploraret, utrum scilicet veniam admissi postulare, an injuriam excommunicationis suæ militari manu persequi adveniret.* Henricus quippe ut anno proximo diximus, satius ducens causam suam coram Pontifice agere, quam Germaniæ Principibus committere, instante hieme, ne dies anniversalis excommunicationis ejus transiret, quo transacto Principum sententia statutum fuerat, ut & causa omnino, & Regno caderet, quare ne integrum in excommunicatione annum transigeret, nullas accelerandi itineris moras patiebatur, ac per Alpes Cottias, nive, geluque oppletas, non sine suo, suorumque, & maxime jumentorum, equorumque periculo, ut ait Lambertus, ante condictam diem, seu die secunda Februarii in Italiam ingressus est, ab Italiæ Episcopis, seu Liguriæ, & Longobardiæ, & Comitibus cum plausu, & regia magnificentia exceptus, nam ut subdit Lambertus, *Fama vulgaverat ad deponendum Papam ferocibus cum animis properare.* Eaque spe Longobardiæ Episcopi gratulabantur, *oblatam sibi occasionem esse, qua in eum, qui se jam pridem ab ecclesiastica communione suspenderat, injuriam suam idonee vindicarent.* Henrici tamen Regis sollicitudo ea tunc erat, ut Pontificem sibi reconciliaret, eoque adjuvante, Germaniæ Principes promereretur: hinc ante condictam diem, supplex Canusiæ se sistit, ut his versibus narrat Donizo in vita Mathildis.

Ante dies septem, quam finem Janus haberet,
Ante suam faciem concessit Papa venire
Regem, cum plantis nudis a frigore captis.

Quo statu, & habitu, quibusque conditionibus Henricum Regem exceperit Gregorius, ac absolutione, & communione donatum remiserit, paulopost dicturi sumus: nunc nonnulla, quæ Henrici reconciliationem præcesserunt addimus.

2. Ut

2. Ut etenim narrat Lambertus, Henrici exemplum ad Gregorium properantis secuti sunt Germaniæ Episcopi, aliique. *Quos Papa excommunicaverat, quosque Rex hujus rei gratia a latere suo, extrema necessitate compulsus amoverat, elusis custodibus, qui Clusias obsidebant, in Italiam illæsi pervenerunt, repertoque Papa in Canusio, veniam præsumptæ rebellionis, atque ut excommunicatione absolverentur, nudis pedibus & laneis ad carnem induti suppliciter postulabant. Ille his, qui veraciter peccatum suum agnoscerent, & deferent, non esse ajebat misericordiam denegandam; sed longam inobedientiam, & diu insertam peccato rubiginem diuturnioris pœnitentiæ igne exuri & excoqui oportere. Qua propter si eos revera factî pœniteret, æquo animo paterentur, quodcumque sanandis vulneribus eorum adhiberet Ecclesiasticæ correptionis cauterium, ne ex facilitate indulgentiæ, culpa, quæ adversus sedem Apostol. atrox & vehemens præsumpta fuisset, vel nulla videretur. Illis paratos se profitentibus ad omnia quæ imposuisset, sufferenda; Episcopos omnes a se invicem sevaratos præcepit singulis cellis solitarios includi, nec ullum cum aliquo habere colloquium, ad vesperum autem cibi, & potus mediocri mensura refici. Laicis quoque pro ætatis, vel virium consideratione congruentem singulis pœnitentiam indixit. Ita per aliquot dies exanimatos, tandem ad se vocavit, & leviter pro admissi objurgatos, & ne deinceps simile quid admitterent, commonitos, excommunicatione absolvit. Abeuntibusque id ante omnia repetens iterum atque iterum præcepit, ne Regi Henrico, donec Sedi Apostolicæ post factam injuriam satisfeciſſet, aliquatenus communicarent, aut ei ad evertendum statum Reipublicæ, turbandumque pacem Ecclesiasticam, in aliquo operam suam accommodarent. Ad hoc tamen omnibus indifferenter ejus permisso colloquio, ut ad pœnitentiam provocaretur, & a cursu mali operis, quo præceps rapi videbatur retraheretur.* Hos tamen non tam criminum atrocitate commotos, reconciliationem ab Pontifice expetiisse, adnotat Paulus Bernredienſis, sed ne beneficiis suis exciderent, si in excommunicatione annum integrum perseverassent. *Ipse vero*, ideſt Henricus, *ejusque complices communionem utcumque idcirco festina erant recipere, quia juxta legem Theuticorum, se prædiis, & beneficiis privandos esse non dubitabant, si sub excommunicatione integrum annum permanerent, cujus adhuc*

JESU CHR. AN. 1077. Episcopi, alii que ab Gregorio absolutionem postulant, & obtinent.

Murat. tom. 3. pag. 339.

JESU CHR. AN. 1077.

unius menſis ſuperfuit, dum ad reconciliationem redirent. Communionem itaque, non ut ſe corrigerent, repetebant; ſed ut plurimos jamdudum ab illis anathemate ſeparatos ſibi reſociarent &c. Nam ſtatim poſt reconciliationem, ut prædictum eſt, ad priſtinum volutabrum redire, ſed & ſimoniacis, ideſt Longobardiæ Epiſcopis, *utpote ſui ſimilibus contra Apoſtolicam ſedem aſſentire non dubitarunt.*

Henricus ab Gregorio abſolvi poſtulat.

3. His autem in gratiam receptis, & cum eccleſia reconciliatis; cum ad Canuſii oppidum Henricus adveniſſet, *Mathildam Comitiſſam advocavit, eamque precibus, & promiſſionibus oneratum ad Papam tranſmiſit, & cum ea ſocrum ſuam*, Adelaidem ſcilicet Suſiarum, & Pedemontii Comitiſſam, *filiumque ejus* Amadeum, *Azonem etiam Marchionem & Abbatem Cluniacenſem, & alios nonnullos ex primis Italiæ Principibus, quorum auctoritatem magni apud eum momenti eſſe non ambigebat, objecrant, ut excommunicatione ſolveretur, nec Principibus Teutonicis, qui ad accuſandum eum ſtimulo invidiæ magis quam zelo juſticiæ exarſiſſent, temere fides haberetur. Quorum Papa legatione audita, ait incongruum valde eſſe, & ab Eccleſiaſticis legibus omnino alienum, ut abſentibus accuſatoribus cauſa accuſati ventilaretur, quinimmo ſi innocentiæ ſuæ confideret, omni timoris ſcrupulo liberatus, ſtatuto die in Auguſtam, quo cæteri Principes convenire ſtatuiſſent, fiducialiter occurreret, ſe illic diſcuſſis utrarumque partium allegationibus, nec odio, nec gratia ab jure ad injuriam devolvendum, ſed juxta leges Eccleſiaſticas, quam reſtiſſimam poſſit, de ſingulis ſententiam laturum eſſe*, ait Lambertus.

Quibus conditionibus Gregorius Regem exceperit.

4. Cumque inſtarent legati, & ut ab excommunicationis ſententia tunc Regem quoque abſolveret, communionique eccleſiæ reſtitueret, Pontificem precarentur, ne ultra annum excommunicatus perſeverans, ex Germaniæ Principum ſententia Regno excideret, tandem Pontifex ceſſit, dicens. *Si veraciter eum facti pœnitet, coronam, & cetera Regni inſignia in argumentum veræ, & ex animo actæ pœnitudinis, noſtræ poteſtati dedat: & ſe poſt tam contumax admiſſum, regio nomine, & honore deinceps indignum profiteatur. Durum nimis hoc viſum eſt Legatis. Cumque vehementer inſiſterent, ut ſententiam temperaret, nec calamum conquaſſatum judicii auſteritate penitus contereret: vix & ægre tandem exoratus*

ratus annuit, ut cominus veniret, & si veram pro admissis pœnitudinem gereret, culpam, quam Sedi Apostolicæ contumeliam irrogando contraxerat, Sedis Apostolicæ decretis nunc obediendo expiaret. Venit ille, ut jussum fuerat, & cum castellum illud triplici muro septum esset, intra secundum murorum ambitum receptus, foris derelicto comitatu suo, deposito cultu regio, nihil præferens regium, nihil ostentans pompaticum, nudis pedibus, jejunus mane usque ad vesperam perstabat, Romani Pontificis sententium præstolando. Hoc secundo, hoc tertio die fecit. Quarto demum die in conspectum ejus admissus, post multas hinc inde dictas sententias, his postremo conditionibus excommunicatione absolutus est: Ut die, & loco quemcunque Papa designasset, evocatis ad generale Concilium Teutonicis Principibus, præsto esset, & accusationibus, quæ intenderentur, responderet, ipso Papa (si ita expedire videretur) cognitore causarum assidente; & ad ejus sententiam vel retineret regnum, si objecta purgasset, vel æquo animo amitteret, si probatis criminibus, regio deinceps honore indignus juxta Ecclesiasticas leges decerneretur; nullam sive amisso regno hujus injuriæ vindictam a quopiam hominum perpetuum exacturus. His additum est, ut usque ad causæ suæ cognitionem Regiis ornamentis Regnique administratione se abstineret, malosque consiliarios ab se alienaret, ac tandem additum est, ut si promissis non stetisset, ipso facto se Regno excidisse sciret, Principibus Germaniæ facultate facta, *Regem alium, in quem communis electio consensisset*, creandi, ut narrat idem Lambertus. Jesu Chr. an. 1077.

5. *Gratanter Rex accepit conditiones, & servaturum se omnia, quam sanctissimis poterat assertionibus promittebat, nec tamen promittenti temere fides habita est.* Nam cum eo & pro eo Hugo Cluniacensis Abbas, & Episcopus Citicensis, & Vercellensis, & Azo Marchio, & alii conventionis ejus Principes; *Allatis sanctorum reliquiis, sub juramento confirmaverunt, factum eum esse quæ pollicebantur &c.* Conventione inita, acceptisque conditionibus, Regem Gregorius absolvit, ac ut idem subdit auctor. *Missarum solemnia celebravit, confectaque sacra oblatione Regem cum cetera, quæ frequens aderat multitudine ad Altare evocavit, præferensque manu corpus Dominicum Ego* inquit &c. ac se ab simoniæ crimine, ceterisque quibus infimulatus fuerat, innoxium Gregorius Henricum ab solvit eique communionem inpertitur.

Gregorii contestatio de sua innocentia.

JESU CHR. AN. 1077.

xium se esse obtestatus est, Deum, quem præ manibus tenebat, innocentiæ suæ testem, vel vindicem invocans, sicque Dominicum corpus sumpsit, ad Henricum deinde conversus.

Fac filii, si placet, quod me fecisse vidisti,

Ut scilicet iisdem obtestationibus ab criminibus, ab Theutonici Regni Principibus ei objectis, quorum causa excommunicatus fuerat, innocentem se esse probaret. Qua, *ille inopinata*, ait Lambertus, *Attonitus eluare, tergiversari, consilia cum suis familiaribus segregatus a multitudine conferre, & quid facto opus esset, qualiter tam horrendi examinis necessitatem evaderet, trepidus consulere.* Ac tandem Pontificem rogavit, ut dilata causæ suæ cognitione ad generale concilium, Dominicam sibi communionem daret, ac *haud gravate Papa petenti acquievit*, ait auctor, quod etiam Donizo his versibus confirmat in vita Mathildis.

Henricus purgationem canonicam recusat.

Nam benedixit, tum pacem tribuit sibi, demum
Missam cantavit, corpus dedit, & Deitatis.

Hisque gestis, *Expletoque sacro ministerio*, Regem ad prandium vocavit, benignissimeque *refectum*, & admonitum, ad suos, qui extra castellum remanserant, dimisit: Epponemque Episcopum Caticensem ante eum præmisit, ut eos, qui cum eo excommunicato indifferenter communicaverant, vice sua absolveret.

Henrici juramentum Gregorio factum *urat. tom. pag. 139.*

6. Henrici Regis juramentum Gregorio præstitum, in vita Gregorii exhibet Paulus Bernrediensis, quo se judicio Episcoporum, & Principum, infra terminum, quem Dominus Papa constituerit, se adfuturum, ac ab omni imposterum injuria Pontifici, ejusque comitibus abstenturum promisit, quin opem, protectionemque ubique præstiturum, addidit cujus initium. *Ego Henricus, ac actum*, dicitur *Canusi quinto Kal. Febr. indict. XV.* Hæc tamen temporis nota apud Paulum deest, ac ibidem additam fuisse constat, quam Donizone teste.

Ante dies septem, quam finem Janus haberet,
Ante suam faciem concessit Papa venire.

Ac

Ac Mathildem ejusdem reconciliationis mediatricem fuisse his versibus adnotat, dum inter cetera hæc addit. JESU CHR. AN. 1077.

Cumque dies per tres flarent pro pace loquentes,
Et pax non esset; Rex atque recedere vellet;
Cappellam sancti petit idem Rex Nicolai.
In qua pastorem lacrymans oravit Hugonem
Ut pro pace sua fide justor sibi fiat.
Non licet hoc, Abbas Regi respondit, & astans
Illic Mathildis rogitavit eum. Sed & ipsi
Hoc faciet nemo, respondit, tu nisi Credo,
Poplitibus flexis dicit Rex atque Mathildi.
Tu nisi me multum juveris modo.

Gregorius his Canusio transactis, de Regis pœnitentia, & reconciliatione ad Episcopos, & Principes Germaniæ litteras dedit, quibus rei gestæ seriem breviter complectens, se Regem pœnitentem benigne Canusii excepisse, ac absolvisse, ac cepto fidelitatis juramento narrat, cujus exempla se subjecisse ait, ac in Germaniam se quamprimum profecturum promittit. Interim eos ad unitatem, pacemque servandam hortatur, ut ibidem, vel apud Baronium videre est. Gregorii epist. ad Germanos de Henrici reconciliatione *Lib.* 4. 12.

7. Antequam ad ulteriora progrediatur oratio, adnotare juvabit non defuisse hoc eodem tempore, & usque ad nostram ætatem, qui hunc Gregorii cum Henrico Rege agendi modum, conditionesque appositas asperiores, ac Pontificali dignitate, & Regia majestate indignas fuisse dixerunt. Unde ipse Gregorius in supracitata epistola ad Germaniæ Episcopos, & Principes, ob negatam vel dilatam obsolutionem, quam per legatos postulaverat, cum *Persemetipsum, nihil hostile, aut temerarium ostentans, ad oppidum Canusii, in quo morati sumus, cum paucis advenit? ibique per triduum ante portam castri, depositio omni regali cultu, miserabiliter, utpote discalceatus, & laneis indutus persistens, non prius cum multo fletu Apostolicæ miserationis auxilium, & consolationem implorare destitit: quam omnes qui ibi aderant, & ad quos rumor ille pervenit, ad tantam pietatem & compassionis misericordiam movit, ut pro eo precibus intercedentes, omnes insolitam mentis nostræ duritiam mirarentur: non nulli vero in nobis Apostolicæ severitatis gravitatem, sed quasi tyrranicæ feri-* An Gregorii cum Henrico gesta, fuerint asperiora.

JESU CHR. AN. 1077.

feritatis crudelitatem esse clamarent &c. Eademque cum Gregorio de adstantium adversus Pontificem querelis in ejus vita adnotat Paulus Bernedienſis his verbis. *Ibique ante portam castri*, Canusii, *per tridum depositio omni regio cultu, miserabiliter, utpote discalceatus, & laneis vestibus indutus persistens, non prius cum multo fletu Apostolicæ miserationis auxilium, & consolationem implorare destitit, quam omnes qui aderant, & quas rumor ille pervenit, ad tantam pietatem, & compassionis misericordiam movit, ut pro eo multis precibus & lacrymis intercedentes, omnes quidem insolitam Domini Papæ duritiam mirarentur, nonnulli vero in eo, non Apostolicæ serenitatis gravitatem, sed quasi tyrannicæ severitatis crudelitatem esse clamarent: denique instantia compunctionis ejus, & tanta omnium, qui ibi aderant, supplicatione Papa devinctus, tandem eum, relaxato anathematis vinculo, communionis gratiam, & sinum sanctæ matris ecclesiæ recepit &c.* Hinc non mirum, ut hæc idem Gregorius, ejusque vitæ scriptor, de severitate tunc cum Henrico adhibita adnotaverint, non mirum inquam, Gregorii infensissimos hostes, quorum agmen Benno Guibertinæ factionis Cardinalis ducit, eumdem Gregorium non solum severitatis, aut disciplinæ ecclesiasticæ servandæ durissimum exactorem insimulasse, sed etiam superbiæ extremæ atque insolentiæ reum, ac dirum tyrannum dixisse. Unde non spontaneam, sed coactam Henrici Regis pœnitentiam proindeque nullam retractationem ab eo factam, fidemque datam Benno dicere non dubitavit. *Extortam*, inquit ipse, *confessionem invitus ac coactus apud Canusium in præsentia Hildebrandi Rex protulit. Dicite quæso qui justitiam diligitis, qui ad dextram vel sinistram favore alicujus personæ declinare non nostis, dicite quæso, si confessio tanto tempore extorta cuilibet pauperi, ne dum Cæsari præjudicare debuit? si ex confessione extorta potius non extitit reus canonum hic qui extorsit, quam qui perverse judicatus, perverforis judicis injuriam & violentiam patienter, & publice, & cum lacrymabili afflictione nudis pedibus in laneis vestibus, hyeme præter solitum tum aspera apud Canusium, spectaculum Angelorum factus, & hominum, & Hildebrandi ludibrium, triduo pertulit.* Hæc Benno schismaticus, cujus sententiæ subscribunt passim post Magdeburgenses Centuriatores Hetherodoxi, aliique Romanæ etiam communionis auctores, qui Romanorum Pontificum

gesta

gesta carpere, in deterioremque sensum exponere conati sunt, quorum nomina utpote Lippis, tonsoribusque notissima recensere non juvat. Si quis tamen inter Gregorium, & Henricum gesta, mente ab præjudiciis aliena perpenderit, Gregorium quidem ecclesiast. disciplinæ vindicem fuisse fatebitur; at eum ab inmoderata severitate, multoque magis ab crudelitatis, vel tyrannidis nota facile absolvet. Si enim Henricus in Canusii oppido rigente hyeme discalceatus, ac lanea, vel linea veste indutus Gregorio se sistitit, eumque tridùo post in suam Pontifex præsentiam admisit, cui id tribuendum est, Gregorio ne, an Henrico? Illuc sane Gregorius cum non vocaverat, quin inscio, invitoque Gregorio, in Italiam præpostero, difficilique itinere properaverat, ne causam suam in Augustano conventu, ubi Gregorius quoque adesse promiserat, ut ibidem apud Germaniæ Episcopos, & Principes, causam ageret, at consultius se apud Pontificem acturum confidens, quam in conventu Augustano, ne hactenus in ecclesiæ injuriam, Regnique administratione gesta in judicium revocarentur, ad pœnitentiæ remedium confugit, ac pœnitentiam agens, vel simulans (hoc etenim incertum est) pœnitentis personam, vel speciem induit: quid itaque mirum quod in humili, abiectoque animo, & habitu se se Gregorio exhibuerit, satillitio sane circumdatus, purpura indutus, coronaque redimitus, in pœnitentium classem admitti, nec petiit, nec debuit. Theodosius Magnus ob Thessalonicensium cœdem, ab ecclesiæ liminibus, & communione Ambrosii sententia exclusus, octo mensibus in luctu, & lacrymis in Palatio transactis, cum ad ecclesiam, instante die Natali Salvatoris nostri advenisset, veniamque precatus, in Templum ingressus esset. *Non flans, nec genibus flexit supplicavit Deo, sed pronus humi jacens, Davidicam hanc vocem emisit. Adhæsit pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum: denique manivus comam vellens, frontemque percutiens, & lacrymarum manantibus guttis solum rigans, veniam sibi dari poscebat.* Ait Theodoritus, nunquid ergo Ambrosius in Theodosium crudelis, asper, aut tyrannus fuit, cum eum pœnitentiam pro scelere patrato agere coegit, aut Theodosius sua dignitate Imperiique majestate excidit, dum coram Deo, ejusque administro, & Sacerdote Ambrosio humi prostratus, comam vellens, lacrymis solum rigans, frontemque percutiens,

Jesu Chr. an. 1077.

Theodoret. lib. 5. cap. 18.

JESU CHR. AN. 1077.

tiens, veniam sibi dari postulavit, quin potius, cum Magnus ob præclare gesta dici meruerit, ob publicam tunc peractam pœnitentiam Maximus etiam dici potuit. Eodem fere ritu, iisdemque humilitatis indiciis luctuosam pœnitentiam semel, atque iterum, ob necem Bernardo nepoti, consensu suo illatam Ludovicus Pius egit, anno scilicet 822. & anno 833. *Multo cum dolore flevit, multo tempore*, ait Theganus. *& confessionem dedit coram omnibus Episcopis suis, & judicio eorum pœnitentiam suscepit*: Cumque iterum etsi injuria, & Lotharii factione in judicium vocatus esset. *Arma deponere, & ante altare ponere cogunt, pullaque veste indutum, adhibita custodia sub tectum quoddam retrudunt*. Ut sic pœnitentis speciem præferret, cumque ab Lotharii tyrannide ereptus esset, ab Ludovico, & Carolo, suæque dignitati, & libertati restitutus. *Episcopali* nihilominus *ministerio reconciliari voluit, & per manus Episcoporum accingi consensit*. Ait auctor vitæ ejus, ideft Episcopali auctoritate Imperii, Regnique insignia recepit. Longius oratio progrederetur, vixque exitum haberet, si quamplurima, quæ de pœnitentium habitu, & statu dicenda occurrunt hoc loco exscriberemus, dicta superius satis probant, luctuosam Henrici triduanam pœnitentiam sponte ab eo susceptam, numquam vero ab Gregorio imperatam fuisse, ac immerito eum inmodicæ severitatis a nonnullis argui, quem fortasse plus æquo disciplinæ vigorem relaxasse apparet, dum graviorum criminum reum, triennali vix pœnitentia expiandum, triduana contentus fuit. Sed ad historiam redeamus.

Gregorius legatos Mediolanum mittit. *Murat. tom. 4. Arnulph. lib. 3. cap. 9.*

8. Postquam Henricus, absolutione obtenta ab Gregorio dimissus est, Mediolanum transiit, ubi cum esset. *Sensit Mediolanensium populum Thedaldi Præsulis societatem culpabilem, divina lege prohibente communicari excommunicato, misit Domino Papæ Legatis solutionem imploravisse. Cui legationi ipse ego interfui de præteritis satisfaciens in futuro castigari promittens*, ait Arnulphus. *Papa vero sapienti usus consilio, venerabiles viros Lucensem* (nempe S. Anselmum), *& Ostiensem* (scilicet Geraldum) *Episcopos, direxit Mediolanum daturos venium quibuscumque poscentibus. Ubi vero ingressi sunt Urbem, lætata est civitas universa. Qui toto illo triduo, confluentibus ad eos civibus, divina prædicantes eloquia cunctos absolventes benedicunt universos. Quod Thedaldus* (Archiep. Mediol. excommunicatus) *indigne satis ac moleste tulit*,

tulit, adeo ut seditionem in populos bellumque concaretur inferre, sed minime valuit &c. De hac Geraldi Ostiensis, & Anselmi Lucensis Episcoporum legatione agens auctor vitæ Anselmi, hæc narrat. *Infra quindecim (ut opinor) dies, post absolutum scilicet Regem, cum beatus Episcopus Anselmus legationem domini Papæ una cum religiosissimo Ostiensi Episcopo Geraldo Mediolanum deferret: Impediti sunt a militibus illius, & captus est Ostiensis Episcopus, sanctum autem Anselmum nequaquam ausi sunt tangere, quoniam indigena fuit, & nobilis prosapiæ. Ipse autem ultro se capiendum ingerebat, dicens, quod a socio legationis non discederet. Aut illum* (inquiens) *dimittite, aut me captum cum illo tenete. At illis hoc non præsumentibus, tristis abscessit, volens si posset, pro fratre suam animam ponere &c.* Hæc ibidem dimissus tamen paulopost Geraldus Ostiensis Episc. fuit, ac ambo legationem sibi delegatam, non sine Mediolanens. lætitia obierunt. JESU CHR. AN. 1077.

9. *Non multo post*, subdit Bernriedensis in vita Gregorii, *Rex ab Apostolico jam Regni concessionem callide, ut communionem, elicere volebat. Missa enim legatione, humiliter ei supplicabat, ut vel eum semel apud S Joannem in Moytia* (seu Moedetia, aliquot milliaribus Mediolano distante) *per Episcopos Papiensem, & Mediolanensem, more priorum Regum, coronari permitteret: vel si hoc nollet fieri per hujusmodi Episcopos, utpote excommunicatos, saltem hoc privilegium Apostolica auctoritate cuilibet Episcopo concederet exequendum, ob hoc maxime appetens coronari, ut cum communione etiam Regnum a Romano Pontifice videretur recepisse. Sed Papa calliditatem ejus jam satis expertus, nullo modo votis ejus voluit acquiescere: diligenter secum ipse reputans, se quidem eum pro multis criminibus, & maxime pro inobedientia, & contumacia Apostolicæ Sedi irrogata, a Regno deposuisse, omnesque ei juratos ab ejus dominio exemptos reddidisse, & ab hoc nullatenus cum, sicut nec alium in Regem Principibus, utpote liberis hominibus, superponi debere absque eorum electione. . . Rex igitur ea vice quoque simulata obedientia apud Moduetiam regalia insignia non usurpavit*, paulo post tamen ob negatam Longobardici Regni coronam, ac ab Longobardiæ Episcopis, & proceribus excitatus, *Contra bannum Domini Papæ resumere, & interdicta Regni gubernacula usurpare non timuit.* Ait Paulus Bernriedensis. Gregorius Henricum Modoetiæ coronari prohibet. *Cap. 86, pag. 340.*

JESU CHR. AN. 1077. Epiſcoporum, & Principum Longobard. adverſus Gregorium, & Henricum quærelæ.

10. Epiſcopi etenim, Principeſque Longobardiæ ægre ferentes Henricum Pontifici ſe ſubmiſiſſe, duraſque ſibi impoſitas conditiones acceptaſſe cum illic advenſſet. *Vehemens in eum ira & indignatio exorta eſt. Fremere omnes, & ſevire verbis, & manibus cœperunt, Apoſtolicæ legationis irriſoriis exclamationibus obſtrepere, convicia, & maledicta quæcunque turpiſſima furor ſuggeſſiſſet, irrogare. Se excommunicationem illius nihil æſtimare, quem ipſum omnes Italiæ Epiſcopi juſtis ex cauſis jam pridem excommunicaſſent, qui ſedem Apoſtolicam per ſimoniacam hæreſim occupaſſet, homicidiis cruentaſſet, adulteriis, aliiſque capitalibus criminibus polluiſſet, Regem ſecus ac deceat egiſſe, crimenque gloriæ ſuæ intuliſſe nunquam abolendum, quod homini hæretico, & probris omnibus infamato majeſtatem regiam ſubmiſerit, & quem juſtitiæ patronum, legumque Eccleſiaſticarum vindicem ſibi paraſſent, is fœdiſſima ſubjectione ſua Fidem plane Catholicam, auctoritatem Eccleſiæ, dignitatem Reipublicæ prodiderit, ſe in ultionem ejus omnes, quas potuerint, Papæ injurias irrogaſſe. Et nunc (quod dictu quoque turpe ſit) ſe in mediis perturbationum fluctibus rélictis, ipſum ſibi conſuluiſſe, & cum hoſte publico privata neceſſitudine in gratiam rediiſſe.* Schiſmaticæ factionis præcipui erant Thealdus Mediolanenſis, Sigefridus Bononienſis, Rolandus Treviſanus, tum Epiſcopi Firmanus, & Camerinenſis, qui paulo ante ab Henrico Epiſcopatum adepti fuerant, nec ab iis ſejungendus Guibertus Parmenſis Ravennatenſis Archiepiſcopus, qui olim Cadolai ſchiſma ſecutus, adverſus Gregorium quoque rebellis fuit. Interea Italiæ Principes ab iis excitati, hæc, aliaque jactando. *Paſſim per populum ferendo ingens Regi odium brevi conflaverant. Adulta poſtremo ſeditione, una omnium voluntas, una ſententia erat, ut abdicato patre, qui ultro regni faſcibus indignum ſe effeciſſet, filium ejus licet impuberem adhuc, & Regni negotiis immaturum Regem ſibi facerent, ut cum eo Romam profecti, Papam alium eligerent, per quem ipſe protinus Imperator conſecraretur, & omnia Papæ hujus apoſtatici geſta caſſarentur. Perlato ad Regem tam moleſtæ conſpirationis nuntio, miſit propere quidquid apud ſe Principum erat, ut qua ratione, quaque poſſet induſtria efferatæ multitudinis animos mitigarent, ne moleſte acciperent, aut in contumeliam ſuam factum reputarent, quod extrema neceſſitate compulſus, com-*

JESU-CHR. AN. 1077.

communis commodi ratione feciſſet, nec Teutonicis Principibus, qui ſibi per calumniam regnum eripere, dedita opera machinarentur, nec Romano Pontifice, qui ad evertendum ſtatum ſanctæ Eccleſiæ ſpirituali gladio circumquaque fulgurabat, aliter ſatisfacere potuiſſe, quam ut ante ſtatutam diem excommunicatione abſolveretur &c. His addit Lambertus Italiæ Principes in Henricum adeo exaſperatos fuiſſe, ut etſi ſeditio aliquantulum compreſſa fuerit, a pluribus tamen vel derelictus, vel ſpretus fuerit, itaut cum Italiæ civitates circuiret, nec ſolito honore, vel acclamationibus excipiebant eum, nec urbibus admittebant, ſed vix in ſuburbiis poſito ad victum neceſſaria ei, ſuiſque ſubminiſtrabant. Quare *Territus Rex inſolita rerum facie, ſeroque pœnitens, quod incognitæ gentis inexpertæ prius fidei ſe credidiſſet, & Theutonicis finibus excedendo hoſtem mutaſſet, non evaſiſſet, gravi ſollicitudine, & metu perurgebatur, nec ullum uſquam effugium inveniebat, niſi in reconciliandis forte, ſi qua ratione poſſet, quos offenderat, Italorum animis &c.* Quod ut perficeret, pactiones cum Gregorio initas ſolemnique juramento firmatas abrupit, quas vix per dies quindecim obſervatas fuiſſe tradit Bertoldus Conſtantienſis, quin ſex tantum diebus, eodem retentas fuiſſe addit Donizo his verſibus.

Donizo. vita Mathil. lib. 2. 1.

Rexque die ſexto remeavit Bibianellum
Corde dolo pleno, & plena veneno.

Henricus Rex ſchiſmaticis iterum ſociatur.

11. Quare ut narrat Lambertus, Uldaricum de Cosheim, ceteroſque, quos utpote excommunicatos ab ſe dimiſerat, iterum revocavit, ſuæque gratiæ, & familiaritati reſtituit. *Tum aſſidue in conventu Principum criminabatur, & detrahebat Romano Pontifici, quod ipſe omnem hunc, qui Rempublicam concuſſit, ventum turbinis, & commotionis ſævi ſimæ procellam ſuis machinationibus concitaſſet, ipſe omnium, quæ in Eccleſia omni recenti memoria ſecus accidiſſent, auctor incentorque extitiſſet, hortabatur. omnes in commune. ut ſuo ductu, ſuiſque auſpiciis tantarum ab eo injuriarum vindictam expeterent. Deinde conditiones omnes, & univerſa Eccleſiaſticarum legum vincula, quibus ille eum Apoſtolica auctoritate in ſalutem obſtrinxerat, contemptim tanquam aranearum telam dirupit, abiectiſque omnibus timoris Dei habenis, in*

JESU CHR. AN. 1077.

in omne quod animus suggessisset, effrenata libertate ferebatur. Qua agendi ratione adhibita, Italorum animos sibi conciliavit, ut ad eum frequentiores convenirent, copiosioresque sumptus ad exercitum alendum subministrarent. Eamdem cum Italiæ Principibus agendi rationem Germaniæ quoque Proceres aliquot, & Episcopi secuti sunt. Ex his Liemarus Bremensis *Archiepiscopus*, *Eppo Citicensis Episcopus*, *Benno Osenbruggensis Episcopus*, *Burchardus Basiliensis Episcopus*; *laici Udalricus*, *Eberehardus*, *Bertholdus*, *& alii pene omnes, quos in Oppenheim Legati Apostolicæ Sedis a contubernio ejus propter excommunicationem segreguverant, qui nunc post receptam communionem cum eum quoque Ecclesiæ reconciliatum comperissent, unanimiter ad eum confluxerunt, & ei deinceps peregrinationis ejus individui comites adhærebant.*

Germaniæ Principum conventus ad versus Henricum.

12. At dum sibi de recuperata Italorum Germanorumque gratia Rex Henricus blandiretur; ceteri Germaniæ, Principes, & Episcopi. *Moguntinus scilicet Virzeburgensis, & Metensis Episcopi, Rodulphus, Vvelph, Bertosphus Ducet, & alii plerique ex Principibus Teutonicis convenientes, tractare de utilitatibus Reipublicæ statuerunt, Principes Saxoniæ, & omnes, quibuscunque Respublica curæ foret, tertio Idus Martii in Forcheim occurrerent, & communi consilio, quid facto opus esset, decernerent, præsertim cum per absentiam Regis tranquillis rebus, tempus opportunum deliberationis, ac consultationibus nacti fuissent, Romano quoque Pontifici scripserunt, ut quoniam in Purificatione sanctæ Mariæ Augustam juxta conditum, dolo Regis præventus, occurrere non potuerat, saltem in Forcheim, statuto die præsto esse satageret, & sedandis bellorum civilium tempestatibus, quibus jamdiu periclitaretur Respublica, Apostolici moderaminis gubernaculum adhiberet &c.*

Gregorius legatos in Germaniam mittit.

13. His ab Germaniæ Principibus acceptis litteris, Gregorius etsi Henricum mutata mente hostilem in eum animum gerere adiectasque in absolutione ejus conditiones violasse fama vulgante didicisset. *Misit tamen unum ex Cardinalibus Episcopis Romanæ Ecclesiæ, Gregorium nomine, & alios, quos ei negotio idoneos arbitrabatur, qui ei dicerent, tempus esse, ut promissa compleret, conventuros in Forcheim tertio Idus Martii Principes Teutonici regni ad componendum (si Deus votis annuat) statum Reipublicæ: veniret ergo ut pol-*

pollicitus sit, & crimina, quibus innocens, ut ipse asserat, a calumniatoribus suis impetitus sit, se cognitore, & judice præsidente, respondere, multum rebus suis, salutique, & apud Deum, & apud homines collaturus, si Ecclesiam scandalis, Rempublicam bellis civilibus, seipsum fœdissimæ existimationis macula liberaret: præsertim cum ea die, discussis synodice, quæ adversus eum afferantur, causis, vel recepturus esset regnum, vel sine omni deinceps retractatione amissurus. &c. Henricus vero, & Regni Italici necessitates, & temporis angustias ad iter in Germaniam suscipiendum causatus, re infecta legatos dimisit. Quare Gregorius misit protinus Bernardum Abbatem de. *Mansilia, virum eximiæ conversationis, & multarum in Christo virtutum, item alium Bernardum Cardinalem diaconum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ut Principibus Teutonici regni, qui (ut supra dictum est) tertio Idus Martii Forcheim conventuri erant, occurrerent, eosque per ordinem, quæ gesta erant, docerent, se juxta placitum dedita opera enisum fuisse, ut die, & loco statuto, communibus sanctæ Ecclesiæ utilitatibus tractandis præsto esset, sed domini Henrici diligentia ita circumventum, ita omnes, per quas transitus esse potuisset, itinerum angustias præoccupatas, ut nec tuto in Germaniam progredi, nec tuto Romam regredi valeat. Proinde monere eos, ut suis interim rebus, & regno Francorum, quod diu jam unius hominis puerili levitate vexetur, quaqua possint ratione, moderentur, donec (si Deus velit) adempta itineris difficultate ipse venire, & collatis in medium consiliis, quid utilitati, quid honestati omnium, quid paci Ecclesiasticæ expediat, secundum Ecclesiasticas leges decernere possit &c.* Hucusque Lambertus Schanaburgensis monachus, hisque historiæ suæ finem imposuit, auctor sane non solum ætate cœvus, sed etiam fide, digniſſimus, quo deficiente, vix alterum præter Bertoldum qui præsens res viderit, sibi occurrere adnotat Baronius, alii tamen post Baronii ætatem Lamberto ætate suppares, fideque digni in lucem prodierunt, quibus hujus temporis historia illustratur, auctores scilicet vitæ Gregorii septimi Pandulphus Pisanus, & Paulus Bernriedensis, ex Germanis vero Bruno auctor historiæ belli Saxonici.

JESU CHR. AN. 1077.

14. Quum itaque dies condicta, seu Purificationis festum transiisset, qua Henricus se Augustæ adfuturum promise-

Germaniæ Principes de

JESU CHR. AN. 1077. Rege Germaniæ eligendo tractant.

miserat, ut in Episcoporum, Principumque Germaniæ conventu causam suam tueretur, objectaque crimina dilueret, *& Papam, ne illuc veniret fraudulenter in Longobardia præoccupasset*, ait Paulus Bernriedensis, & ne in Germaniam transiret, Alpibus occupatis, prohiberet; Germaniæ Principes. *Apud Ulmam conventu facto*, ut subdit is auctor, *generalius colloquium ad Forecheim* (Episcopi Bambergensis oppidum) *quarto idus Martii ad novi Regis electionem condixerunt, ad quod etiam domini Apostolici consilium, & auxilium sibi venire, missa legatione, postulaverunt. Quo audito Papa ad id colloquium Legatos direxit, qui Principes rogarent ut dispositionem Regni usque in adventum ejus differrent, si hoc sine periculo fieri posse sperarent. Noluit sane eis hoc ex definito præcipere, ne sibi jure imputari posset, si quod periculum status Regni ex illa dilatione incurrisset. Altera autem die post dimissionem Legatorum, Manegoldus Comes, magnus amator veritatis, advenit, cujus relatione Papa de novo Rege constituendo certior factus, alium Legatum, Gregorium scilicet Romanæ Ecclesiæ Diaconum, ad Principes regni destinavit: qui eos Apostolica auctoritate adventum ejus præstolari compelleret.* Novi quippe Regis electionem usque ad adventum suum differri non semel jusserat Gregorius, eo sane prudentissimo consilio ductus, ne inde majora in ecclesiam, & Rempublicam incommoda, ex civili bello, provenirent, dumque hæc tractarentur, & adhuc in Canusii oppido Gregorius esset. *In capite jejunii, quod eo anno contigit in Kal. Martii, erant ibi tunc præsentes prænominatus Comes Manegoldus, & venerabilis Presbyter Erkinbertus cum aliis plurimis; Percepta igitur legatione, statim legatus ad Regem properavit cum prædicto Comite, sed Rex securitatem quam Papa postulabat* (itineris scilicet in Germaniam suscipiendi,) *facere contemsit; Unde & ille legatus ad Apostolicum redire non tardavit. At Comes ad proximum Forecheimense colloquium venire accelleravit quo & priores legati jam pervenerant, qui una tantum die priusquam præfatus discederet Comes ab Apostolico missi fuerant. Hi autem erant legati Bernardus S. R. E. Cardinalis diaconus, item alius Bernardus Abbas religiosus de Marsilia fere sexcentorum monachorum pater, qui etiam secum duxit egregium doctorem quemdam nomine Christianum, seu Guitmundum postmodum Aver-*

Aversanæ civitatis Episcopum cujus opus extat eximium contra Turonensem Berengarium.

Jesu Chr. an. 1077. De Guitmundo Aversino Episcopo. *Biblioth. PP. tom.* 18. *pag.* 440.

15. Hunc porro Guitmundum qui adversus Berengarii hæresim de veritate corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia, de Trinitate etiam, & humanitate Christi tractatus scripsit, hunc Gulielmus Angliæ Rex oblato Episcopatu in Angliam invitaverat; at is oblatam dignitatem, missa ad Gulielmum oratione recusavit, paulopost tamen ab Gregorio septimo Aversanus Episcopus prope Neapolim in Campania ordinatus est, quam *ecclesiam sibi commissam diu rexisse*, ait Oldericus qui pluribus de eo agit, atque eum seculi 12. initia attigisse ait Pagius not. 9. an. 1105., ejus tamen vitam decurtavit Caveus tom. 2. p. 146. dum scribit *obiit anno* 1080, cum vix Episcopus ordinatus fuerat, de quo plura dabunt eruditi auctores hist. litter. Franc. tom. 8. p. 553. & seq. Ad conventum Principum Germaniæ Forocheimense redimus de quo idem Paulus in vita Gregorii, ait: *Facto igitur conventu apud Forecheim, præfati legati litteras Apostolicas in medium protulerunt: quam parum dominus Papa de promissione Regis lætatus fuerit; cum adversariis Ecclesiæ plus audaciæ quam terroris ex præsentia Regis acciperent. Ad hoc, ajebant, cum petere, ut novi Regis electionem de qua audierat, in adventum ejus differrent si hoc sine periculo fieri posse perpenderent. Peracta igitur Lectione Archiepiscopi, Episcopi, Duces, Marchiones, Comites majores atque minores, debitam reverentiam Legatis impendentes, per consensum singuli surrexerunt, & quot contumeliis & quot periculis jam ab Henrico Rege affecti essent, vel se afficiendos fore non dubitarent, Legatis lamentari cœperunt; seque toties insidias ejus inter ipsa pacis oscula vix evasisse, ut nec juramento ejus deinceps aliquam fidem exhibere possent; Hoc quoque addentes se tandiu cumposi depositionem toleraste, non utique ut correctionem ejus utpote desperatam, expectarent, sed ut quibusdam occasionem calumniandi auferrent, qui fortasse ei, si non tandiu expectaretur, totaque illa die cum hujusmodi querimoniis transacta, nec medietatem injuriarum sibi illatarum enumerare potuerunt.*

Germaniæ Principes Rodulphum in Regem eligunt.

16. Post aliqua: *Hoc igitur Principes regni diligentissime perscrutati, se quidem a Regis Henrici potestate, penitus, ut prædictum est, emancipatos, nec se illi plusquam illum alicujus fidelitatis vel subjectionis (juramento) obnoxios, ut liberi homi-*

JESU CHR. AN. 1077.

nes Rudolphum Ducem Svevorum fraustra multum renitentem frustraque vel unius horæ inducias ad consulendum petentem, Regia dignitate sublimaverunt: virum sane in humilitate præcipuum, Regio honori ætate, & moribus idoneum; eique se debito fidelitatis sacramento subdiderunt. Qui utique regnum, non ut proprium, sed pro dispositione sibi creditum reputans omne hæreditarium jus in eo repudiavit, & vel filio suo se hoc adoptaturum fore penitus abnegavit: justissime in arbitrio Principum esse decernens, ut post mortem ejus libere non magis filium ejus, quam alium eligerent, nisi quem ad id culminis ætate, & morum gravitate dignum invenissent. Hunc igitur Rudolphum, legitime electum Archiepiscopi Moguntinus, & Magdeburgensis cum eorum suffraganeis, Legatis sedis Apostolicæ præsentibus, & regni Principibus, Regali inunctione consecrarunt. Electus est autem ab Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Comitibus majoribus atque minoribus, in Conventu apud Forcheim, anno Dominicæ Incarnat. MLXXVII. anno IV. venerabilis Papæ Gregorii hoc nomine septimi, Indictione XV. Idibus Martii. Postea die duodecimo apud Moguntiam consecratus est, idest VII. Kal. Aprilis, ubi tunc medium Quadragesimæ occurrit; Eadem de Forcheimensi conventu narrat Bruno auctor historiæ belli Saxonici, qui & addit. *Hoc etiam ibidem consensu comuni comprobatum, Rom. Pontificis auctoritate est corroboratum, ut Regia potestas nulli per hæreditatem (sicut ante fuit consuetudo) cederet, sed filius Regis, etiamsi valde dignus esset per electionem spontaneam, quam per successionis lineam Rex proveniret: si vero non esset dignus Regis filius, vel si nollet cum populus, quem Regem facere vellet, haberet in potestate populus. His omnibus legaliter constitutis, Rodolphum electum Regem Moguntiam eum magno honore deducunt, & ei dum consecrationem Regis accipiebat, venerabiliter & fortiter (sicut mox apparebat) assistant. Consecratur autem a Sigifrido Moguntinæ civitatis Archiepiscopo, præsentibus & adjuvantibus aliis quamplurimis, Anno Domini* 1077. *Kal. Aprilis*. Diem vero inaugurationis Rodulphi infaustam fuisse addit, eo quod cum festa ob novi Regis electionem celebrarentur, orta lite inter cives, qui Henrico magis, quam Rodulpho favebant, & Rodulphi familiares, armati hinc inde progressi, quamplurimi ex utraque parte occisi sunt. Quare *Rex*, Rodulphus *non habens*

habens eis fidem, quam Moguntini juraverant, *civitatem dimisit*, *& ad Svevos abiit*, *ibique parum moratus ad Saxonium transit*; ac Paschatis festum Augustæ celebravit, Pentecostes in Erpesfort; Festum vero Principum Apostolorum Petri, & Pauli in urbe Mersburgensi, ut is auctor narrat. Hactenus de Henrici exauctoratione, & de Rodulphi inauguratione in Germaniæ Regnum, quibus meridiana luce clarius constat, nullam in Henrici dejectione ab Regno Germanico, partem Gregorium habuisse, ad quem etiam Henricus supplex opem ab eo imploraturus confugit, ut adeptam Regni possessionem retineret, ut mox dicturi sumus: hinc iterum repetimus, nonnisi ad invidiam Gregorio conciliandam, ab scriptoribus nonnullis tradi, ipsum Henricum Imperatorem non solum communione, sed etiam regno privasse, subditosque a fide data liberasse, quæ sane a veritate aliena esse & dicta probant, & dicenda confirmabunt. JESU CHR. AN. 1077.

17. His interea peractis, cum Gregorius ab Henrico legatos accepisset, quibus Pontificem rogabat, ut causam suam tueri pergeret, neque se Regno privari permitteret, aliosque ab Rodulpho missos accepisset, quibus *ei debitum obsequium in ecclesiasticis administrationibus promisit*, *multoque se promptiorem ad obediendum sedi Apostolicæ*, *quam antecessor ejus exhibuit &c.* A: Gregorius neutri tunc parti adhærere voluit, quin utriusque causam, usque ad concilium, seu conventum in Germania celebrandum in suspenso retinuit, ac Bernardo diacono, & altero Bernardo Abbati Massilienſi legatis suis scribens, ut sibi itineris libertatem, securitatemque in Germaniam eundi, ab Henrico, & Rodulpho obtinerent, admonuit. *Quocirca monemus vos*, ait, *& ex parte B. Petri præcipimus*, *ut fulti auctoritate hujus nostri præcepti*, *nostraque vice ab eodem Apostolorum Principe accincti*, *utrumque Regem*, *Henricum videlicet*, *atque Rudolphum commoneatis*, *quatenus viam nobis illuc secure transeundi aperiant*, *& adjutorium atque ducatum per tales personas*, *de quibus vos bene confiditis*, *præbeant*, *ut iter nobis*, *Christo protegente*, *pateat*. *Desideramus enim cum consilio clericorum*, *atque laicorum ejusdem regni*, *qui Dominum timent & diligunt*, *causam inter eos*, *Deo favente*, *discutere*, *& cujus parti magis ad regni gubernacula justitia favet*, *demonstrare*. *Scitis enim*, *quia nostri officii*, *& Apostolicæ Sedis est providentiæ* Gregorius neutri parti adhæret. *Lib. 4. epist. 23.*

JESU CHR. AN. 1077. *majora Ecclesiarum negotia discutere, & dictante justitia definire. Hoc autem quod inter eos agitur negotium, tantæ gravitatis est, tantique periculi, ut si a nobis fuerit aliqua occasione neglectum, non solum illis & nobis, sed etiam universali Ecclesiæ magnum, & lamentabile pariat detrimentum.* Si vero eorum alter his parere recusaverit, excommunicatione plectatur, & regia dignitate alienus declaretur *Alteri autem, qui vestræ justioni humiliter paruerit, & obedientiam universali matri, sicut decet Christianum Regem, exhibuerit, convocato consilio omnium clericorum, & laicorum, quos advocare poteritis, consilium & adjutorium in omnibus præbete & in regia dignitate per auctoritatem beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & nostra vice confirmate, omnibusque Episcopis, Abbatibus, clericis, ac laicis in omni regno habitantibus, ut sibi fideliter, sicut oportet, Regi obediant, & deserviant, ex parte omnipotentis Dei præcipite. Datum Carpinetæ, pridie Kal. Junii Indict. XV.* Quo in loco data est Gregorii epistola ad Rodulphum Turonensem Archiepiscopum, qua se causam ejus cum Dolensi Episcopo cognituram

Lib. 4. 13. promittit. *Cum in partes Regni Teuticorum, prout destinavimus, hoc tempore transierimus, aut tales, qui hanc causam sincera exploratione discutiant, atque definiant, mittere procurabimus, quod si neutrum fieri potuerit, & te, & Dolensem Episcopum ad præsentiam sedis Apostolicæ convocabimus:* data est *in Longobardia in loco, qui dicitur Carpineta Kal. Martii Indict. 15.*

Gregorii epist. de Rodulphi electione in Regem.

18. Eodem in loco, & tempore ad Germaniæ Episcopos, & Principes, & ad reliquos Christi fideles clericos, & laicos scribens admonuit, se per legatos suos Bernardum Diaconum, & Bernardum Abbatem ab utroque Rege Henrico, & Rodulpho petiisse, ut in Germaniam ad eorum causam discutiendam proficisci liceret; *Uterque enim Rex,*

Lib. 4. epist. 24. ait Pontifex, *a nobis, imo ab Apostolica sede, cui licet indigni præsidemus, adjutorium requirit &c.* Quorum causam se dijudicaturum fore promittit, ac ut votis suis, legatorumque suorum postulationibus faverent, hortatur, Carpineti quoque commorans ad Nehemiam Strigonien-

Lib. 4. 25. sem Archiepiscopum scribens, quod legatum ejus diu apud se retinuerit rationem reddit, ac ut Regem nuper electum admoneat, ut per legatos suos obsequium Apostolicæ sedi reddat, hortatur,

tatur ; quinto autem Idus Junii ad Dominicum Gradenſem Patriarcham, & ceteros Venetiæ Epiſcopos ex Carpineto ſcripſit, eos admonens, ſe Gregorium Rom. eccleſiæ Diaconum miſiſſe ut eccleſiaſticas ibidem res componeret, ac ut ei obedirent, juſſit, eademque die Dominicum Silvium Venetiarum Ducem aliis litteris admonuit, ut ab Gregorio legato ſuo ſe ſuoſque ob favorem excommunicatis præſtitum, & cum iis conſortio, ab excommunicationis pœna in quam inciderant, pœnitentia accepta, ſe abſolvi faciant, ac ut legato ſuo de eccleſiarum ſtatu, & chriſtianæ religionis ordine tractaturo faverent, jubet, quo in loco ultimam quoque libri quarti epiſtolam ad Hiſpanos datam ſcripſit, qua inter cetera Hiſpaniæ Regnum, ex antiqua conſtitutione juris S. Petri, & veſtigale fuiſſe adnotat, ac ſe Amatum Elorenſem Epiſcopum cum Abbate S. Pontii ad eos miſiſſe addit, ut rebus ibidem tum ſpiritualibus, cum temporalibus provideret, ex quibus ſane apparet, quod dum Gregorius in Longobardia Henrici factione obſeſſus quodammodo teneretur, ut neque in Germaniam proficiſci, aut in urbem redire tuto liceret, ac negotiis undique urgentibus premeretur, nihilominus eccleſiarum ſollicitudinem non aliter, ac ſi ſummo otio uteretur, geſſit, ut ejuſdem tunc datæ epiſtolæ teſtantur.

JESU CHR. AN. 1077. Aliæ Gregorii litteræ.

19. Inter cetera ab Amato Elorenſi in Aquitania Epiſcopo, ac S. Gregorii legato in Hiſpaniam miſſo geſta, ſynodum ab eo Biſulde in Catalunia adverſus ſimoniacos celebratam fuiſſe adnotat Diagus lib. 2. hiſt. Comitum Barcinonenſium, cujus ſynodi ea in provincia plura adhuc manuſcripta extare adnotat, atque ibidem de monaſtica diſciplina juxta regulam S. Benedicti reſtituenda actum eſt, ac Abbates nonnulli, qui pretio Abbatias obtinuerant depoſiti ſunt. Guitfredus etiam Narbonenſis Archiepiſcopus jamdiu ob ſimoniacam labem excommunicatus, iterum excommunicatione perculſus fuit. Synodo die ſexta Decembris hujus anni celebrata, tres Epiſcopi adfuere cum nonnullis monaſteriorum Abbatibus ; Inter Epiſcopos Berengarius Agathenſis recenſetur, qui anno proximo in ſynodo Romana ob communionem cum Narbonenſi Epiſcopo excommunicatus fuerat, ut ibidem diximus, quem ideo ab Narbonenſis communione re-

Concilia in Hiſpania celebrata.

Labb. concil. noviſſ. edit. tom. 10. pag. 491.

JESU CHR. AN. 1077.

receſſiſſe, & ab Gregorii legato ab excommunicationis ſententia abſolutum, ſuæque, ſeu potius eccleſiæ communioni reſtitutum fuiſſe veroſimile eſt.

Gerundenſe concilium ab Amato celebratur. *Anecdot. tom. 4. pag. 1187.*

20. Aliam quoque ſynodum idem Amatus Gregorii legatus Gerundæ anno proximo celebravit, ab anecdotorum editoribus Benedictinis Martenæ, & Durand. editam, ubi hæc leguntur. *Anno domin. Incarn. ſeptuageſimo octavo poſt milleſimum convenit in Gerundenſem eccleſiam ſancta ſynodus Epiſcoporum, vel Abbatum, ubi vice Domini Gregorii Papæ præfuit Amatus Epiſcopus S. R. E. legatus &c.* Ac canones ibidem tredecim, vulgati ſunt, quibus clericorum incontinentia, & ſimoniaca labes, omniſque quæſtus damnatur, beneficia eccleſiaſtica a patribus in filios, præcipue ſpurios transferri prohibetur, aut ab laicis poſſideri, aliaque de inceſtis nuptiis vitandis, deque clericorum vita recte inſtituenda ſtatuta ſunt, ut ibidem videre eſt, ac poſt Amatum Gregorii legatum quinque alii Epiſcopi ſubſcripſerunt; pro Urgellenſi vero Epiſcopo Hugo Archidiaconus ejus ſubſcripſit; atque ex his patet Amatum legationem ſuam in Hiſpania, æque ac in Aquitania obiiſſe, ut ait Manſius in notis ad hunc annum, ac idem Gregorius confirmat in epiſtola ad omnes Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Reges & principes, clericos, & laicos in Narbonenſi Gallia, Guasconia, & Hiſpania conſtitutos data, *cum Amatum Epiſcopum in Gallia, & Hiſpania S. R. E. legatum miſit.* Eaque ut ei tamquam B. Petro obedirent juſſit. tom. 10. concil. pag. 411.

Synodus Xantonenſis in Gallia. *Lib. 4. epiſt. 17.*

21. Hoc quoque anno celebrata fuit ſynodus Xantonenſis in Gallia ab Hugonedienſi Epiſcopo, & Huberto ſubdiacono Rom. eccleſiæ, quibus Gregorius litteris ſuis ad Villelmum Anglorum Regem 12. Kal. Aprilis datis, vices ſuas ſe delegaſſe ſcribit, ut litem inter Turonenſem Archiepiſcopum, qui jus Metropoliticum in Dolenſem, ceteraſque Brittanniæ minoris eccleſias ſibi ſpectare ajebat, cognoſceret. Legati itaque Gregorii cauſam in ſynodo tractantes pro Turonenſi Epiſcopo ſententiam tulerunt, cujus meminit Innocentius tertius in ſententia pro Turonenſibus data, & ab antea citatis anecdoctorum editoribus vulgata, ibique adnotat eamdem quæſtionem a Gregorio ſeptimo in ſynodo Rom. primum agitatam, deinde in Xantonenſi ſynodo ab ejuſdem Gregorii legatis

tom. 3. pag. 886.

retra-

retractatum fuisse. De legatis autem suis in Gallias, & Britanniam minorem ad ecclesiasticas ibidem excitatas quæstiones sopiendas, vel diffiniendas ab se missis, Hugone scilicet Diensi Episcopo, Huberto Rom. ecclesiæ subdiacono, & Leusone monacho, non semel Gregorius in litteris suis hoc anno apud castrum Carpum dictum, vel Bibianellum in Mutinensi ducatu datis, meminit, inter cetera Hugoni Episcopo scribens, ut in Episcoporum synodo, electionem Cameracensis Episcopi cognoscat, jubet, qui post electionem suam, ab Henrico Rege investituram acceperat, causatus se ignorasse Henricum excommunicatum fuisse, & investituras ab Rom. Pontifice paulo ante in Rom. synodo prohibitas, qua excusatione juramento firmata accepta, electionem ejus confirmat, eique. *Causas reliquas, & negotia videlicet Catalunensis Episcopi, Carnotensis ecclesiæ, Aricensis, Arvernensis, nec non monasterii S. Dionysii, & aliæ quæ necessaria ecclesiasticæ religioni apparuerint, pro commissa tibi vice nostra quantum auxiliante Deo poteris, ita diligenter tractare, & ad finem perducere studeas, quatenus in eis, nostra deinceps sollicitudo, & longa fatigatio possit sublevari &c.* Injungit præterea ut Hugonem Cluniacensem Abbatem in synodo sibi socium, adjutoremque adhibeat, ac ut decreta de libera ecclesiarum electione, deque investituris abolendis, vulgata, omnibus aperteque denunciet, ut ibidem videre est.

Jesu Chr. an. 1077.

Lib. 4. epist. 16. 17. 18. 19. 20. epist. 22.

22. Hæc autem Epistola data dicitur, *Apud Padum in loco, qui dicitur Ficarolo, quarto idus Maii, Indict.* 15. Hanc ob causam Augustodonense, seu Eduense concilium Hugo celebravit, in quo multæ aliæ Episcoporum causæ agitatæ sunt. Atque post auditas monachorum Divionensis monasterii, & Casæ Dei querelas, accusatus est Manasses Remensis ab Clericis tamquam invasor simoniacus ejusdem ecclesiæ, qui cum ad diluenda crimina adesse recusaverit, damnatus fuit, cumque Manasses, ad sedem Apostolicam appellasset, & ut ibidem legitur. *Cum a Roma litteras accepisset, ut in concilio cum sex se purgaret Episcopis, Romam ivit.* Atque ibidem a Pontifice benigne exceptus, atque dimissus fuit, eo quod juramento promisit, se judicio legati Apost sedis imposterum adfuturum, & male hactenus gesta emendaturum, ut in epistola sua narrat Gregorius lib. 5. 17. In Gallias vero vix reversus Manasses epistolam que-

Augustodunense concilium ab Hugone celebratur. *Labb edit. nov. Conc. tom. 20. pag. 484.*

tom. 20. ut supra.

rela-

JESU CHR. AN. 1077.

relarum plenam adversus aliquot suæ provinciæ Episcopos, quasi sibi infestos, auctoritatisque suæ contemptores ad Gregorium Papa misit, ubi etiam ut sua privilegia servarentur, & ne facile adversariis suis aures præberet, enixe rogat, in id præcipue, ut videtur, intentus, ut Episcop. Galliæ, & legatorum Apostol. sedis judicium declinaret, cui respondens Gregorius satis se mirari ait, quod legatorum suorum judicium refugeret, totamque causam, se Hugoni Diensi legato suo commisisse addit. Cumque nuspiam perperam seu potius nefarie gesta Manasses emendasset, in Lugdunensi synodo ab Hugone anno 1080. celebrata tandem damnatus, & ab Remensi sede depositus fuit, ut ibidem dicturi sumus.

Lib. 6. epist. 2.

§ Gabuinus Lugdun. Episcop. ordinatur. *tom. 20. pag. 488.*

23. In eadem etiam Augustodonensi synodo, Gebuinus vir pietate, doctrinaque præstans Lugdunensis Episcopus ordinatus est, cum Ambertus simoniacus inde expulsus, apud Jurenses monasticum habitum induisset, deinde suggerente Rainardo Lingonensi Episcopo, de electione Abbatis monasterii Divionensis actum est, ac singula ibidem gesta ad Gregorium Papam missa sunt, ut in epistola ad Gregorium data narrat Hugo Diensis Episcopus, & Apostolicæ sedis legatus.

Gregorii epist. ad Udonem Trevir. Episc. *Lib. 5. epist. 7.*

24. Interea qui Henrici Regis partes in Longobardia sequebantur, Gerardum Ostiensem Episcopum Gregorii Papæ legatum eo missum, contra jus gentium, ne officio suo fungeretur, in carcerem conjecerunt; eademque perfidia usi sunt in Germania ejusdem factionis viri Bernardum Massilienſem Abbatem illuc a Gregorio missum, in vinculis detinentes, ut ad Odonem Trevirensem Episcopum scribens Gregorius secundo Kal. Octob. cum Romam rediisset, conqueritur, cui etiam litteras alias abs se in Germaniam scriptas misit, quantaque hactenus pro pace, tranquillitateque ecclesiarum, & Imperii reintegranda egisset, indicat. *Litteras quoque jam ante tres Menses, & eo amplius jam illuc direximus, videlicet legatis nostris Bernardo Diacono nostro, & item Bernardo religioso Massilienſi Abbati, quem captum esse audivimus.* Et iterum de injuria Legatis suis illata, deque violatis ab Henrico pactis initis hæc etiam addit. *Misimus etiam vobis Sacramentum, quod Rex Henricus nobis per fideles suos quosdam fecit, data quidem propria manu sua in manum Abbatis Cluniacensis, ut perlecto eo cognoscatis, quam recte, quamque honeste pro suo nomine, se erga nos habuerit, quippe a cujus fideli-*

fidelibus legati noſtri, poſtea capti ſunt, videlicet Geraldus Oſtienſis Epiſcopus in Longobardia, Bernardus Abbas Maſſilienſis in terra Theutonica &c. Unde eum nihil adhuc dignum feciſſe cognovimus. Ac ut ad graviſſima, quæ toti Germaniæ imminebant pericula vitanda ſibi operam præberent, excitat. JESU CHR. AN. 1077.

25. Cum itaque ſibi viam ad iter Germanicum præcluſam Henrici opera Gregorius vidiſſet, ineunte hoc anno ex Longobardia in urbem rediit; hinc quarto Kalendas Julii indictionis 15. dum adhuc Carpineto eſſet, ultimam libri quarti epiſtolam ad Hiſpanos dedit; tertio autem idus Auguſti ejuſdem indictionis Florentiæ alteras ad canonicos Lucenſis S. Martini eccleſiæ, quibus eoſdem arguit, eo quod Canonicatus, & præbendas emerent, ac eos, qui pretio easdem ſibi compararent, ab ingreſſu majoris eccleſiæ, & uſque ad condignam ſatisfactionem eadem beneficia retinere prohibet. Senas deinde profectus Kal. Septemb. incipiente prima indict. ad Epiſcopos, & Clericos Corſicæ ſcribens, Epiſcopum Piſanum ad eos legatum ſuum ſe miſiſſe narrat, & ut ei obediant, hortatur. Romam vero reverſus ſexto Kal. Octob. Indict. prima ad Rainerium, & Rodulphum Thuſciæ Epiſcopos ſcribens, de Volaterrani Epiſcopi electione agit, quem canonice electum, ut ad ſe quamprimum cum electionis decreto, pro conſecratione obtinenda mitterent, admonet. & epiſtola ſequenti Romæ 16. Kalendas Octob. data Corſos, ut legato ſuo, Pandulpho ſcilicet Piſano Epiſcopo, qui Inſulæ regimen ſuſcepturus erat, in omnibus parerent, quam inſulam Romanæ eccleſiæ olim fuiſſe adnotat, iiſque ex Thuſcia auxilia miſſurum ſpondet, ut ad Romanæ eccleſiæ dominium, eadem reſtitueretur, ſequentes duas epiſtolas 15. Kal. Octob. ad Aquilejenſes, & ad ſuffraganeos Aquilejenſis eccleſiæ Epiſcopos direxit, ac de electione Aquilejenſis Epiſcopi juxta canonum regulas facienda agit, eaque de cauſa legatos ſuos ſe miſiſſe narrat. Duobus ſequentibus ſecundo nonas Octobris datis, de Rainerii Aurelianenſis Epiſcopi cauſa agit, ac Richerio, & Ricardo, eorumque ſuffraganeis jubet, ut Rainerium, multis criminibus infamatum, ad ſynodum in loco apto congregandam vocent, ibique de objectis criminibus inquirerent, & convictum deponerent, in ejusque locum Saxonem quemdam, ſeu Sanſonem eligerent; Aurelianenſem quippe eccleſiam abſque idonea electione, &

Gregorius Papa in urbem redit.

Variæ Gregorii Papæ litteræ. *Lib. 5. epiſt. 1.*

epiſt. 2. 3. 4.

Aliæ Gregorii epiſtolæ.

JESU CHR. AN. 1077.

ante legitimam ætatem ab Rainerio occupatam fuisse, fama vulgaverat, eique insidens officia, ordinationes, & Abbatias pretio accepto contulerat, bis, & ter vocatus ut ab impactis criminibus coram Apostolica sede se expurgaret, adesse contempserat, ac Benedictum quemdam Gregorii litteras ferentem injuria affecerat; quare ne eumdem tot criminibus obnoxium diu ecclesiam retinere patiantur, Senonensem ac suffraganeos ejus admonet; Rainerio etiam litteras misit, quibus jubet, ut infra dies quinquaginta synodo se sistat, alioquin absque restitutionis spe, eum sede ejiciendum fore ait.

Greg. litteræ ad Regem Daniæ. *epist.* 10.

26. Tandem octavo idus Novemb. ad Regem Daniæ scribens, patris ejus defuncti pietatem, & observantiam in Romanam ecclesiam commendat, & ut in Regni administratione patris exempla sequeretur, excitat, & ut legatos suos in urbem mittat hortatur. Hac epistola ad Daniæ Regem data Haroldo, inscriptam fuisse verosimile est, cum Svenoni patri in Regno successisset, nam Simeon Dunelmensis de Svenonis obitu hæc adnotat. *An.* 1076. *Rex Danorum Svanus bene litteris imbutus obiit, cui filius suus Haroldus successit.*

Svenonis Regis Daniæ pœnitentia, & fobitus, cui Heroldus succedit.

Svenone autem regnante Christi fides mirifice propagata est, ac duo in Scania Episcopatus constituti sunt, duoque alii in Surlandia, seu in Cimbrica Chersonesi, ait Pagius not. 14. ad an. 1077. Unde nil mirum, quod Gregorius Haroldum filium, Regnique successorem ad patris exempla sectanda, litteris excitaverit. Hic Svevo Rex Daniæ, etsi præclare gestis Regnum suum illustravit, illustrior tamen apparuit, cum ob necem Procerum aliquot, in sacra æde, ac die festo Circumcisionis patratam, publicam, id ab eo exigente Gulielmo Rochildensi Episc., pœnitentiam egit, ut ex Grammatico Saxone fusiori stylo narrat Baronius: rei gestæ hæc summa est. Cum Sveno Rex in pervigilio circumcisionis cum magnatibus suis cœnaret, Principes Regni sui quosdam, ob occultam de se factam obmurmurationem, vino, deliciisque æstuans, die crastino in Templo S. Trinitatis, immissis sicariis occidi jussit. Facinoris inhumanitate, sacrique loci violatione permotus Antistes Villelmus, eousque rem dissimulavit, quod Rex ad ecclesiam, ad solemnia officia pergeret, cui ad ecclesiæ limina adstanti, Ambrosii exemplo, se se Villemus opposuit, ac Pontificalibus insignibus ornatus ab ipso ecclesiæ limine excluſit, non Regem, sed car-

Bar. 1077. *n.* 66. *ad* 77.

carnificem appellans, nec verbis solum objurgavit, ac ab ingressu prohibuit, sed pedo etiam, seu pastorali, *aculeum virgæ pectori ejus infigens, prohibuit*; cùm vero milites strictis gladiis necem Villelmo inferre minitarentur, intrepidus tamen Episcopus stetit, at Rex ne eum offenderent, non solum jussit, sed ad pœnitentiæ remedia confugiens, peccatum suum confessus est, & regia veste depositâ, pœnitentiæ sagum, seu vestitum induit, ac præ foribus ecclesiæ in terram prostratus mansit, usque dum Villelmus Episcopus ad eum profectus in ecclesiam recepit, ibique eum consistere jussit, usquedum; *omissa Altaris sacra repetens, Summo Patri regiæ expiationis gloriam succinit*, ait is auctor, ac cathecumenorum missa absoluta, *Rex biduum quiete peragens, tertio demum die regio cultu ornatus, inter ipsa Missæ sacra excelsum ædis partem conscendit, silentioque per præconem venerabiliter acto, coram omnibus semet gravissima accusatione perstrinxit, acerbum religioni vulnus infixisse confessus. Deinde collaudata Antistitis indulgentia, quod tanto crimini tam repente ignoverit, seque jussu, etsi non manu reum, celerrima sacrorum usibus restituerit, pro tam cruenti imperii expiatione, muneris loco Stofnicæ provinciæ dimidium, aris a se conferri publicat. Nec erubuit multorum auribus singularem flagitii committere notionem. Ea res inexplicabilem regni, & sacerdotii concordiam operata est. Quippe Rex non solum Antistitem in eodem amicitiæ gradu habuit, sed etiam majoribus dignitatis incrementis donavit, plus officiis ejus ad gratiam, quam contumeliis ad iracundiam concitatus, quem non privata ira, sed publicæ religionis injuria adversam se provocatum videbat*. Hæc, aliaque is auctor, egregium pœnitentiæ exemplum exhibens; Quo anno hæc contigerint, incertum est, cum absque ulla temporis nota ab Grammatico Saxone relata sint. Eo defuncto Heraldus filius ejus Regni coronam adeptus est, cui, ut diximus, Gregorius scribens, ad patris vestigia sectanda hortatus est; cumque non multos post annos Horaldus vita excessisset, eique Ago filius, vel frater successisset, alias ad eum litteras Gregorius dedit, cui hujus seculi rerum instabilitatem caducitatemque commemorans, ut patris virtutes imitaretur, excitat, & ut perseverantem sedi Apostolicæ obedientiam exhiberet, hortatur. Exorta vero ob Regni successionem inter fratres discordia

Jesu Chr. an. 1077.

Lib. 7 epist. 21.

Jesu Chr. an. 1077. *Lib. 6. epist. 13.*

cum ab Olao Norvegiæ Rege adversus Regem fratrem auxilium Ago postulasset, Gregorius Papa Olaum admonuit, ne auxiliis suis dissidia Danorum augeret, sed potius, ut pacis sequester fieret, ut ibidem videre est.

Ladislaus Geisæ in Regno Hungarico succedit.

27. Hoc etiam anno Geisa Hungarorum Rege septimo Kal. Maii defuncto, Ladislaus fratrer successit, quem etiam Croatiam, & Dalmatiam obtinuisse narrat Joannes Turoczius in chronico Hungarorum cap. 57. At ut adnotat Pagius not. 15. Dalmatiam littoralem saltem Veneti hoc tempore possidebant. Unde auctore Dandulo in chronico, ad annum 1084. Vitalis Falierus Venetiarum dux, Dalmatiæ quoque primus dux dictus est. De Ladislai successione in locum Geisæ hæc ad Nehemiam Strigoniensem Episcopum inter cetera scripsit Gregorius. *Admonemus fraternitatem tuam, ut Regem, qui inter vos electus est, cum aliis tuis confratribus, & Principibus terræ alloqueris, notificantes, & consulentes sibi ut apertius nobis suam voluntatem, & erga reverentiam Sedi Apostolicæ debitam per idoneos Legatos denuntiet devotionem: & ita demum, quod ad nos attinet, ad honorem Dei Omnipotentis, & beati Petri Apostolorum Principis benigne sibi respondebimus &c.* Hæc Gregorius hoc anno, antequam Romam rediret, cum adhuc Carpineto in Longobardia esset. Ladislaus vero Hungariæ Rex abundanter Gregorii votis satisfecit, iteratas ad Gregorium legationes mittens, de quibus infra sermo fiet.

Lib. 4. 25.

Poloniæ Dux Regem se dicit. *Lib. 2. epist. 73.*

28. Ex Hungaria in Poloniam transimus, ubi, *Dux Poloniæ se in Regem coronavit*, ait Bertoldus in chronico ad hunc annum; erat is Boleslaus secundus, quem Gregorius septimus biennio ante ad eum scribens, Polonorum Ducis titulo exornaverat. At hoc anno ut narrat Lambertus in chronico. *Dux Polonorum, qui per multos jam annos Regibus Theutonicis tributarius fuerat, cujusque Regnum jam olim virtute Theutonicorum subactum, atque in provinciam redactum fuerat, repente in superbiam elatus, propterea quod Principes Theutonicos cerneret domesticis seditionibus occupatos &c. Regiam dignitatem, regiumque nomen sibi usurpavit, diadema imposuit, atque ipso die Natali Domini a XV. Episcopis in Regem est consecratus &c.* In Episcoporum tamen numero amanuensium incuria errorem irrepsisse Chromerus in histo-

ria

ria Polonica, aliique adnotant, cum numquam tantum Episcoporum numerum Polonia habuerit. JESU CHR. AN. 1077.

29. Hoc etiam anno Agnes Augusta mater Henrici Regis, piissima fœmina, quæ jamdiu ad Apostolorum limina advenerat, & in urbe ultra viginti annos piis operibus intenta vixerat, in Laterano decima quarta die mensis Decembris feliciter ex hac vita migravit, atque in Lateranensi basilica ad tempus sepulta, post dies viginti duos translata est ad basilicam sancti Petri, apud sanctam Petronillam. Nam de ea hæc Bertoldus Constantiensis hujus temporis scriptor habet hoc anno. *Agnes religiosissima Imperatrix jam viginti annis in viduitate Deo devotissime serviens, nec filio suo Henrico contra Apostolicæ Sedem in aliquo consentiens, Romæ requievit in pace, sepulta Romæ in Ecclesia sanctæ Petronillæ.* Ejus epitaphium post Vegium exhibent Vaticanæ basilicæ illustratores. Ipsa post Henrici secundi viri sui obitum, viduitatis propositum amplexa, hortante Petro Damiano, ut supra diximus, Romam profecta; *totam fere Italiam peragravit, devotissime visitans sanctorum reliquias, & offerens eis pretiosa donaria, plurimasque faciens eleemosinas in urbibus, & vicis, & in omnibus locis, ad quæ orationis gratia properavit*, inquit Joannes Abbas in præfatione ad libellum *de scripturis, & verbis Patrum* collectum, quem ei dicavit, cujus partem Mabillonius edidit. Atque hunc Fiscanensem Abbatem, variis opusculis clarum, fuisse scribit. Hujus quoque Imperatricis in bibliotheca Sebutiana centuria secunda num. 77. extat epistola ad Abbatem Fructuariensem data, qua ejus orationibus se commendat, ubi inter cetera. *Interim vero*, ait *mente adoro ad pedes vestros rogans, ut Gregoriana pietate in Trajanum, petatis mihi veniam a Domino, quia namque ille unus homo ab Inferni clausuris, exoravit Paganum, multi vos facile salvabitis Christianam unam.* Hæc ipsa, de Trajano Gregorii magni precibus ab Inferis educto exemplum proponens; nec mirum, cum non solum apud mulieres, sed etiam apud cordatos viros jamdiu ea historia fidem inveniisset.

Agnetis Augustæ obitus, & elogium.

Dionysius in Cryptas Vatic. præf. n. 5. pag. 14.

Mabill. Analecta tom. 1.

30. Semel, & iterum omnia bona sua Romano Pontifici, Romanæque ecclesiæ ab Mathilde donata fuisse, veteres, recentioresque scriptores tradunt: primum hoc anno, dum adhuc Canusii esset Gregorius septimus, eamdemque donationem

Donatio Mathildis facta Rom. ecclesiæ.

JESU CHR. AN. 1077.

nem anno 1102. post Velfonis secundi mariti obitum confirmavit. De hac prima donatione hæc narrat Ostiensis, seu potius Petrus Diaconus in chronico Cassinensi. *Anno Domini Incarn. 077. Mathilda Comitissa Liguriæ, & Thusciæ, iram Imp. Henrici sibi infesti metuens, Liguriam, & Thusciam provincias Gregorio Papæ & S. R. Ecclesiæ devotissima obtulit. Hæc ergo causa inter Pontificem, & Romanum Imperium dissensionis, & odii fomitem, ministravit &c.* Domnizo etiam Comitissæ ejusdem Capellanus, in vita Mathildis versibus scripta, de piis Comitissæ officiis Gregorio Canusii exhibitis, cui per tres menses, cum ibidem Pontifex moratus est, sedulo Marthæ exemplo ministravit.

Cenn. tom. 2. dissert. 5. de charta Mathild. Chron. Cassin. lib. 3. 49.

Postposuit Regem, Henricum scilicet, *per tres tenuit*
pia menses
Gregorium Papam, cui servit ut altera Martha
Propria clavigero sua subdit omnia Petro
Janitor est Cœli suus hæres, ipsaque Petri;
Accipiens scriptum de cunctis Papa benignus

Quam donationem hoc anno factam hoc altero versu testatur.

Tempora mille Dei tunc septem septuaginta.

Quæ, & quanta contineret hæc donatio non constat, cum diploma tunc editum perierit. At alterum extat annno 1102. datum, cum eamdem donationem confirmavit, ibique nonnulla pro instituti nostri ratione adnotabimus. Nunc reliqua hujus anni gesta prosequimur, addentes, tanta sollicitudine Mathildem Gregorio interviisse, ut ejus opera Henrici Regis insidias evaserit, quibus eum, Guiberti Ravennatis consilio, sub colloquii prætextu Mantuæ habendo, capere ac retinere cogitaverat, ut his versibus in vita Mathildis narrat Donizo testis coævus, & Mathildis familiaris.

Henrici insidiæ adversus Gregorium, & Mathildem detectæ.

Major erat cunctis Guibertus Episcopus urbis
Ravennæ, doctus, sapiens, & nobilis ortus.
Extiterat Parmæ civis seu clericus. Ante
Dum fuit electus Gregorius, iste Guibertus

Ipsi

JESU CHR. AN. 1077.

Ipsi juravit: contra quem nunc mala sancit.
Regis enim mentem contra Papam docet esse.
Rexque die sexto remeavit Bibianellum
Corde dolo pleno cum plena mente veneno
Pastor felle carens ad eum defendit ab arce.
Crebro scripta supra, mox est Comitissa secuta.
Callidus ad multa Rex Papæ dixit: & ultra
Eridanum fluvium commune cupis fieri tunc
Colloquium. Laudat quod Papa, Mathildis, & optat.
Cur Rex hoc malit, ignorant hi duo clari,
Mantua revera placito subdique timebat.
Rex quidem fistra transivit primitus undam
Eridani, tractans cum paucis tradere Papam,
Nec si quiret, Comitissam traderet idem.
Hoc scelus infandum complere putas placitando
Cuncta videns Christus fieri vetuit scelus istud.
Eridanum Præsul, Mathildis, & optima secum
Transivit, sperans pacem componere veram.
Ad dominam claram multis oculis oculatam
Nuntius advenit, qui secretum patefecit
Regis Henrici, qui Papam tradere dicit.
Hoc ubi cognovit prudens hera, mox cito movit
Seque suos, fortes petiit cum Præsule montes.
Insidiæ fractæ Regis sunt, & patefactæ.
Papam, & Mathildem Rex ulterius neque vidit.
Pontifices falsi sunt ex hoc lætificati,
Maxime præscriptus Guibertus, qui dedit istud
Consilium Regi, quia vult invadere Petri Sedem, &c.

Hinc non semel se pericula non levia apud Longobardos subiisse Gregorius scribit. *Lib. 3. epist. 23. 24.*

31. Dumque adhuc in Gallia Cisalpina Gregorius esset, ad eum perlata est querela adversus Hidulphum Colonienſem Archiepiscopum de villa cui nomen *Cloteno*, ab ejus prædecessore S. Annone ab ecclesia Sancti Nicolai ablata, ac ecclesiæ S. Mariæ tradita, cumque S. Nicolai monachi Hidulphum pro villæ restitutione frustra interpellassent, Volphemus Abbas ad Apostolicam sedem, legatus misit, ac de villa monasterio suo erepta conquestus est. *Tunc Dominus Papa Hildebrandus, qui & Gregorius*, ait auctor vitæ Vulsemi, ex

Hildulphus Colonienſis Episc. ob villam S. Nicolai retentum percussus obiit.

Bollænd. Sur. die 22. Aprilis.

JESU CHR. AN. 1077. *ex auctoritate B. Petri Apostoli per epistolas suas denunciat Domno Hildolpho ejus successori, ne sub specie pietatis, defensor existens impietatis, Cluteno Blurivelensi ecclesiæ S. Nicolai violenter ablatum, diu, diutius patiatur irrevocatum &c.* At is jussa, & consilia Gregorii spernens, non multo post ut idem auctor prosequitur, in somnis Hartmannus Tuitensis Abbas vidit S. Nicolaum virgam in manu tenentem, qua Hildulphum Colonienſem Episc. in capite percussit. Atque *uno eodemque momento, ut hic illum vidit percuti, sensit Episcopus se morbo gravari*: eoque invalescente, *post dies paucos obiit, & cathedram Præsulatus Seguinus vir pius obtinuit*, ait is auctor.

Duo Cencii diverso exitu e vita abeunt. *Murat. tom. 3. pag. 308.*

32. Tetrior adhuc fuit Cencii cujusdam nobilis Romani interitus, ut Cardinalis Aragonius in vita Gregorii his verbis narrat. Dum adhuc Henricus in Longobardia immoraus, Gregorio obsequentem se esse simulaverat. *Nocturnis temporibus cum Guiberto, & Cencio Romano viro, de quo mentionem fecimus superius, & cum aliis Ecclesiæ inimicis familiariter loquebatur, & nefariis eorum consiliis favorem præstabat. Sed cum videret Papam Gregorium a Castro Canusii nullo modo posse divelli, Papiam moraturus perrexit, ubi eumdem Cencium pessima morte defunctum invenit, cujus execrabile funus idem Guibertus cum cæteris excommunicatis pompatice, ac lacrymabiliter celebrarunt.* De altero autem Cencio hæc narrat Paulus Bernriedensis in vita Gregorii, ac elogium texens Comitis cujusdam Manegoldi, continentia clari, ac Gregorio familiaris, hæc subdit. *Huic Beatæ recordationis Comiti*, quem in senectute bona ob obedientiam, reverentiamque Gregorio Papæ præstitam, prophetiæ dono, & signis illustrem obiisse dixerat, *non incongrue adjungitur memoria pretiosæ mortis Beati Cincii Urbis Romæ Præfecti, cujus, & superius virtutes brevius descripsimus. Hunc etenim propter fidem sæpe dicto, & sæpe dicendo Papæ Gregorio exhibitam, Dominus noster Jesus Christus martyrio coronavit, ejusque sepulchrum continuo viginti miraculis in Synodo numeratis, & probatis illustravit. Nam cum zelum Domini haberet, & exhibueret fidem secundum Sanctam Apostolicæ institutionis formam, occisus est ab apparitoribus Henricianæ persecutionis*, aliquot ab hinc annis cum Henricus urbem iuvasit, sicque ex duobus Cenciis, factum est, ut in evangelio legitur. *Unus assu-*

Cap. 92.

Murat. ut supr. pag. 315.

JESU CHR. AN. 1078.

assumetur, & alter relinquetur. De duobus Cenciis agens Bonizo Sutrienſis in libro ad amicum pag. 812. primum propter ferocitatem animi ab urbis Præfectura excluſum ab Romanis, ac alteri Cencio Joannis præfecti filio traditam fuiſſe addit. *Qui quamvis nomine æquivoci, tamen longe erant diverſi moribus, in hoc omnium malorum ſpecies in altero bonorum* erat. De utriuſque vero interitu paulo poſt ſubdit pag. 817. *Cencius Præfectus vir Chriſtianiſſimus per inſidias Stephani fratris Cencii Deo odibilis, de quo ſupra memoravimus occiſus eſt*, cujus corpus dum Romæ *apud S. Petrum delatum fuiſſet, Deus per eum multa fecit mirabilia. Romani vero communicato conſilio, caſtrum, in quo ſe nefandus ille receperat vi capiunt, ejuſque capite, & manibus truncatum cadaver ignibus tradunt, caput vero ejus, & manus in cortina B. Petri ſuſpendunt, reliquos vero tanti ſceleris fautores quotdam interficiunt, quoſdam vero a patria eliminarunt.* Hæc Bonizo de Cenciorum interitu.

Duo Imperator. in Oriente creati. *Zonaras Annal. pag. 289.*

32. De geſtis autem in Oriente hoc unum adnotare ſufficiet, quod cum annonæ caritas populos ubique affligeret, nec Michael Imp. *ſtudiis vacans*, ut ait Zonaras, *jambos ſcribere* ſub Pſello delectaretur, ac cetera negligeret; Orientalium Primores Nicephorum Botoniatem Imperatorem proclamarunt, quo etiam tempore Nicephorus Briennius Diracii Dux Michaeli, & Imperio rebellis factus Imperii partem ſibi vindicavit, unde atrox inter tres de Imperio certantes bellum exortum eſt, ut Zonaras, & Curopalates pluribus narrant, quo vigente cum Botoniati res proſpere ceſſiſſent, Michaele ſubmoto Imperium obtinuit, ut anno ſequenti dicturi ſumus.

JESU CHRISTI AN. 1078. GREGORII SEPTIMI PAPÆ AN. 6. NICEPHORI BOTONIATÆ IMP. 1.

Concilium Romanum Gregorius celebrat.

1. Duo in urbe hoc anno concilia Gregorius Papa celebravit, quorum primo Guibertus Ravennatenſis Epiſcopus, ceterique ſive in Italia, ſive in Galliis, vel Germania Epiſcopi, & Principes, qui adverſus Gregorium rebelles extiterant, excommunicati ſunt, de diſſidiis etiam inter Henricum, & Rodulphum excitatis, cum uterque Germaniæ Regnum armis ſibi vindicare conaretur, componendis, actum eſt; ante quam

JESU CHR. AN. 1078. tamen in rebelles sententiam diceret, ut synodum in prima quadragesimæ hebdomada celebranda se sisterent, datis ad eos litteris, admonuit, ut ibidem vel impacta crimina diluerent, vel petita venia satisfacerent: harum hæc est inscriptio.

Greg. epist. 13. lib. 5. *Gregorius Episcopus servus servorum Dei Guiberto Ravennati Archiepiscopo, omnibusque suffraganeis ejus, & universis Episcopis, & Abbatibus in Marcha Firmana, & Camerina & in Pentapoli, & Æmiliæ, & Longobardiæ partibus constitutis*, deinde *Salutem vobis cum Apostolica benedictione libenter mitteremus, si vestræ temeritati sanctorum Patrum auctoritas non obstitisset*. Qua cum indignos, ob rebellionem se reddidissent, ut ad ecclesiæ gremium redirent, excitat, & ad synodum in urbe celebrandam invitat. *Scientes vos securos fore ab omni læsione vitæ, & membrorum rerumque vestrarum, & ab omni injuria seculari &c.* Quin se eosdem defensuros ab omni molestia promittit, cum nullo adversus eos odio, aut jactantia moveretur. *Desideramus enim*, subdit, *potius, Deo teste, vestræ saluti, & populi vobis credito consulere &c. Dat. Rom. quinto Kal. Febr. indict. prima.*

Synodi sententia in Episcopos schismaticos. *Labb. tom. 10. pag 369.* 2. At Gebertus Ravennatensis, Thedaldus Mediolanensis, ceterique in schismate perseverantes adesse recusarunt. Unde in eosdem tandem Romana synodus anathematis sententiam tulit, de quibus hæc acta referunt. *Anno ab Incarnat. Domini* 1078. *Pontificatus vero Domini Gregorii Papæ septimi anno quinto celebravit ipse Dominus Gregorius Papa Synodum, ubi interfuere Archiepiscopi, & Episcopi diversarum urbium fere numero centum: nec non, & Abbatum, ac diversorum ordinum clericorum, & laicorum innumerabilis multitudo. In qua Apostolica constituta corroborans, multa quæ corrigenda erant, correxit, & quæ corroboranda, firmavit &c.* excommunicationis deinde sententia in contumaces addita est. *Thedaldum dictum Archiepiscopum Mediolanensem, & Ravennatem Guibertum, inaudita hæresi, & superbia adversus hanc sanctam Catholicam Ecclesiam se extollentes. ab Episcopali omnino suspendimus. & sacerdotali officio, & olim jam factum anathema super ipsos innovamus. Arnulphum Cremonensem publice coram nostra præsentia convictum, & confitentem se simoniacum, ab omni Episcopali officio absque spe recuperationis deponimus, & usque ad dignam satisfactionem anathemate pertutimus.* Renovamus etiam excommunicationem-

a præ

a prædeceſſoribus noſtris factam ſuper Gaufredum Archiepiſcopum Narbonenſem, & abſque ulla recuperationis ſpe, ab Epiſcopali officio eum ſubmovemus. De excommunicatione autem Giberti Ravennatis, *extat Gregorii epiſtola ſeptimo Kal. Decemb. data, qua Ravennates admonet, ne eidem ullam inpoſterum obedientiam, utpote excommunicato, exhibeant.*

Jesu Chr. an. 1078.

3. Ad cauſam vero, quæ inter Henricum, & Rodulphum de Germaniæ Regno, non ſine maximo eccleſiæ ſcandalo, & Reipublicæ periculo armata manu agitabatur, ad eam inquam cauſam componendam, pacemque ineundam ex ſynodi ſententia legatos in Germaniam mittere decrevit, ut ſi fieri potuiſſet, pax, & concordia, eorum opera reſtitueretur. De quibus hæc Paulus Bernedienſis in vita Gregorii cap. 99. *Anno ab Incarnat. Dom.* 1078. *indict. prima, cum uterque Rex Henricus videlicet, & Rodulphus ab Apoſtolica ſede adjutorium requireret, Gregorius Papa ſeptimus generali ſynodo decrevit. Quoniam lis, & perturbatio Regni in maximum ſanctæ Eccleſiæ periculum & detrimentum quotidie redundare cernimus: placet nobis elaborare pro viribus, quatenus idonei tam religione, quam etiam ſcientia pollentes Nuntii e latere Apoſtolicæ Sedis ad partes illas mittantur, qui omnes religioſos & juſtitiæ amatores in Teutonici regni partibus commorantes, clericalis & laicalis ordinis viros & adhuc ejus idoneos convocent, cum quibus, Domini gratia præeunte, aut fidem & pacem juſte componant, aut veritate percognita, cui parti magis juſtitia faveat, ad plenum addiſcere valeant, quatenus pars injuſta deſiſtat, & Apoſtolica auctoritate munita juſtitia vigoris & auctoritatis robur obtineat &c.* ac ſub anathematis pœna cuilibet ſive Regi, Archiepiſcopo, Epiſcopo, Duci, Comiti, Marchioni, vel militi, ne ullam injuriam, vel impedimentum legatis ſuis inferat, jubet.

Gregorius legatos in Germaniam delegat pro ineunda pace.

Labb. ut ſupr. Murat. tom. 3. rer. Ital. pag. 343.

4. De ceteris ibidem in ſynodo Romana ſtatutis hæc etiam acta exhibent. *Item: Rainerio vero Ugizzoni filio inducias trium hebdomadarum damus. Quod ſi in ſpacio iſto coram præſentia noſtra aut per ſe, aut per Legatos ſuos juſtitiam facere noluerit, eo quod fratrem ſuum manu ſua interemit, & multa perjuria ut ſceleſtus incurrere non habuerit, & cognatum ſuum, & pupillos, liberos utique fratris ſui, caſtra eorum diripiendo, & prædia contra periculum ani-*

Cetera in Rom. ſynodo ſtatuta. Rainerio inducie dantur.

JESU CHR. AN. 1078. *animæ suæ vexare non desinit, transacto prænominato termino, anathemate eum alligando persecutimus. Et filium Comitis . . . . datis induciis usque in Palmas, simili excommunicatione innodamus, eo quod Lucensem Ecclesiam quiete manere, sua diripiendo, minime permittit. Excommunicamus omnes Northmannos, qui invadere terram S. Petri laborant, videlicet Marchiam Firmanam, Ducatum, Spoletanum, & eos, qui Beneventum obsident, & qui invadere & depræ dari nituntur Campaniam, & maritima, atque Sabinos nec non & tentant Urbem Romanam confundere. Episcopos vero, qui acceptis epistolis nostris, aut cognitis, neque per se, neque per canonicam excusationem ad præsentem Synodum venerunt, ab Episcopali suspendimus officio: & quicumque eorum seu Episcopus, sive presbyter prædictis Northmannis, donec excommunicati fuerint, divinum officium fecerit, a sacerdotali officio perpetuo submovemus. Abbati Farfensi octo similiter dierum inducias concedimus: post quem terminum nisi ad emendationem venerit, excommunicamus, & ei corpus & sanguinem Domini interdicimus, Abbatisque ordine in perpetuum carere eum censemus.* Ex his plane horum temporum calamitatem possumus intelligere, quod undique Romana Ecclesia vallaretur angustiis, persecutionem pateretur a schismaticis, insuper a Northmannis ad Urbis januas premeretur, cum his adversus rebelles Eccles. Romanæ sancitis, hi qui sequuntur, ab eodem Gregorio Papa in Synodo sunt constituti canones: *Et quoniam Dei judicio nonnullos naufragio perire cognoscimus, & eos quasi legali jam jure, diabolico immo instinctu, ab his a quibus misericorditer sublevari, & consolari deberent, dæpredari conspicimus: statuimus, & sub anathematis vinculo (ut a prædecessoribus nostris statutum est) jubemus, ut quicumque naufragum quemlibet, & bona illius invenerit, secure tam eum, quam omnia sua dimittat. Ordinationes vero illorum, qui ab excommunicatis sunt ordinati, sanctorum Patrum sequentes vestigia, irritas fieri censemus. Iterum sanctorum prædecessorum nostrorum statuta tenentes, eos qui excommunicatis fidelitate, aut sacramento constricti sunt, Apostolica auctoritate a sacramento absolvimus, & ne sibi fidelitatem observent omnibus modis prohibemus. Item: et quoniam multo (peccatis nostris exigentibus) pro excommunicationis causa perire quotidie cernimus, partim*

tim pro ignorantia, partim etiam nimia simplicitate, partim timore, etiam necessitate: devicti misericordia, anathematis sententiam ad tempus, prout possumus, opportune temperamus. Apostolica namque auctoritate ab anathematis vinculo hoc subtrahimus, videlicet & uxores, liberos, servos, ancillas, seu mancipia, necnon rusticos, & servientes, & omnes alios, qui non adeo curiales sunt, ut eorum consilio scelera perpetrentur. Et illos, qui ignorantes excommunicatis communicant, seu illos, qui communicant cum eis, qui communicant excommunicatis. Quicumque autem aut orator, sive peregrinus, aut viator in terram excommunicatorum devenerit, ubi non possit emere, vel non habet, unde emat, ab excommunicatis accipiendi licentiam damus. Et si quis excommunicatis pro sustentatione, non superbiæ, sed humanitatis causa aliquid dare voluerit, fieri non prohibemus. Actum Romæ in Ecclesia Domini Salvatoris, quinto Nonas Martii Indict. Hactenus acta concilii, quæ verbatim recitanda fuerunt, ait Baronius, ad confutandos, qui Henricum Regem ab Gregorio Papa Regno privatum fuisse, illudque Rodulpho traditum, scripserunt, quam ob rem adversus Marianum, Scotum, vel Chronici ejus continuatorem, aut corruptorem, & Bennonem schismaticum nonnulla adnotat, quibus luce clarius patet, nec tunc Henricum ab Gregorio Regno dejectum fuisse, nec præpropere aut inconsulte adversus schismaticos excommunicationis sententiam tulisse, quæ cum ex hactenus gestis certiora sint, Bennonis criminationes referre, aut confutare supersluum judicamus, quæ apud Baronium videri possunt, quos etiam mentitos fuisse non uno in loco testatur idem Gregorius cum se inscio, & inconsulto ab Germaniæ Episcopis, & Principibus Rodulphum in Regem sibi elegisse ait, qua electione peracta. *Henricus cœpit me precari, ut illum contra prædictum Rodulphum adjuvarem &c.* ait *idem Pontifex lib. 7. epist.* 14.

5. Synodo absoluta, litteras Archiepiscopis, Episcopis &c. ceterisque ecclesiastici, & secularis ordinis, majoribus. & minoribus in Regno Theutonico existentibus dedit, ut eos de gestis in ea certiores redderet, ac ut synodi votis suisque faverent, ac ut legatos ibidem destinatos susciperent hortatus est. *Notum vobis fieri volumus fratres carissimi*, ait, *quod in ea synodo, quam nuper Romæ celebravimus,*

Gregorius legatos ad utrumque Regem mittit. *Lib. 5. epist.* 15. *Murat. ut sup.*

JESU CHR. AN. 1078.

vimus, inter multa alia, quæ de ſtatu ſanctæ eccleſiæ Deo cooperante peregimus, de ruina, & confuſione nobiliſſimi Regni veſtri diligenter tractantes hoc ſalutiferum, & opportunum pro reparatione pacis veſtræ fore putavimus, ut religioſi legati Apoſtolicæ ſedis ad veſtras partes dirigantur &c. Data eſt epiſtola ſeptimo idus Martii, in ejuſque fine eis ſignificat, quænam ab iiſdem præſtari velit, antequam legatos in Germaniam mitteret, ſcilicet litterarum ſuarum hunc Portitorem, *ad hoc vobis dirigimus, ut una cum venerabili fratre noſtro Trevirenſi Archiepiſcopo, qui Henrico favet, & altero, qui utilis & religioſus ad hoc ſit opus Epiſcopus ex parte Rodulphi, locum & tempus prædicti conventus ſtatuant, quatenus Legati noſtri, quos præfati ſumus, ſecurius, & certius ad vos venire, & quæ omnipotenti Deo placeant, ipſo auxiliante, vobiſcum valeant perficere.* Eadem quoque die ſcripſit ad ipſum Archiepiſcopum Trevirenſem, Udonem nomine, Regis Henrici cultorem, quem obnixe rogat, ut quam mandat recipiendam provinciam, non recuſet, & Romam ob eam cauſam venire non prætermittat. Sed quantum fuerit ipſe Gregorius pacis cupidus, & ſalutis animarum ſollicitus, iiſdem litteris aperit, dum his verbis eundem Trevirenſem Epiſcop. compellat: *Rogamus igitur, & admonemus prudentiam tuam, qua multum confidimus, ut ſecundum tenorem earumdem litterarum ſine omni dilatione de cauſa hac te intromittas, & omnibus tam minoribus, quam majoribus, quo ad potes, quid a nobis deliberatum, & qualiter tibi injunctum ſit, notum facias, ut miſerante Deo, & adjuvantibus his, qui Dominum diligunt, tam feralis diſcordiæ furorem, aut penitus compeſcere, & (quod maxime optamus) ad plenam pacem reducere poſſimus, aut ſi illud peccatis impedientibus, minime obvenire poterit, ſaltem nos in tanto fratrum noſtrum periculo, culpam negligentiæ declinemus.* Et poſt multa quibus hortatur, ut tam ipſe, quam alter ab Rudolpho eligendus, Romam veniant, iſta adjicit. *Nec durum tibi ſit, frater, ſubire quod imponimus: quoniam ex quo in Eccleſia locum ſacerdotii, & officium ſuſcepiſti, nihil Deo dignius, aut animæ tuæ ſalubrius feciſti, quam ſi in hac re nequitiam diabolicæ fraudis elidere, & ſaluti tot millium hominum, opitulante Deo, conſulere poteris. Et ſi hoc fatigationi tuæ pro voto non ſucceſſerit, volun-*

tibi tamen apud illum certa manes retributio, ad quam non infectum reputabitur omne bonum, quod juſta & perſeveranti voluntate concipitur. Hæc, & alia, quibus, quam fuerit animo ſollicitus in his componendis diſcordiis ſatis aperte conſtat, eamdemque ſollicitudinem alibi ſe habuiſſe demonſtrat, ſicuti in epiſtola ad Udonem, qui Henrico inpenſe favebat. Jesu Chr. an. 1078.

6. Quot vero animi æſtus, quotve mentis anguſtias ob Rodulphi in Regem Germaniæ electionem pateretur Gregorius, dum bella undique inminere cerneret, ex epiſtola hoc tempore ad Ugonem Cluniacenſem Abbatem ſcripta his verbis indicat. *Vos autem certa fide, immo & oratione Dei omnipotentis miſericordiam implorate, ut mentes noſtras ſecundum voluntatem ſuam dirigat, & in magna tempeſtate nos gubernans, ad portum ſuæ pietatis perducat. Tot enim anguſtiis premimur, tantiſque laboribus fatigamur, ut ii, qui nobiſcum ſunt, non ſolum pati nequeant, ſed nec etiam videre poſſint,* deinde poſt alia ſe tantis undique tribulationibus premi addit, ut; *ſi Moiſi, & Petro tantum pondus imponeret, credo quia illos gravaret, quid ergo de me, qui nihil ad eorum comparationem valeo, fiet &c.* Gregorius Papa pro pace ſervanda anxius. *Lib.* 5. 21.

7. Interea dum Gregorius de componendis in Germania rebus ſollicitus eſſet, Henricus, ac Rodulphus de Germaniæ Regno contendentes, ad arma confugerunt, ac Henricus ex Italia in Germaniam cum exercitu profectus, Rodulphum primo impetu in Saxoniam abire coegit, at is paulo poſt reſumptis viribus Henricum loco cedere compulit. Utrumque prælium fuſiori ſtilo deſcribit Chronographus Magdeburgenſis a Meibomio editus, ac Rodulphi exercitum in fugam conjectum fuiſſe adnotans, ſubdit. *In eadem fuga capti Burchardus Romanæ ſedis Archidiaconus, Sigefridus Moguntinus Archiepiſcopus, Adalbertus Wormatienſis Epiſcopus &c.* De ſecundo prælio in quo Henriciani victi, fugatique ſunt, hæc narrat. *Ex noſtris partibus præter Epiſcopum Magdeburgenſem, qui cecidit in fuga, nemo qui dignus ſit nomine periit in illa pugna &c. Factum eſt hoc prælium ſecundum anno Domini* 1078. *ſeptimo idus Auguſti, feria tertia.* Corpus vero Archiepiſcopi Magdeburgenſis, Vernerii ſcilicet, qui in fuga perierat, Magdeburgum translatum, in monaſterio Sanctæ Mariæ, quod ipſe contruxerat, Bellum inter Henricum, & Rodulphum excitatur.

JESU CHR. AN. 1078.

rat, honorabiliter tumulatum est, ait idem auctor. De eodem prælio agens Bertoldus in chronico inter cetera adnotat. *Infinita multitudo utrinque occubuit, plures tamen & excellentiores ex parte Henrici.* Henricianæ cladis testis extat epistola Saxonum ad Gregorium data, ac in novissima Labbeana editione inserta tom. 20. pag. 386.

Quinta Rom. synodus celebratur. *Labb. tom 10 p. 371. Murat. tom. 3.*

8. Nunc ad alteram synodum transimus ab Gregorio desinente hoc anno, *tertio Kal. Decemb.* ut in actis concilii legitur, seu potius 13. Kal. Decemb. ut apud Paulum Bernriedensem habetur. *In qua*, ut is auctor subdit, *juraverunt legati Henrici, & Rodulphi, quisque pro Domino suo, quod nullis dolis colloquium legatorum sedis Apostolicæ in Theutonico Regno habendum impedient &c.* Eademque narrat Bertoldus in chronico. Præter legatorum juramentum, de non impediendo colloquio ad pacem inter Henricum, & Rodulphum firmandam, alia plurima ibidem ad utilitatem ecclesiæ statuta fuerunt capitibus 12. distincta, ac primo raptores, detentoresque bonorum ecclesiæ excommunicatione plectuntur. Normanni præcipue, qui monasterii Cassinensis prædia, thesaurosque prædari consueverant, quod tunc factum fuisse auctor chronici Cassinensis narrat, nam cum Rosellanæ ecclesiæ Episcopus, non parvam pecuniæ summam ibidem deposuisset, Jordanus Capuæ Princeps, missis illuc militibus cuncta diripuit, quod non solum æperrime tulit Gregorius, sed in concilio residens. *Constituit, ut si quis Normannorum vel quorumlibet hominum, prædia, monasteria, villas possessionesque nostri monasterii Cassinensis invaserit, & secundo, & tertio admonitus non emendaverit excommunicationi subjaceat, quousque satisfaciet.* Pœnam tamen sacrilegii cito eum dedisse subdit. Nam *Postquam pecuniam accepit lumen amisit*, extatque Gregorii Papæ ad eumdem Jordanum Principem epistola, qua deprædationem monasterii, & ecclesiæ Cassinensis aliaque eidem exprobrat, & ut cito satisfaciat, jubet, ut ibidem videre est, atque Gregorii votis eum satisfeciisse, magnaque gesta retractasse indicat auctor Chron. Cassin. lib. 3. 47. Investituræ iterum sub eadem excommunicationis pœna, cuilibet prohibitæ fuerunt canone secundo; Præbendas aliave beneficia pretio dari, aut accipere canone 2. & 3. prohibetur, ordinationes vero quaslibet prætio accepto conferre canon quartus vetat. Falsæ pœnitentiæ declarantur, cum

Synodi Rom. decreta.

Chron. Cassin. lib. 3. cap. 40.

Lib. 6. epist. 37.

cum peccati occasio non relinquitur, aut injuste ablata non restituuntur. Deinde ne decimæ ab laicis occupentur, aut Episcopis debitæ ab Abbatibus usurpentur, cautum est, alia que ibidem pro criminibus vindicandis statuta sunt, quæ ibidem videri possunt. JESU CHR. AN. 1078.

10. Inter cetera ibidem in Rom. synodo gesta, hæc etiam leguntur. *Excommunicatus est CPolitanus Imperator.* Idest Nicephorus Botoniates, qui adversus Michaelem, ut anno proximo diximus, rebellis factus, Imperium invaserat, ab Cosma CPolitano Patriarcha, qui biennio ante Xephilino successerat, hoc anno coronatus, cum Michaelem una cum uxore ejus Maria, & filio Constantino, in monasterium Studii relegasset, ubi tranquillam vitam egit, ultimumque diem, sub Alexio Comneno clausit, ut pluribus Zonaras & Curopalates narrant. Cumque Michael Gregorium Pontificem inpense coleret, ac communione cum latinis sociatus esset. Nicephorum tyrannum excommunicatione dignum Romana synodus censuit, cum præcipue his fere diebus, ut narrat auctor chronici Cassinensis, Michael Imp. *Petro Desiderio per nuncios dona plurima transmisit, poscens, ut pro se ac liberis, ac pro statu Imperii sui omnipotentis Dei clementiam assiduis precibus exoraret.* Ac Cassinensi monasterio per bullam auream constituit. *Ut singulis annis auri libras 24., & pallia quatuor, ad congregationis nostræ sustentationem*, attribuit, ait is auctor. Nicephorus ab synodo Rom. excommunicatur. *Lib. 3. 39.*

11. In hac etiam Romana synodo, decimo Kal. Decemb. habita, ut scribit Bertoldus, seu potius in festo omnium Sanctorum. *Berengarius Andegavensis canonicus, ut ab hæresi sua resipisceret, synodaliter convenitur, eique inducia usque ad proxime futurum synodum dantur.* De gestis cum Berengario, ejusque retractatione in concilio Romano oblata, hæc narrat auctor anonymus ab Chiffletio editus in opusculo de multiplici condemnatione hæretici Berengarii. *Reverendissimus Papa Gregorius septimus successor Alexandri iterum eidem Berengario audientium in duabus Synodis generalibus Romæ concessit. Sed cum ipse sectam suam Catholicæ fidei contrariam denegare non posset, iterum sub juramento eamdem abdicare & fidem Catholicam profiteri delegit, sicut in superioribus Conciliis fecit. Tot igitur Conciliis Berengarianam hæresim damnatam percepimus, tum ex fidelium re-* Berengarius Rom synodo fidei professionem exhibet.

JESU CHR. AN. 1078.

latione virorum, qui eiſdem Conciliis interfuerunt, tum ex regeſtis Romanorum Pontificum, tum ex ſcriptis religioſorum virorum, qui de his fideliſſime ſcripſerunt. Nam eadem concilia noſtris temporibus infra XL. annos celebrata reperiuntur, quot anni ab exordio Pontificatus Sancti Leonis Papæ uſque in præſentem annum computantur, qui eſt ab Incarnat. Domini 1078, (quo anno Auctor Opuſculum ſuum ſcripſit). *Unde & adhuc multi vivunt, qui eiſdem Conciliis interfuerunt, qui & nobis de eiſdem conciliis fideliſſime teſtificati ſunt.* Berengarii confeſſionem fidei tunc editam ex veteri Codice edidit Mabillonius, his verbis conceptam. *Profiteor panem altaris poſt conſecrationem eſſe verum corpus Chriſti, quod natum eſt de virgine, quod paſſum eſt in Cruce, quod ſedet ad dextram Patris, & vinum altaris, poſtquam conſecratum eſt, eſſe verum ſanguinem, qui manavit de latere Chriſti, & ſicut ore pronuncio, ita me corde habere confirmo ſic me adjuvet Deus, & hæc ſancta &c.* Quæ ſane fidei confeſſio ſufficiens fuiſſet, ut ab hæreſis ſuſpicione eum liberaret, niſi a Berengario edita foret, qui alias in Galliis ſæpe, & in altera Romana ſynodo coram Nicolao ſecundo anno 1059. errorem ſuum jam ejuraverat. Hinc factum, (ſi veteratori fides habenda), ut cum confeſſio tunc a ſe edita, ac Gregorio oblata, eidem, aliiſque, Portuenſi præſertim, & Sutrienſi Epiſcopis ſatisfeciſſet, nihilhominus ut idem Berengarius in ſcriptiuncula a ſe, cum in Gallias rediiſſet, edita, & ab Martenio & ſociis in magna monumentorum collectione inſerta. *Nihilhominus*, ait, *Thebaldus, qui litteratior diligentia peculiari apud Sanctum Petrum habebatur clericus, & fratre quodam qui cognomine Bonadies appellabatur, aliiſque compluribus, quorum nomina, & dignitates non teneo*, a Papa petierunt, obtinueruntque, ut Berengarium cogeret moras in urbe facere, *uſque ad conventum*, ſeu ad ſynodum, *qui futurus erat apud eum in quadrageſima Epiſcoporum*. Quem etiam frequentiorem numero futuram eſſe ſperabant, quod cum Gregorius jnſſiſſet, moram ibidem Berengarius facere vel invitus coactus fuit, ac alteram confeſſionem fidei ſuæ ſubſcribere, qua non ſolum panem Chriſti corpus per conſecrationem fieri, &vinum ſanguinem, dicitur ſed ut omnis ſallendi via eidem præcluderetur additum eſt ſubſtantialiter converti panem in corpus, vinum in ſanguinem

Mabill. analect. tom. 2. Annal. lib. 70. n. 24.

Mart. Durand collectio monum. tom. 4. pag. 103.

cui

cui etsi Berengarius subscripsit, invito tamen, animo, & pœnæ timore, id se feciſſe teſtatur, hinc Pontificis inconſtantiam arguit, & conſiliarios ejus, qui Berengarii ſinceritatem ſuſpectam reddiderant, ac ut novam ab eo in futura ſynodo confeſſionem exigeret, admonuerant, graviſſimis contumeliis afficit, ut anno ſequenti dicturi ſumus. Interea cum Hugo Cluniacenſis Abbas miſſis in urbem legatis Gregorium interrogaſſet, quid cum Berengario actum eſſet, Gregorius ab legato ſuo Ricardo ſcilicet Cardinali, in Gallias miſſo, quid in hac cauſa ab ſe geſtum fuerat, ab eo accepturum admonuit. *De Berengarii unde nobis ſcripſiſtis*, ait, *quid nobis videatur, vel quid diſpoſuerimus, fratres, quos tibi remittimus cum prædicto Cardinali noſtro nunciabunt &c.* Cujus cauſa anno tantum ſequenti finita eſt, ut ibidem dicturi ſumus.

Jesu Chr. an. 1078.

Lib. 5. epiſt. 21.

12. Hugo autem Cluniacenſis Abbas ea apud Gregorium auctoritate & æſtimatione erat, ut vix eccleſiaſticum in Galliis negotium, abſque ejus conſilio ageretur, quem etiam legatis ſuis ſocium Gregorius adhibebat. Hinc in epiſtola ad Rainerium Aurelianenſem Epiſcopum variis criminibus accuſatum, ut a ſynodum ſe ſiſteret, juſſit. *Ibique coram legatis noſtris*, inquit, *videlicet Hugone Dienſi, & Hugone Abbate Cluniacenſi, nec non & Rugerio Subdiacono noſtro, de hit, & aliis, quæ tibi intentantur, rationem canonice exponas &c.* Et iterum in epiſtola ad Hubertum, & Theuzonem legatos ſuos in Galliis, ut cauſam Evetii Dolenſis Epiſcopi, & Manaſſis Remenſis in ſynodo tractarent, juſſit, *adjuncto ſibi Hugone* Cluniacenſi Abbate. Eamdemque cauſam Evetii Dolenſis Archiepiſcopi epiſtola ſequenti retractat, & ut coram legato ſuo ab Epiſcopis, tum Galliæ, cum Britaniæ eadem ſopiretur, & duobus Gaufredis Comitibus ſcribens, juſſit. *Procurantes etiam*, ut ſubdit, *ut Anglorum Rex ex ſua parte legatum illuc dirigat, tam prudentem, quam religioſam perſonam, quatenus cauſa iſta, ſublato favore partium, omnique perſonali acceptione ad effectum juſtæ definitionis Deo diſponente perveniat.* Ac utraque epiſtola undecimo Kal. Junii in Lateranis data, ut Indictione prima, ideſt hoc anno, quo etiam tempore pleroſque primarum etiam ſedium Epiſcopos, ab legato ſuo Hugone Dienſi ſuſpenſos, Remenſem ſcilicet, Biſuntinum, Senonenſem, ac Turonenſem, Carnoten-

Hugo Abbas quanti ab Gregorio habitus.

Lib. 5. 20.

Epiſt. 22. 23.

JESU CHR. AN. 1078. *Epist.* 17, sem, ad pristinum officium restituit, Romanæ ecclesiæ consuetudinem sequens, quæ, *quædam tolerare, quædam etiam dissimulare discretionis temperantium potius, quam rigorem canonum sequentes*, quorum *causas non sine gravi labore discussimus*, ait. Nec multo post Manassi Remensi Archiepiscopo rescribens, qui nonnisi Romani Pontificis judicio se subjectum esse gloriabatur, ac judicium Hugonis Diensis Episcopi, cui Gregorius eamdem causam delegaverat, se se subjicere recusaverat, arguit ostendens, legatos Rom. sedis eos esse non solum, qui ab urbe mittebantur, sed eos etiam quibus Rom. Pontifex ubique vices suos delegabat, ac in Rom. Pontificis arbitrio esse addebat, privilegia olim concessa, vel revocare, vel mutare. *Ad id autem, quod de privilegio dicitis, breviter interim respondemus, quod possunt quædam in privilegiis, pro re, pro persona, pro tempore, pro loco concedi, quæ iterum pro iisdem si necessitas vel utilitas major exegerit, licenter valeant commutari.* Quod exemplo Arelatensis ecclesiæ, quæ olim in Galliis Primatum habuerat, confirmat.

Lib. 6. epist. 2.

Concilia in Galliis celebrata. *Labb. concil. nov. edit. tom.* 20. *pag.* 505.

13. Concilia autem plurima in Galliis hoc anno celebrata fuisse scimus. Ex his Burdigalense recensetur ab Amato Cleorensi Episcopo, & S. R. E. legato, vice Domini Gregorii Papæ septimi, & Hugone Diensi Episcopo S. R. E. legato, in quo etiam Gozelinus Burdigalensis, cum Episcopis aliquot adfuerunt, ac legatorum sententia Ecclesia Beatæ Mariæ de Solaco Abbati S. Crucis Burdigalensis adjudicata est, quam sui juris esse ajebat Arnaldus Treucardi Abbas; Rothomagi etiam Humbertus Cardinalis, & S. R. E. legatus synodum cleri ejusdem ecclesiæ, & Abbatum celebravit, in qua causa Joannis Rothomagensis Episcopi agitata est, qui ob infirmitatem Episcopali munere peragendo impar erat. Quare se Humbertum legatum misisse ait Gregorius in epistola ad Gulielmum Angliæ Regem: Augustodunensis etiam concilii hoc tempore ab Hugone Diensi Episcopo, & Gregorii legato celebrati mentionem habet Manasses in epistola ad Gregorium Papam, in quo Gregorii decretum, ne quisquam a laicis personis Episcopale officium per investituram acciperet, vulgatum fuisse narrat, eaque ut privilegia sibi ecclesiæque suæ servarentur enixe rogat, de comprovincialium suorum adversum se perperam gestis, conqueritur.

Labb. tom. 10. *pag.* 362.

tur. Hugo etiam Dienſis Epiſcopus, & in Galliis Gregorii legatus, in epiſtola ad eumdem Pontificem ab Hugone Flaviacenſi in chronico relata, Arvernenſis, Burdigalenſis, & Pictavienſis concilii non ſolum meminit, ſed etiam Epiſcoporum Galliæ varias ibidem cauſas pertractatas fuiſſe narrat, ex quibus plurimi variis criminibus irretitos fuiſſe, refert. De geſtis vero in Pictavienſi concilio, quod ad diem decimamoctavam Kal. Februarii anni proximi indixerat, eaque de cauſa Theuſonem monachum ab Gregorio in Gallias miſſum apud ſe retinuiſſe ait, litteris ſuis certiorem reddidit, in quibus multa incommoda, & pericula ob eam ſynodum, ſe tum a Rege Francorum Philippo, cum ab Epiſcopis factioſis, variorumque criminum reis ſuſtinuiſſe narrat, quorum nomina, & crimina ibidem recenſet, eorumque plurimos judicio Apoſtolicæ ſedis remiſiſſe addit, cetera ab Teuzone monacho, qui in urbem cum his litteris redierat, ſe accepturum ait. Pontificem interea rogat Hugo Dienſis ut caute provideret; *Ne diutius tam opprobrioſe nobis inproperetur, quod Simoniaci, vel quicumque criminoſi a nobis ſuſpenſi vel depoſiti, aut etiam damnati libenter currunt Romam, & ubi deberent ſentire ampliorem rigorem juſtitiæ, inde reportant quaſi miſericordiam pro voluntate, & qui antea nec in levibus præſumpſerunt peccare, poſtmodum exercent ampliſſimam negotiationem cum tyrrannide in commiſſis ſibi eccleſiis &c.* Synodum tamen non ſine aliquo fructu ibidem, ſeu Pictavis celebraſſe adnotat, in qua etiam canones decem ad eccleſiaſticam in clero, & monachis diſciplinam reſtaurandam editi vulgati ſunt, ut ibidem videre eſt, pag. 368.

JESU CHR. AN. 1078.

ut ſupra pa. 365.

pag. 366.

14. Hoc etiam tempore eccleſiarum ſollicitudinem gerens Gregorius Papa ad Danorum, Norvegiorumque Reges litteras dedit, quibus eos ad catholicam fidem tenendam hortatus eſt, & cum ob linguarum difficultatem legatos illuc mittere non poſſet. *Rogamus vos*, inquit, *ſicut & Regi Danorum denunciavimus, ut de junioribus, & nobilibus terræ veſtræ ad Apoſtolicam aulam mittatis, quatenus ſub alis Apoſtolorum Petri & Pauli ſacris ac divinis legibus diligencer edocti, Apoſtolicæ Sedis ad vos mandata referre non quaſi ignari, ſed cogniti, & quæ Chriſtianæ religionis ordo poſtula-*

Gregorii ſollicitudo pro Danis, & Norvegis. *Lib. 6. epiſt.* 13.

JESU CHR. AN. 1078.

ſtulaverat, apud vos non quaſi rudes aut ignari, ſed lingua ac ſcientia, moribuſque prudentes, digne Deo prædicare, & efficaciter, ipſo adjuvante, excolere valeant. Hæc, & alia ad Olaum Norvegiæ Regem, quem etiam admonet, ne fratribus Regis Danorum opem ferat, ſed potius curet, ut fratres ſuos Danorum Rex cum honore reciperet. *Ut nec illos indigne anguſtet neceſſitas, nec Regni ſtatus labefactetur aut dignitas.* Hactenus ad Olaum Norvegiæ Regem Gregorius hoc deſinente anno, nempe 18. Kalen. Januarii, cum jam indictio ſecunda in curſu eſſet.

Michael Imper. monachus obiit.

14. Michael autem Imperator adverſus quem Nicephorus, & Briennius anno proximo rebellaverant, cum annos ſex imperaſſet, ait Curopalatas Imperio dejectus, ad ſtudii monaſterium relegatus eſt, ubi detonſis capillis, Patriarchæ & Metropolitanorum ſententia Epheſinus Archiepiſcopus electus fuit, in quam urbem ſemel ingreſſus, ac inde excedens, in Manuelis monaſterio monaſticam vitam, suis etiam manibus laborans, uſque ad Alexii Comneni Imp. tempore egit, extremumque ibidem diem clauſit, ut idem narrat Curopalates.

Nicephorus Botoniates Imp. coronatur.

15. Nicephorus vero Botoniates ſub die 25. Martii Imperator renunciatus, Imperiali diademate in eccleſiam S. Sophiæ ab Coſma Patriarcha in magna hebdomada feria tertia, ſeu die tertia Aprilis, coronatus eſt, qui paulo poſt calcatis eccleſiæ legibus Mariam Michaelis Imperatoris adhuc ſuperſtitis uxorem duxit, ob quam cauſam fortaſſe in ſynodo Romana, deſinente hoc anno celebrata, ab Gregorio Papa excommunicatus fuit, uti ſupra adnotavimus. Filiam vero Roberti Calabriæ & Apuliæ Ducis, biennio ante Conſtantino Michaelis filio deſponſatam, & ab Græcis Helenam dictam, nuptiali abrupto fœdere ad patrem remiſit, ut pluribus narrat Anna Comnena lib. 1.

Briennus a Nicephoro obcœcatur. *Zonar. Annal. pag. 291.*

16. *Briennio vero*, inquit, *Zonaras, qui adhuc in Occidente tyrrannidem tenebat, per legatos Cæſaris honorem* Botoniates, *pollicetur, ſi a tyrrannide abſtineat, & adjutoribus, ejus honorum, quos jam ab illo accepiſſent, confirmationem. Sed cum ille Imperii cupiditate æſtuans non cederet*, immiſſo adverſus eum exercitu, vicit captumque excœcavit, ac in urbem regiam perduxit. Hic autem Ni-

ce-

cephorus Briennis Dyrachii dux erat, cui urbes aliquot provinciæque suberant, sicque nullo prohibente Botoniates Imperium solus obtinuit. JESU CHR. AN. 1079.

17. Hoc etiam anno Tauromenium munitissimum in Sicilia oppidum Rogerius post longam obsidionem cœpit, ut narrat Malaterra, qui addit Tunetensem Caliphum totis viribus Rogerio ne urbem caperet, restitisse, at longa obsidione fatigatus, ac fame coactus tandem se dedidit, ut his versibus idem narrat auctor. Tauromenium a Rogerio captum. *Malat. lib. 3. 17. 18. apud Murat. rer. Ital. tom. 5.*

Deficit ut panis, populus superatus inanis.
Sic Comes accitus castro pro velle potitur
Arbore sub Tauri, curvantur mœnia Tauri

Ita Rugerius reliqua quæ in Sicilia Seracenis hactenus retinuerant oppida sensim sibi subjecit, miserosque ibidem christianos ab Arabum captivitate liberavit.

JESU CHRISTI AN. 1079. GREGORI SEPTIMI PAPÆ AN. 7. NICEPHORI BOTONIATÆ IMP. AN. 2.

1. Unam, vel duas etiam, ut adnotat Manssius, Gregorius Papa septimus synodos hoc anno in Lateranis celebravit, primam die undecima Februarii, alteram infra hebdomadam Pentecostes, ac duæ ibidem causæ agitatæ sunt. Prima de componendis in Germania rebus, belloque, quod Henricus, & Rodulphus de Germaniæ Regno contendentes susceperant, sopiendo; quæstio altera in eadem synodo, vel si mavis in secunda agitata, de Berengario, ejusque hæresi fuit, ut Paulus Bernriedensis in vita Gregorii, & conclii acta referunt. *Anno ab Incarnatione Domini* 1079. *mense Febr. Indict. 2. Pontificatus vero Domini Gregorii Papæ septimi legati Regis Rodulphi super Henricum proclamaverunt quod nulli loco, nullique personæ parcent, regiones transalpinas contererent, & conculcaret,* & nemini debitum honorem, vel reverentiam deferret, quin tamquam *vilia, mancipia, non modo Sacerdotes, sed etiam Episcopi, & Archiepiscopi caperentur, vinculisque manciparentur, partimque jam trucidarentur. Decreverunt ergo quamplures Concilii, in illius tyrannidem gladium* Gregoriusy nodum in urbe celebrat. *Labb. tom. 10 p. 379. apud Murat. rer. Ital. tom. 3. pag. 345.*

JESU CHR. AN. 1079.

dium Apoſtolicum debere evaginari. Sed Gregorius ſententiam ferre diſtulit, ac Petro Albanenſi, cognomento Igneo, & Altmanno Patavienſi Epiſcopis legatis ſuis in Germaniam miſſis ſcripſit, ut ſemoto omni partium ſtudio rem diligentius examinarent, ac ad ſe deferrent, ut juſtum tandem judicium proferre poſſet, ut is auctor narrat: cumque ſynodo adeſſent legati Henrici, & Rodulphi, utriuſque partis legati juraverunt, ſe infra terminum aſcensionis Domini, conventui in Germania coram Apoſtolicæ Sedis legatis indicto adſtituros, ac judicio Apoſtolicæ Sedis conſenſuros, quorum juramenti formulam tum Paulus cum ſynodi acta referunt loco ſupracitato.

Gregorii epiſt. ad Germaniæ Epiſc. de legatione miſſa.

2. His Gregorii epiſtolam datam *Archiepiſcopis, & Epiſcopis in Theutonico, atque Saxonico regno commorantibus, cunctis etiam majoribus, & minoribus, qui non ſunt excommunicati*, ſubnectit Paulus Bernredienſis, qua ad ſedandos tumultus ibidem excitatos opportunum ſibi, ſynodoque congregatæ; viſum fuiſſe ait, legatos pietate, & religione pollentes ab Apoſtolicæ Sedis latere ad eos mittere, qui *Religioſos Epiſcopos, laicos etiam pacis, & juſtitiæ amatores in partibus veſtris commorantes ad hoc opus idoneos congregarent, qui Domini gratia præeunte, die, & loco ab illis ſtatuto, tam ipſi, quam quos ipſi adhuc jungere debemus, aut pacem component, aut veritate prægnita, ſuper illos, qui ſunt tanti diſſidii cauſa canonicam cenſuram exerceant &c.* Cunctis itaque jubet, ut interea uſque ad cauſæ definitionem pacem ſervarent, nec quiſquam haſtenus a ſe ſtatutis ſub anathematis pœna contraire præſumeret: Gregorii legati in eam rem miſſi fuerunt, Petrus Albanenſis, Igneus etiam dictus, eo quod per ignem tranſiiſſet, ut ſupra diximus, quem etiam in hac ſynodo Albanenſem Epiſcopum creatum fuiſſe tradit Bertoldus in chronico, legatorum alter Uldaricus Patavinus Epiſcopus fuit, ut idem Bertoldus, & Cardinalis Aragonienſis tradunt. Paulus tamen Bernredienſis Altmannum Patavienſem dicit, tertius Aquilejenſis Patriarcha, Henricus dictus; quem exitum hac habuerint, anno ſequenti videbimus; certum tamen eſt, hoc quoque anno inter Henricum, & Rodulphum bellum varia fortuna inſtauratum fuiſſe, ut Annaliſta Saxo apud Eccardum, & Chronographus apud Lebnitium narrat.

3. Cum

3. Cum autem in Germaniam delatæ ſunt Gregorii litteræ, quibus ſe legationem alteram, ad Henrici, & Rodulphi cauſam iterum examinandam delegaſſe nunciabat, Saxones qui præ ceteris in Rodulphi electionem conſenſerunt, eique impenſe favebant, adverſus Gregorium aliquantulum commoti ſunt, eo quod Henricum, quem Regno indignum dixerat, ſubditoſque a debita eidem obedientia præſtanda liberaverat, iterum in ſpem Regni retinendi erigeret, unde datis ad eum litteris conqueſti ſunt. Harum hoc eſt exordium. *Teſtis eſt excellentia veſtra, & litteræ veſtræ, quas in teſtimonium habemus, quia nec pro conſilio noſtro, nec pro cauſa noſtra, ſed pro illatis ſedi Apoſtolicæ injuriis Regem noſtrum regia dignitate privaſtis, nobiſque terribili interminatione, ne ei ſicut Regi ſerviamus, interdixiſtis, & omnes chriſtianos a vinculo juramenti, quod ei fecerunt, vel facient, abſolviſtis, cumque vinculo anathematis alligaſtis. In his omnibus paternitati veſtræ cum magno periculo noſtro, ſicut nunc patet, obedivimus, & quia eidem depoſito ad depoſitionem veſtram cum cæteris concordare noluimus, tantam in nos crudelitatem exercuit, at plures ex noſtris, amiſſa omni ſubſtantia animam in hoc certamine ponerent & filios exhæredes, & ex divitibus pauperes reliquerunt: qui autem reſidui ſunt, de vita quotidie ſolliciti vitæ ſubſidia pene omnia amiſerunt &c.* His addunt, ſe alterum ſibi Regem poſt Henrici cladem, & fugam, ſibi elegiſſe, Rodulphum ſcilicet. *Cumque de electo nobis Rege, & non de Regibus ſpes ad refocillandum Imperium ſuccreſceret, ecce ex inſperato litteræ veſtræ duos in uno Regno Reges pronunciant, duos legationem decernunt, quam regii nominis pluralitatem ac regni diviſionem, diviſio quoque populi, ac ſtudia partium ſubſequuta ſunt, quippe cum in epiſtolis veſtris prævaricatores,* ideſt Henrici, *perſonam ſemper præponi cernerent, & ab eo ſicut a potente exigi, quatenus ducatum vobis in has partes ad diſcutiendam cauſam præberet &c.* Ac quod Henrici legatos benigne in urbe receptos dimiſiſſet, multo ibidem incommoda exoriri narrant, graveſque perſecutiones ſe, ex varia hac agendi ratione pati addunt, ac tandem poſt plurima. *Nam ſi hoc, quod in ſynodo Romana definitum, & poſt a legato ſedis Apoſtolicæ confirmatum eſt ſilentio contegi oportet,*

JESU CHR. AN. 1079. Saxonum querelæ adversus Gregorium Papam.

Labb. tom. 20. edit. noviſſ. Venetæ pag. 387.

JESU CHR. AN. 1079.

tet, quid posthac credendum vel pro rato habendum sit omnino nescimus. Hactenus Saxones ad Gregorium Papam, moderatam ejusdem agendi rationem nequaquam probantes.

Berengarius Rom. synodo sistitur. *Apud Martene Anecdot. tom. 4. pag. 103.*

4. Gravior adhuc, & Pontificia majestate dignior fuit altera causa in hac eadem, vel etiam si vis in altera Romana synodo hoc anno agitata de hæresi Berengariana, cui idem Berengarius adfuit, coactus in urbe moras facere ut anno proximo diximus. Ubi. *Moras pene per annum feceram*: ut idem Berengarius ait p. 103. Detentus itaque ibidem, ut mentem suam aperiret, pleniusque synodo satisfaceret, Synodo adstans. *Jam tertio convictus hæresim suam abjuravit, & anathematizavit*, ait Bertoldus. Rem tamen clarius ipsa synodi acta exponunt, Anonymus etiam Cisletianus, postquam de synodo anni elapsi, in qua Berengarius hæresim ejuraverat loquutus est, de hac altera hæc subdit. *Ultima quoque generali synodo sub Gregorio Papa septimo, anno Domin. Incarn.* 1079. *ipsi interfuimus & vidimus quando Beringerius in medio Synodi constitit, & hæresim de Corpore Domini, coram omnibus propriæ manus sacramento abdicavit sub præsentia Gregorii Papæ, Henrici Patriarchæ Aquilejensis, & Reverendissimorum Episcoporum Petri Albanensis (Ignei cognominati) Beati Anselmi Lucensis, Landulfi de Pisa, Reginherii de Florentia, Hugonis Diensi, Altissanani Pataviensis, & reliquorum centum quinquaginta Episcoporum, & Abbatum, & innumerabilium clericorum.* Hanc tertiam fidei formulam Berengario propositam ipse publice lectam non catholico animo, sed metu adductus probavit, ac juramento confirmavit, quam recitat Baronius, legiturque apud Labbeum, ac se corde & ore credere, ait & confiteri, panem, & vinum per mysterium sacræ orationis, & verba Redemptoris nostri, substantialiter in corpus & sanguinem Christi converti, eademque Hugo Flaviacensis coævus auctor in chronico Virdunensi p. 214. confirmat, ac juramentum a Berengario editum recitat, subditque *Tunc Dominus Papa præcepit Berengario ex auctoritate Dei omnipotentis, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, Ut de corpore, & sanguine Domini nunquam ulterius cum aliquo disputare, vel aliquem docere præsumeret, excepta causa reducendi ad fidem hanc eos, qui per ejus doctrinam ab ea recesserant.*

Labb. pag. 218.

Berengarius Hæresim iterum damnat.

5. Ut

JESU CHR. AN. 1079.

5. Ut vero de ejusdem pœnitentia Galliarum Episcopos certiores redderet, securusque redire posset, commendatitiam ei hanc Epistolam dedit. *Gregorius servus servorum Dei omnibus B. Petro fidelibus salutem, & Apostolicam benedictionem. Notum vobis omnibus facimus, nos anathema fecisse ex auctoritate Dei omnipotentis &c. Omnibus, qui injuriam aliquam facere præsumpserint Berengario Romanæ ecclesiæ filio, vel in persona, vel in possessione sua, vel qui eum vocaverit hæreticum, quem post multas, quos apud nos quantas voluimus fecit moras, domum suam remittimus, & cum eo Fulconem nomine.*

Gregorii epist. ad episc. Galliæ de Berengarii retractatione *Labb. tom. 10. p. 410.*

6. Ob Berengarium ab Gregorio Papa his benevolentiæ signis, post ejuratam hæresim, dimissum Schismatici in concilio Moguntino adversus eumdem Gregorium coacto, in quo idem Gregorius ab iisdem damnatus, & depositas fuit, ut infra dicturi sumus, occasionem inde fortasse schismatici sumpserunt atrocioris calumniæ adversus eum vulgatæ, quod scilicet, plus æquo tamquam antiquus Beregarii discipulus eidem favisset, relapsumque sæpe in hæresim, cum honore dimisisset, quæ quantum ab omni veri specie aliena sint, gesta adversus eum anno elapso, & labenti in Romana synodo satis aperte demonstrant; atque ipsum veritatis catholicæ fidelissimum sectatorem, vindicemque, si cetera deessent, ejusdem epistola ad Mathildem primo Pontificatus sui anno data, satis probat, qua dum eam ad tanti sacramenti frequentiam excitat. *Ejus quippe ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salute partitur, ejus sanguis non jam in manu infidelium sed in ora fidelium funditur.* Hæc, aliaque ibidem ad demonstrandam veram, realemque corporis, & sanguinis Domini transmutationem, & præsentiam in Sacramento Eucharistiæ, unde plura addere superfluum esset.

Gregorius Papa ab schismaticorum calumniis vindicatur.

lib. 1. 47.

7. In ea Romana synodo adversus Berengarium Sanctus Bruno Astiensis dictus, utpote in villa Solaria Astensis diœcesis ortus, Segniæ postea Episcopus, disputavit, ut ejusdem vitæ acta testantur. Doctrina quippe & sanctitate clarus hoc seculo fuit. Natus quippe patre Andrea, & matre Vvilla, educatus in monasterio sancti Perpetui Astensis Episcopatus, inde Senis inter canonicos cooptatus, atque Romam veniens a Petro cognomento Igneo Episcopo Albanensi susceptus hospitio, hoc anno adversus Berengarium disputa-

S. Bruno Astensis, & Segniæ Episcopus cum Berengario disputat.

JESU CHR. AN. 1079.

putavit, & Signinæ paulopoſt, licet invitus, Eccleſiæ præfectus fuit, cogentibus eum oſtenſis divinitus viſionibus, quæ narrantur in vita ipſius, & Petrus Diaconus ex parte refert in appendice ad Leonem, qui tamen dum ait, ſub Paſchali Papa creatum Epiſcopum, redarguitur ab auctore vitæ ipſius ejuſdem ſæculi ſcriptore, qui ait, eum a Gregorio Septimo creatum Epiſc. fuiſſe, ſediſſeque annos quatraginta quatuor uſque ad annum quintum Pontificatus Calliſti Papæ Secundi. Sed de ipſo ſæpe inferius ſermo redibit, cujus vitæ ſummam Petrus Diaconus in chronico Caſſinenſi exhibet; fuſiorem vero operibus ejus nuper eruditus viro Bruno Brunus Scholarum piarum Sacerdos præfixit, ſicuti & ejuſdem opera præfatione, notiſque eruditis illuſtravit.

Chron. Caſſin. lib. 4. cap. 31.

Volphemus Abbas Berengarium confutat.

8. Inter Berengarii adverſarios, ejuſdemque hæreſis oppugnatores Volphemus Abbas Brevillerenſis reeenſetur, cujus extat epiſtola ad Maginhardum Abbatem ſcripta, in qua Berengarii hæreſim confutat. Hanc Corradus monachus in ejus vita recitat, ubi inter cetera hæc refert. *Iſtis diebus Francia turbabatur per Berengarium Turonenſem, qui aſſerebat Euchariſtiam, quam ſumimus in altari, non eſſe revera Corpus & Sanguinem Chriſti. Unde contra eum, & pro eo multum a multis & verbis, & ſcriptis diſputatum eſt. Adverſum quem etiam extat hujus beatiſſimi viri Epiſtola, ad quemdam Meginhardum Abbatem Gladebacenſem edita* (Gladebacum monaſterium in agro Juliacenſi cum oppido adjuncto poſitum eſt), *firmiter undique veritatis aſſertione ſubnixa qui quaſi filium patrem conſuluit ſuper hujus quæſtionis definitione: quam licet attexere ſit longum, utilitati tamen proſpicientes legentium, non incongruum duximus præſenti inſerere opuſculo.* Volphemus miraculis in vita & poſt mortem clarus *decimo Kalendas Maii obiit anno milleſimo nonageſimo primo Domini Incarn.*, ait Corradus in ejuſdem vita.

Jurisdictio, Bollandi die 22. Aprilis.

Juramentum Patriarchæ Aquilejenſis.

9. Sed ad Concilii Rom. acta redeundum, in quo Henricus Aquilejenſis Patriarcha, ab Henrico Rege ad eam ſedem electus, ſynodo adſtans, fidelitatis, & obedientiæ juramentum præſtitit, ſeque in omnibus Rom. Pontifici, Romanæque eccleſiæ obſequentiſſimum fore promiſit: Excommunicati quoque ſunt. *Sine ſpe recuperationis*, ajunt acta, *Archiepiſcopus Narbonenſis, Thedaldus dictus, Archiepiſcopus Mediolanenſis, Sigefridus dictus, Epiſcopus Bononienſis, Rolandus Tar-*

Labb. tom. 10. p. 479.

Tarvisiensis: *item Episcopi Firmanus*, *& Camerinus*, *hique omnes cum sequacibus suis tam clericis*, *quam etiam laicis*. Ad postremum juramentum Episc. Regiensis his verbis conceptum Acta continent: *Ego Gandulphus Regiensem Episcopatum contra interdictum vestrum*, *aut vestri legati*, *octo diebus non tenebo*, *neque aliquo inveniam studio*, *quo vestræ legationi resistatur*. *Sic me Deus adiuvet*, *& hæc sancta Dei Evangelia*. Hucusque ibi de rebus in Synodo gestis, ibique alias diversorum Episcop. agitatas fuisse causas, decet epistola ejusdem Gregorii, post synodum scripta. Absoluta autem Synodo, Gregorius Legatos misit in Germaniam ad componendas discordias inter Reges. Testatur id ipse Gregorius in epistola ad Mathildem hoc anno data quinto Nonas Martii, verbis istis. *Legatus Regis in præsentia universalis Synodi juravit ex præcepto domini sui*, *eum nostris mandatis per omnia obtemperaturum*. *Ea quoque de causa & spe nos jam misisse Legatos nostros*, *credo tuum scientium non latere &c.* Jesu Chr. an. 1079.

10. De Berengario dici potest cum Propheta. *Si mutare potest Æthiops pellem suam*, *aut Pardus varietatem suam*, nam hæresim suam octies saltem ejurans, eamdem ad obitum fere mente retinuit; hinc in Gallias vix reversus retractationem, Romanæ synodo oblatam, tamquam a se ipso per vim, & metum extortam, retractavit, ac gesta ibidem revocans se Pontifici, *cum quo moras pene per annum feceram*, oblata fidei professione satisfeciisse narrat, sibique cum Pontifice, consensisse Portuensem, Sutrinum, Bonizonem & Terracinensem Episcopos cum Cardinalibus Attone Mediolanesi, monacho Tudensi Rom. Ecclesiæ Cardinali nomine Deus dedit, Petro Cancellario, Fratre Fulcone transmontano clerico ipsius Domini Papæ, quem Gregorius cum Berengario in Gallias remisit; Pontifici tamen restitisse addit Thedaldum clericum S. Petri, qui ceteris litteratior habebatur, & fratrem quemdam Bonadiem, aliosque, quos pestilentes. scripturarumque corruptores ibidem dicit, ii quippe a Pontifice obtinuerant, ut Berengarius usque ad proximam synodum, quam frequentiorem futuram sperabant, retineretur, quod cum factum fuisset, proposita primum fidei professione anno proximo ab Berengario oblata, eamdem retinendam nec quidquam eidem addendum, vel demendum esse, si Berengario fides habenda, Gre-

Berengarius in Gallias reversus, in hæresim relabitur. *Serm.* 13. 23. *Marten. tom.* 4. *anecdot. pag.* 103. *seqq.*

JESU CHR. AN. 1079.

Gregorius Papa censebat. At *usque eo dejectus est importunitate Paduani scurræ non Episcopi, & Pisani non Episcopi, sed Antichristi*. Quos etiam malo interitu periisse ibidem addit. Horum itaque factione factum est, *ut Pontifex permitteret calumniatoribus veritatis in posteriori quadragesimali concilio*, hujus anni, *scriptum a se firmatum in priori festivitate omnium sanctorum*, anni elapsi, *Episcoporum* consensu, *vel confessu mutari hujusmodi*. Idest additum est priori fidei professione verbum *substantialiter*, ita ut cum in prima testatus esset panem & vinum per verba consecrationis, in corpus & Sanguinem Jesu Christi converti, in hac altera additum est. *Substantialiter* converti.

Qua mente Berengarius fidei confessioni subscripserit. *Martene tom. 4. pag. 103.*

11. *Hoc scriptum*, prosequitur Berengarius. *mutatum ad placitum eorum . . . . Ad me pertulit Pisanus Episcopus si forte eadem complexione in consensu ecclesiæ ego illud legerem, dicens facile toleraturum Dominum Papam substantialiter addendo, calumniatoribus consentire. Ego charta correpta, & quantum temporis brevitas permittebat recursa, perpendi ad sanum intellectum utcumque posse reduci & substantialiter, & cetera verba, quæ in scripto erratici posuissent suo. Respondi, quia ita placeret Domino Papæ, me substantialiter additurum &c.* Ac de varia hujusce verbi substantialiter significatione, aut expositione ibidem addit, quæ ad rem vix faciunt, se tamen alio sensu, diverso sane ab eo, quo adversarii sui intelligebant, se illud admisisse testatur, varioque verbi ejusdem sensus, interpretationesque longa, intricataque oratione hæreticorum more prosequitur, ac iterum se priori professione fidei, anno elapso oblata ut satis superque Pontifici satisfeciisse, addit, certioremque se ab ipso Pontifice factum nil ultra ab eo exigeretur. *Ita me*, subdit, *erraticorum vecordiam evasisse jam putaveram, cum Papa nescio a quibus persuasus, & quasi de arce dejectus, subito a me exegit unde nihil ante confessum Episcoporum, nihil in consensu per se, vel per alium egerat, quod nullo eum a me ratione exigere posse quasi securus jam eram: & prostratus humi confiterer me ad tempus illud usque errasse, pro eo quod dicens de sacrificio Ecclesiæ panis & vinum sacrata in altari sunt corpus Christi & sanguis, non addidissem substantialiter: Quid dicam? subita Papæ vecordia perturbatus, Deo non donante mihi constantiam, peccatis meis exigentibus, ne continuo mihi ipse*

Papa

JESU CHR. AN. 1079.

Papa anathema faceret, & vulgus, quod quasi necessario consequebatur, in quam vellem me necem arriperet, prostratus ut jubebat, sacrilega voce me erraſſe confeſſus ſum. Ita mecum agens, qui te occiſuri ſunt omnes chriſtiano nomine gloriantur, ab omnibus obſequium in nece tua Deo præſtitiſſe putabuntur. Facilior tibi erit ad divinam miſericordiam recurſus. Evolve tu utcumque de poteſtate erraticorum & manibus. Ad hoc me ſacrilegium non ſolum quam ſupra poſui cauſa dejecit, ſed etiam hæc quam nulla ſubſcripturus ſum falſitate. Pertulerant ad me, quibus non credere non debebam, domnus ille Montis Caſſini abbas, & Petrus Neapolitanus ejuſdem cœnobii monachus, de cujus laude interim taceo, ne forte inſufficienter agens, quid amplius agerem non habuiſſe ab aliquo reputer, voluntatem Papæ in eo fuiſſe, ſi ſoli illi aſſenſum præbuiſſem, me quamdiu viveret, loco aliquo quaſi carcere claudere, ut mecum ſentire de ſcripturis minime putaretur: & ita adverſariis ſibi conciliatis de auctoritate confirmandæ veritatis minime laboraret. Ad hoc mihi a patre miſericordiarum totius conſolationis Deo firmamentum quia indigniſſimo defuit, & ad juſſum Papæ coram omnibus quod profeſſioni meæ ſubſtantialiter non addidiſſem erraſſe me confiteri non horrui &c. Quod ſe feciſſe lugubribus verbis pœnitet, ſe tamen in priori ſententia, ſeu potius impietate perſeveraſſe aperte indicat.

Pag. 109. Berengarius in hæreſim relabitur.

12. Et ſane extat ejuſdem Berengarii epiſtola contra Almannum, ſeu Adelmannum ſcripta, qua ſe Manichæorum quidem deliria deteſtari ait, dum phantaſticum Chriſti corpus fuiſſe dicebant, ac verum realeque in Euchariſtia eſſe teſtatur, at panem, vel vinum in corpus & ſanguinem tranſmutari aperte negat, quam opinionem vulgi, & cum vulgo Paſchaſii, & Lantfranci fuiſſe, non ſententiam ſed inſaniam addit. Unde poſt aliqua, ſenſus ſuos exponens, addit. *Adverſarii ergo vulgus, & cum vulgo infanientes Paſchaſius, Lantfrancus, & quicumque alii ita cauſam intendebant, panem, & vinum uſque ad conſecrationem conſtare in altari urgente conſecratione panem, & vinum per corruptionem, vel abſumptionem ſui in particulam carnis Chriſti ſenſualiter tranſire & ſanguinis. Mea vel potius ſcripturarum cauſa ita erat, panem, & vinum menſæ Dominicæ non ſenſualiter, ſed intellectualiter; non per abſumptionem, ſed per*

JESU CHR. AN. 1079.

per assumptionem; non in portiunculam carnis, contra scripturas, sed secundum scripturas in totum converti Christi corpus, & sanguinem. Hæc aliaque in eamdem rem Berengarius, quæ exscribere jam piget, quem sane Calvinistarum sententiæ, qui in figura tantum, corpus Christi in sacramento Eucharistiæ adesse putant, adversari patet. At eamdem cum Lutheranis opinionem habuisse, dubitari vix potest, dum verum Christi corpus in Eucharistia sumi profitentur, transmutationem tamen seu transubstantiationem panis, & vini, in verum Christi corpus, & sanguinem fieri negant, atque hoc fortasse in causa fuit, ut cum Berengarius admissa Reali præsentia, uno tantum gradu a fide catholica aberraret, mitius cum eo, quam fortasse par erat, actum sit. Ante obitum tamen, quin anno proximo sequenti 1080. in concilio Burdigalensi coram Amato Olcronensi Episcopo, & Hugone Diensi R. E. legatis, iterum hæresim suam ejuravit, ut his verbis narrat Anonymus auctor chronici Malleacensis ad an. 1080. *Fuit concilium Burdigalæ, in quo Berengarius reddidit fidei suæ rationem &c.*

Martene tom. 4. anecdot. pag. 102.

Gregorius Massilienses monachos consolatur. *Lib. 5. epist. 7. & lib. 6. epist. 15.*

13. His de synodo Romana, vel synodi occasione prænotatis, nunc cetera ab Gregorio hoc anno gesta prosequimur, qui Massilienses monachos de sui Abbatis absentia mœstos, quem Henricus captivum detinebat, utpote Gregorii legatum, litteris suis consolari curavit. *Contristavi vos*, ait, *immo B. Petrus commovit, turbavit, & ipse sanabit. Filius namque illius, Abbas vester, venit ad nos, pro ejus amore factus est obediens, usque ad corporis captionem, & quia paratus fuit, si oporteret, mori, & ex hoc habebit retributionem &c.* Et iterum; *Sed quia charitas, licet ratio vos consoletur, ad dolorem vos impellit, eo quod tantum patrem, tamque vobis dulcem quasi longo tempore amiseritis, rogamus vos ex parte omnipotentis Dei, & amore B. Petri patienter supportate nos quia cito Deo adjuvante eum vobis lætum remittemus.* Iisque Apostolicam impertiens benedictionem, peccatorum omnium veniam a Deo iis precatur. Porro eumdem Abbatem Bernardum vinculis absolutum ex Germania in Hispaniam Legatum ab eodem Gregorio Papa missum fuisse sequens docet epistola scripta ad Episcopum Gerundensem, & ad Centullum Comitem. Contigit autem hoc eodem anno eundem Bernardum ex hac vita decedere: in cujus locum idem Gregorius subroga-

rogavit fratrem ipſius Richardum Cardinalem in Abbatem Maſſilienſem, quem etiam & Legatum in Hiſpànias miſit, ut ejuſdem Gregorii Papæ litteræ hoc anno, menſe Novembri datæ, ſignificant.

JESU CHR. AN. 1079. *Lib. 6. epiſt. 20. lib. 7. 8.*

14. Cur tantam ſollicitudinem de legatis in Hiſpanias mittendis Gregorius gereret, diſſidia inter filios Raimundi Berengarii Barcinonenſis Comitis demortui, in cauſa fuerunt, cum enim minorem filium majori prætuliſſet pater, natu major eouſque adverſus fratrem exaſperatus eſt, ut eum tandem interfecerit, ut narrat auctor anonymus de geſtis Comitum Barcinonenſium a Balutio in Marca Hiſpanica editus, ubi inter cetera, ait poſt Raimundum Berengarii, Comitem Barcinoneſem, Comitatus habenas habuiſſe Raimundum Berongarii ejus filium armis ſtrenuiſſimum, additque. *Huic pater dederat uxorem filiam ſcilicet Guiſcardi Roberti Ducis Apuliæ, & Meſſanæ, ex qua genuit filium ſuo pariter nomine Raimundum Berengarium nuncupatum, Berengarius itaque Raimundi frater ejus major, videns ſe deſpectum a patre in hoc, quod ipſum non hæreditavit, pro eo quia major, tam nobili ſuo frater invidens, ipſum plurimum odio habuit, intantum ut quodam die, illum, inſtigante diabolo &c. adhuc valde juvenem, heu proh dolor, interfecit, tenuitque Comitatum ſupradictus Raimundi Berengarius ſeptem annis: actum hoc fuit Chriſti anno* 1082. *&c.* Dum itaque hæc fraterna ibidem ferverent odia, non ſine religionis chriſtianæ periculo, ne Saraceni ob chriſtianorum diſſidia vires ſumerent, legationem eo mittere curavit, ac interea litteris ſuis Berengarium Gerundenſem Epiſcopum, ut pacem inter eos componeret, excitavit. *Comperimus enim*, ait Pontifex poſt aliqua, *quod inter filios Raimundi Berengarii per vanitatem & ſuperbiam, & maxime per conſilium impiorum, nimirum ex invidia diaboli diſcordia oritur. Et ego inde nimis contriſtor, tum pro amore patris eorum, qui me ſatis, ex quo cognovit, dilexit: tum etiam, quia ſuper Chriſtianam gentem quæ in partibus illis magno impiorum Saracenorum odio laborare dignoſcitur, grave ſentio periculum imminere. Unde præcipimus tibi, ut adjunctis tecum religioſis vicinis tuis, Abbatibus ſcilicet. Tumerienſe, Ripollenſe & S. Cucufati, & quoſcunque alios Deum timentes clericos, laicoſque poteris invenire, pacem inter illos reformare & componere ſtudeas. Quod ſi acquie-*

Gregorius Raimundi filios reconciliare curat.

Lib. 6. epiſt. 16.

JESU CHR. AN. 1079.

acquieſcere monitis veſtris fortaſſe noluerint, oſtenſis eis præſentibus litteris, ad tenendam eos treguam firmiſſimam uſque ad determinatum tempus, ex auctoritate noſtra conſtringite, infra quod tales illuc ex latere noſtro nuntios dirigamus, qui cauſam litis eorum ita juſte definiant, ut non ſe ad gratiam alicujus, nec præmio, nec favore deflectant &c. Jubet porro ut ſi alter fraternum odium deponere recuſaverit, ei indignationem B. Petri comminetur, indignumque communione eccleſiæ declaret, omnem econtrario tum B. Petri, cum Rom. eccleſiæ favorem, protectionemque ei exhibet, qui pacem amplecti paratus fuerit, ut ibidem videre eſt, vel apud Baronium, ac data dicitur quarto nonas Januarii, hoc eodem labente anno.

Hugo Burgundiæ Dux fit monachus. *Lib. 6. epiſt. 17.*

15. Eadem die, quarto ſcilicet nonas Januarii hujus anni ad Hugonem Cluniacenſem Abbatem litteras Gregorius dedit, quibus amicabiliter cum eo conqueritur, quod Ducem virtutibus præclarum inter monachos ſuſcepiſſet, qui cum ſubditis ſuis & tutamen, & gloria eſſet ad plurimorum ſalutem præſtabat in ſeculo permanere. *Tuliſti*, inquit, *vel recepiſti Ducem in Cluniacenſem quietem, & feciſti, ut centum millia chriſtianorum careant cuſtode. Quod ſi noſtræ exhortatio apud te parum valuit, & Apoſtolicæ ſedis præceptum in te obedientiam non invenit, cur gemitus pauperum, lacrymæ viduarum, devaſtatio eccleſiarum, clamor orphanorum, dolor & murmur ſacerdotum, & monachorum, te non terruerunt, ut illud quod Apoſtolus dicit non poſponeres, videlicet.* Caritas non quæ ſua ſunt quærit, *& illud in corde, ut ſoles haberes:* Qui diligit proximum legem implevit. *Quid tibi dicent B. Benedictus, & Gregorius, quorum alter præcepit ut per annum probetur novitius, alter vero prohibet ut ante triennium miles non efficiatur monachus. Hæc ideo dicimus, quia quod vix aliquis princeps bonus invenitur, dolemus; Monachi vero, Deo miſerante, ſacerdotes & milites, & non pauci pauperes, diverſa loca qui Deum timent reperiuntur Principes autem Deum timentes, & amantes in toto occidente vix inveniuntur &c.* Et ut in his cautius impoſterum ſe gereret, admonet. Hic autem Dux, cujus nomen & Ducatum, ſe ignoraſſe ait Baronius, Hugo Burgundiæ Dux fuit, qui teſte Orderico, & auctore coævo anonymo vitæ S. Hugonis Cluniacenſis Abbatis, triennio poſtquam Roberto ſucceſſerat

Gregorii querelæ cum Hugone Clun. Abbate.

anno

anno 1075. *Odoni fratri suo sponte Ducatum* anno 1078. *dimisit, & ipse pro cælesti amore seculum reliquit, monachusque Cluniaci factus, quindecim annos Deo glorioſe militavit*, ait Oldericus lib. 13. uſque ad annum 1092. vel 93. *Odo autem frater ejus Ducatum diu poſſedit*; ait is auctor, qui fratris pietatem æmulatus, circa annum 1098. cum in ejus Principatu Ciſtercienſis ordinis exortus eſſet, idem Princeps *Et monaſterium ligneum, quod ipſi*, Ciſtercienſes, *in ſua paupertate incæperunt, de ſuis impendiis totum conſummavit, eoſque ibidem in omnibus neceſſariis diu procuravit, terriſque, & pecoribus abunde ſublevavit* : ut in vita Roberti Ciſtercenſis ordinis fundatoris legitur. De Hugone autem Cluniacenſe monocho, auctor anonymus vitæ Hugonis Cluniacenſis Abbatis hæc adnotat. *Vidimus & Hugonem Ducem prius Burgundiæ, & poſt militiæ ſpiritualis ſigniferum ſolebat calceos ungere fratrum, ſeque ita deſpicere & humiliare, ut omnes viles perſonæ ſuperent, cum viderent ſub ſe Principem talem ſe ſternere &c.*

Jesu Chr. an. 1079. *Mabill Annal. lib. 65. num. 31.*

Bolland. 19. Aprilis.

16. Paucos in occidente Principes bonos tunc fuiſſe Gregorius in ſupracitata ad Hugonem Cluniacenſem epiſtola lamentabatur, ex his autem unus erat Ladislaus Hungarorum Rex, cujus egregia facta cum relatione didiciſſet, datis ad eum litteris inpenſe commendavit, & in ſuſcepto propoſito confirmavit, Comites deinde exules, ut in Regnum revocare excitat, monita etiam ad Regni adminiſtrationem aptiſſima eidem ſuggerit, & de recipiendis mittendiſque invicem legatis agit, litteræ autem 12. *Kal. Aprillis Indict.* 2. datæ ſunt.

Gregorii epiſt. ad Ladislaum Hungarorum Regem. *Lib. 6. 29.*

17. In immenſum porro Annalium móles excreſceret, ſi omnes Gregorii epiſtolæ, pro variis eccleſiarum negotiis datæ exſcribendæ eſſent, ex his octavo Kal. Aprilis, hoc anno ad Lantfrancum cariſſimum ſibi litteras dedit, quibus eum ut Romam aliquando pergeret, excitat & quod tamdiu diſtulerit, exprobrat, tum vero, ut Regem, ne itineri ſuo impedimentum afferat, vel cuilibet Anglorum admoneat, hortatur, hinc in epiſtola ad Hubertum Subdiaconum, quem legatum in Angliam miſerat, quod reditum ſuum ad urbem diſtulerit, graviter arguit, & ut cito rediret, juſſit, de Gulielmo Rege deinde conqueritur, eo quod ſui Regni Epiſcopos ad Apoſtolorum limina tranſire prohibuerit, & ut ex ſingulis ejus provinciis duos ſaltem Epiſcopos quantocius ad

Aliæ plurimæ Gregorii epiſt. ad diverſos datæ. *Lib. 6. 30. 7. 1.*

JESU CHR. AN. 1079.

synodum Romæ celebrandum, adesse curet, eidem Subdiacono jubet.

Gregorii querelæ adversus Gulielmum Angliæ Regem.

18. *Multa sunt*, inquit, *unde sancta Rom. ecclesia adversus eum*, Gulielmum scilicet, *queri potest, nemo enim omnium Regum etiam Paganorum contra Apostolicam Sedem hoc præsumpsit tentare, quod is non erubuit facere, scilicet ut Episcopos & Archiepiscopos ab Apostolorum Liminibus ullas tam irreverentis & impudentis animi prohiberet. Unde volumus, ut eum nostra vice prudentia tua studeat admonere, quatenus honorem, quem sibi a subditis suis graviter ferret non exhiberi, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ non tantopere laboret imminuere, & debitas gratias agendo, gratiam B. Petri procuret acquirere: Nos enim amicitiæ nostræ pristinæ circa eum memores, & Apostolicam mansuetudinem, quantum, Deo auctore, possumus, imitantes, hucusque illius culpæ pepercimus. Qui si hic, & similibus, quæ tibi nota sunt, modum non imposuerit, omnino sciat se iram B. Petri in se graviter provocaturum.* Et inferius: *Præterea monemus te, ut ex parte B. Petri præcipias, & invites tam Anglicos, quam Northmanicos ex uno quoque Archiepiscopatu, vel duos Episcopos ad Romanam Synodum, quam in Quadragesima, Deo auctore, sumus celebraturi, venire. Qui si forte murmuraverint, & ad eum terminum se dixerint interesse non posse, vel post Pascha studeant Apostolicæ Sedi se præsentare.* Acquievisse Regem Pontifici, immo & una cum redeunte Huberto suos Legatos Romam misisse ad satisfaciendum ipsi, litteræ ejusdem Gregorii ad ipsum redditæ anno sequenti satis docent. Quin præ cæteris Principibus idem Gulielmus tempore illo turbulentissimo, cum Henricus ab ecclesia Romana schismate se divisit, Angliæ Rex in obedientia Apostolicæ Sedis perseveravit, ut ejusdem Gregorii Papæ litteræ ad ipsum datæ testantur.

Lanfranchi, litteræ ad Gregorium. *Epist.* 8.

19. Redeunte autem Huberto Gregorii legato, Lanfrancus Archiepiscopus, Gregorii litteris interpellatus, ut Romam se conferret, litteras reddens, humilibus se verbis excusavit, seque idem obsequium, eamdemque obedientiam, quam ante Episcopatum Romanæ sedi, eidemque professus fuerat, adhuc retinere testatus est; ab itinere tamen suscipiendo excusationem petiit. *Ego tamen*, inter cetera ait, *conscientia mea teste, in memetipso intelligere non possum, quid vel corporalis absen-*

JESU CHR. AN. 1079.

absentia, vel locorum tanta intercapedo, aut ipsa qualiscumque honorum sublimitas in hac parte, vindicare sibi quidquam prævaleat, quin mens mea præceptis vestris in omnibus, & per omnia secundum canonum præcepta subjaceat &c. Deinde post aliqua, *verba legationis vestræ cum præfato legato vestro, prout melius potui, Domino meo Regi suggessi, suasi, sed non persuasi, cur autem voluntati vestræ omnifariam non assenserit, ipsemet vobis tam verbis, quam litteris innotescet.*

GulielmiRegis litteræ ad Gregorium. *Apud Lanf. epist. 7.*

20. Et sane redeunte eodem Huberto, officio suo non defuit Rex Gulielmus, per eum enim litteras ad Gregorium dedit, quibus se Romanæ ecclesiæ fidelitatem tamquam eidem subditum præstare recusavit, sed collectam in Regno pecuniam, quæ denarius Petri dicebatur, eo quod in festo SS. Apostolorum Petri, & Pauli ut primum afferebatur, misit. Sic enim se habet Gulielmi epistola. *Excellentissimo sanctæ ecclesiæ pastori Gregorio, gratia Dei Anglorum Rex, & Dux Nortmannorum Gulielmus, salutem cum amicitia Hubertus tuus, religiose pater, ad me veniens ex tua parte me admonuit, quatenus tibi, & successoribus tuis fidelitatem facerem, & de pecunia, quam antecessores mei ad Romanam Ecclesiam mittere solebant, melius cogitarem. Unum admisi, alterum non admisi. Fidelitatem facere nolui, nec volo: quia nec ego promisi, nec antecessores meos antecessoribus tuis id feciisse comperio. Pecunia tribus fere annis, in Galliis me agente, negligenter collecta est. Nunc vero divina misericordia me in regnum meum reversо, quod collectum est, per præfatum mittitur, & quod reliquum est, per Legatos Lanfranci Archiepiscopi fidelis nostri, cum opportunum fuerit, transmittetur. Orate pro nobis, & pro statu regni nostri, quia antecessores vestros dileximus, & vos præ omnibus sincere diligere, & obedienter audire desideramus.* Ita Vvillelmus Rex ad Gregorium Papam, exigentem ab eo (ut audisti) juramentum fidelitatis. At quod id Rex facere renuisset, ægro animo idem Pontifex tulit, ut patet ex litteris ad eumdem Hubertum subdiaconum Legatum datis, in quibus ista de his habentur. *Pecunias sine honore tributas quanti pretii habeam: tu ipse potuisti dudum perpendere.*

Gregori epist. ad Gebuinum Lugdun. Ar.

21. Die duodecima Maii hujus anni ad Gebuinum Lugdunensem Episcopum scribens Gregorius super quatuor provincias Galliæ, Lugdunensem scilicet, Rothomagensem, Turonen-

JESU CHR. AN. 1079. *Lib. 6. 34. 35.*

ronenſem, & Senonenſem primatum conceſſit, ſeu potius, ut ait confirmavit, ac ad earum provinciarum Epiſcopos, ut Lugdunenſi ſubjicerentur, datis litteris admonuit, Rodulphus quidem Turonenſis Epiſcopus huic decreto acquievit, & de ea re Guduino tam ipſe, quam ejuſdem ſuffraganei gratulati ſunt, ut ex litteris Gebuini conſtat a Baluzio in Appendice libri de Primatibus a Marca editi productis. Verum Richerius Senonenſis Archiepiſcopus Eccleſiæ ſuæ jura imminui arbitratus huic decreto ſubſcribere recuſavit. Urbanus tamen ſecundus in Synodo Claramontana anno 1095. celebrata, Gregorii VII. decretum confirmavit, & Senonenſem, ac Rothomagenſem Archiepiſcopos, niſi Hugonem Gebuini ſucceſſorem tanquam Primatem ſuum revererentur, Pallii privatione mulctavit, eorumque in ſuffraganeos auctoritatem ſuſpendit. Urbani decreto Richeri quidem ſuffraganei paruere at neque exemplum Provincialium Epiſcoporum, neque interdictio adverſus eum pronunciata Richerium vincere potuere, nec ab eo obtinere, ut Lugdunenſis Eccleſiæ Primatum, poſthabita Eccleſiæ ſuæ auctoritate, revereretur. Imo in ſententia ſua usque ad mortem, quæ anno 1096. contigit, perſtitit, ſicque quæſtio ſemel agitata, diu prorogata, de qua infra iterum mentio fiet, & pluribus agunt de Marca, atque Natalis Alexander ſecul. 11. & 12. part. 1. cap. 7. art. 3.

Gregorii epiſt. ad Germaniæ populos quibus rationem geſtorum reddit. *Lib. 3. 3.*

22. Dum componendis in Germania diſſidiis totus eſſet Gregorius, legatoſque ad id opus miſiſſet, contigit, ut Germanorum plurimi, ac præcipue Saxones legatorum Gregorii, vel potius ejuſdem Pontificis agendi modum ſuſpectum haberent, quaſi plus Henrico Regi faveret. Ut his ſatisfaceret Gregorius ad Germaniæ populos litteras dedit, eorumque ſuſpiciones diluere totis viribus conatus eſt. Quarum hæc eſt inſcriptio. *Gregorius &c. Omnibus fidelibus Sancti Petri in Theutonico Regno commorantibus &c. Pervenit ad nos, quod quidam ex vobis de me dubitant, tanquam in inſtanti modo neceſſitate uſus ſim ſeculari levitate. Qua certe in cauſa nullus veſtrum, præter inſtantium præliorum, majores me & patitur anguſtias, & ſuffert injurias. Quotquot enim Latini ſunt, omnes cauſam Henrici, præter admodum paucos, laudant, ac defendunt, & pernimiæ duritiæ, ac impietatis circa eum me redarguunt. Quibus, Dei gratia, omnibus reſtitimus hactenus, ut in neutram adhuc par-*

partem, nisi secundum nostrum intellectum, declinaremus. Nam si Legati nostri aliquid, contra quod illis imposuimus, egerunt dolemus, quod ipsi tamen sicut comperimus, tum violenter coacti cum dolo decepti fecerunt. Nos vero iniunximus eis, ut locum ac terminum communiter statuerent opportunum, ad quem sapientes nostros & idoneos Legatos propter discutiendam causam vestram dirigeremus, atque ut in Sedes suas Episcopos restituerent, & abstinere ab excommunicatis docerent. Sed quod contra hæc decepti, vel coacti fecerunt, non laudo &c. Ac ut securi in fidelitate B. Petri perseverarent, hortatur, datæ sunt Kal. Octobris, cum jam indictio tertia in cursu esset. JESU CHR. AN. 1079.

23. Huic alteram addidit legatis suis inscriptam Gregorius. *Petro*, scilicet, *Albanensi, & Olderico Patavienſi*, quæ etsi inter Gregorii epistolas inserta non sit, in chronico tamen Virdunensi legitur, eaque narrat, quod adversus ipsorum agendi rationem querelæ ad se delatæ fuerant, *& alterum*, inquit, *vestrum nimis simpliciter*, (ideſt Petrum igneum) *Alterum vero non adeo simpliciter acturum esse causantur.* Ac ut cautius imposterum agerent, seque ab omni tunc causarum judicio obtinerent, jubet, monetque, sollicite curent, ut in colloquio coram iis celebrando, tum quæstio de Regno Germanico, cum Episcoporum causæ finirentur. *Volumus itaque*, ait Pontifex, *ut de causa Regum, vel Regni, sive etiam de Trevirensi, vel Colonienſi, & Augustensi electis, vel de omnibus istis, qui investituram per manum laicam acceperunt, nullum præsumatis exercere judicium, summumque vobis studium sit, si Rex adquieverit vobis de statuendo colloquio, & pace firmanda in Regno, & restituendis Episcopis in sedibus suis*; & ut cito de gestis ibidem certiorem se redderent, addit; & ut libertatem Adalberti Vormatiæ Episcopi, quem Henricus in prælio cum exercitu Rodulphi habito captivum duxerat, sollicitarent, his verbis excitat. *Inter omnia studiosissime Vormatiensis Episcopi mementote, qui cum esset diu ab ecclesia sua expulsus, & ob id Romam veniret, ut auxilium Apostolicæ sedis adquireret, non solum nihil sibi profuit, sed multo pejor incurrit*, cui cum libertatem concessisset Henricus, ea tamen uti noluit, ne Regi Henrico se sistere, ac gratias agere cogeretur. *Dicens quæque etiam extrema prius experiri velle, quam videre, vel alloqui Re-*

Gregorii epist. ad legatos suos. *Hugo Fla. chron. Verd. pag. 222.*

JESU CHR. AN. 1079.

Regem sua sponte. Sicque captivus, permansit usque ad annum octavum post obitum Gregorii ; ideſt usque ad annum 1093. ut narrat Venericus Vercellensis apud Marguardum Freherum rerum German. script pag. 155.

Gregorii epistolæ ad Vezelinum Decem in Dalmatia. *Lib.* 7. 5.

24. Idibus Octob. Vegelino Dalmatarum Principi scribens Gregorius, quod Regi recens a se constituto adversaretur, arguit. *Scias nos*, inquit, *de prudentia tua multum mirari, ut qui te esse B. Petro, & nobis fidelem promiseris, contra eum, quem in Dalmatia Regem auctoritas Apostolica constituit, tu modo coneris insurgere &c.* Quare ne ultra ei adversari, aut contra eum arma movere præsumeret, hortatur ; si quid vero diffidii, cum eo intercesserit, ut Apostolicæ sedis judicio remittat, jubet, alioquin B. Petri gladio se eum percussurum minatur. Eadem die idibus scilicet Octobris hujus anni ad Canutum Danorum Regem, qui librariorum errore Aconus dictus est, litteras Gregorius dedit, quibus ejusdem pietatem laudat; eo quod, ut ait Pontifex. *Vigilanter studes inquirere, & quod sanctam Romanam Ecclesiam matrem tuam, & universorum recognoscens, ipsius documenta tibi exoptas, & expoſcis*, ut in his perseveret, hortatur, ac tandem *Cuperemus*, inquit, *de vestris aliquem prudentem clericum ad nos venire, qui & vestræ gentis mores, seu continentias sciret nobis pleniter intimare, & Apostolicæ sedis documenta plenius eruditus ad vos posset perferre*.

Gregorii epist. ad Alphonsum Castellæ Regem. *Lib.* 7. *epist.* 6.

25. Hoc eodem anno 18. Kal. Novemb. datis ad Alphonsum Castellæ Regem litteris, Richardum S. R. E. Cardinalem, & Abbatem Massilienſem, secundo ad eum legatum se mittere admonet, cui etiam dono misit auream claviculam catenæ S. Petri ramentis refertam, iisque Alphonsum ob fidem devotionemque suam erga Apostolicam sedem laudat, & ut in inceptis perseveret, hortatur, Richardum legatum suum eidem commendat, ac ut in iis, quæ fidei, religionisque profectum spectant, favorem, gratiamque suam ei impenderet, ne eorum cursus, & labor inanis fieret, jubet, & epistola sequenti eidem Richardo inscripta, se Massilienſium monachorum electionem de eo in Abbatem Massilienſem confirmasse ait, eique monasterii curam committit, ac ut idem monasterium, cum monasterio S. Pauli extra urbem mutua charitate, & unione conjungeretur, se exoptare addit. *Postquam autem Deo auctore, monasteria tua bene compoſue-*

Epist. 7. 8.

poſueris; *legationem tibi commiſſam ad Hiſpaniam perficere non moreris*, ait Pontifex, qui epiſtola ſequenti ad Maſſilienſes monachos data, de eorum Abbatis obitu ſe dolere ait, ac Richardi electionem ſe confirmaſſe teſtatur. Jesu Chr. an. 1079.

26. Alteram quoque in Britanniam ,minorem legationem definente hoc anno, octavo ſcilicet Kal. Decembris, Gregorius miſit, quam Amatus Olorenſis Epiſcopus obiit, ut ibi congregatis in ſynodo Epiſcopis eccleſiaſticam diſciplinam erigeret, falſaſque pœnitentias prohiberet. Litteris vero ea occaſione ſcriptis hanc præmiſit inſcriptionem *Gregorius &c. Epiſcopis, Sacerdotibus, Principibus, aliiſque omnibus in Brittannia commorantibus ſalutem, & Apoſt. benedictionem, ſi obedierint &c.* Ac falſam omnino pœnitentiam illorum eſſe ait, qui a peccatis ſe impotterum non abſtinent. Gregorius legatum in Britanniam mittit, *Lib.* 7. 10.

27. Ad coronidem autem præſentis anni, cum Baronio addimus coronam, & purpuram S. Martyris Stanislai Cracovienſis Epiſcopi, qui in ſpiritu & virtute Eliæ redarguentis Achab, & Joannis Baptiſtæ corripientis Herodem, dum arguit Boleslaum enormiter delinquentem, & non auditur, & iterum corripit, & contemnitur, atque rurſus increpat, & deſpicitur, ſententia excommunicationis eum afficit. Quam ob cauſam ab ipſo Rege, dum in altari eſſet Deo Miſſæ ſacrificium offerens, crudeliſſime cæſus, octava menſis Maii martyrii palmam conſecutus eſt, plurimiſque miraculis tam vivens, quam mortuus illuſtratus. Cujus res præclare geſtas, & martyrium ex antiquioribus monimentis Joannes Longinus in Polonica hiſtoria ſcripſit: qui etiam ſeorſum ejuſdem glorioſiſſimi Martyris vitam copioſiſſime elaboratam, Eccleſiæ legendam tradidit: ipſum vero ritu ſolemni Innocentius Quartus Romanus Pontifex publice colendum duxit, ut ex ejuſdem canonizationis bulla Aſſiſii 15. Kalendas Octobris Pontificatus ſui anno undecimo data conſtat, et apud Juſtum Fontaninum in Codice canonizationum pagina 89. videre eſt. Sancti Stanislai Epiſcopi, & martyris vitam a Longino ſeculi decimiquinti ſcriptore editam, ac ejuſdem vitæ ſynopſim exhibet Papebrochius ad diem ſeptimam menſis Maii; in qua tamen nonnulla dubiæ fidei inſeruit, Gregorium vero, tanti ſceleris vindicem fuiſſe, dubitari vix poteſt; etſi epiſtolæ in eam rem tunc datæ non extent, quippe earum plurimas adhuc de- S. Stanislai Cracovie. Epiſc. martyrium.

JESU CHR. AN. 1080.

fiderari ſcimus; etſi nonnullæ ad Labbeanam collectionem litterarum ejuſdem Gregorii appendices editæ ſint, in noviſſima etiam conciliorum editione Veneta, & ab auctore appendicis ad maximam Muratorii collectionem ſcriptorum Rerum Italicarum Florentiæ anno 1748. quam plurimæ Gregorii epiſtolæ inſertæ ſunt, non omnes tamen incognitæ, vel ineditæ.

JESU CHRISTI AN. 1080. GREGORII VII. PAPÆ 8. NICEPHORI BOTONIATÆ IMP. 3.

Henricus bellum inſtaurat, a Saxonibus fugatur.

1. Annus adeſt octogeſimus ſupra milleſimum, cujus initio, dum in componendis in Germania rebus, ſollicitus eſſet Gregorius Papa, ac legatos ſuos illuc miſſos, ad id exequendum excitaſſet, repente reconciliationis ſpes omnis evanuit, atroxque bellum in Germania, & Italia, & dirum infauſtumque ſchiſma excitatum eſt, ut vero res eo, quo geſtæ ſunt ordine narrentur, adnotandum eſt cum auctore belli Saxonici, annum proximum 1079. ita tranſactum fuiſſe, *Ut fere nihil memorabile fieret in noſtris partibus, niſi quod Apoſtolici legati frequenter ad utraſque partes venerunt, & nunc nobis, nunc hoſtibus noſtris Apoſtolicum favorem promittentes*, de quibus Saxones ſæpe conqueſtos fuiſſe ſupra adnotavimus. *Anno autem ſequenti proſequitur auctor*, 1080. *menſe Januario Henricus*, congregato exercitu, Saxoniam invaſit, imparatos rigente hyeme, Saxones aggredi, ac vincere poſſe ſibi blandiens, at ab iis non ſolum fortiter exceptus fuit, ſed victus etiam in præcipitem ſe fugam cum exercitu ſuo dedit, ut pluribus is auctor narrat, ac addit: *Factum eſt autem hoc tertium prælium Anno Domini* 1080. *ſexto Kalend. Febr. feria ſecunda*.

Saxon. querelæ in Rom. ſynodo expoſitæ.

2. De victoria adverſus Henricum habita Rodulphus per legatos ſuos in urbem miſſos Gregorium certiorem reddidit, ac querelas plurimas adverſus Henricum Pontifici detulit, eo quod bello inſtaurato, colloquium, ac judicium Apoſtolicæ ſedis, & Epiſcoporum Germaniæ refugiſſet. Quare Gregorius juſta indignatione commotus, in ſynodo Romana, quam Quadrageſima ineunte celebravit, ſeu nonis Martii indict. tertia Henricum Regem iterum excommunicavit, Regnoque depoſuit, ac Germaniæ coronam Rodulpho ab Ger-

ma-

maniæ Principibus oblatam confirmavit. *Anno ab Incarn. Domini* 1080. *Pontificatus vero Domini Gregorii Papæ ſeptimi indict.* 3. *celebravit ipſe Papa, ſynodum Romæ*, ait Paulus Bernriedenſis, *ubi interfuerunt Archiepiſcopi, & Epiſcopi diverſarum urbium, nec non, & Abbatum, & diverſorum ordinum, Clericorum, ac Laicorum innumerabilis multitudo. Supervenerunt autem, & Legati Rodulphi Regis, & Principum Regni Teutonici, & hujuſmodi querimoniam protulerunt ſuper tyrannidem Henrici: Nos ex legatione Domini noſtri Regis Rodulphi, & Principum ejus conquerimur Deo, & S. Petro, veſtræque paternitati, & cuncto huic ſanctiſſimo Concilio; quod ille Henricus, quem vos Apoſtolica auctoritate depoſuiſtis a Regno, id ipſum regnum contra veſtrum interdictum tyrannice invaſit, omnia circumquaque ferro, præda, incendio devaſtavit: Archiepiſc., Epiſc. de Epiſcopatibus ſuis impia crudelitate expulit, & eorum Epiſcopatus ſuis fautoribus in beneficia diſtribuit. Per cujus etiam tyrannidem piæ memoriæ Verinharius Magdeburgenſis Archiepiſcopus occiſus eſt.* (anno ſcilicet 1078.) *Adalbertus Vormacienſis Epiſcopus adhuc ab eo contra ſedis Apoſtolicæ præceptum in captione cruciatur: multa hominum millia ejus factione ſunt occiſa, quamplures Eccleſiæ ablatis Reliquiis incenſæ, ac penitus deſtructæ. Innumerabilia quidem facinora ſunt, quæ Henricus in Principes noſtros perpetravit, eo quod ſibi contra ſedis Apoſtolicæ decretum ut Regi obedire noluerunt, & Colloquium quod vos pro inquirenda juſtitia & pace componenda fieri decreviſtis, ex culpa Henrici & fautorum ejus remanſit inutile, quapropter veſtram humiliter imploramus clementiam, ut nobis, imo Sanctæ Dei Eccleſiæ ſacrilego pervaſori eccleſiarum juſtitiam faciatis &c.*

JESU CHR. AN. 1080.

3. His auditis Gregorius, qui hactenus de componendis Germaniæ rebus ſollicitus fuerat, ne diutius a Saxonibus argueretur, quaſi res eorum nil curaret, invitus fere, & mœrens adverſus Henricum excommunicationis, & depoſitionis ſententiam protulit, quam Paulus Bernriedenſis, & acta concilii exhibent, cujus hoc eſt exordium. *Beate Petre Princeps Apoſtolorum, & tu beate Paule Doctor Gentium dignamini quæſo aures veſtras ad me inclinare, meque clementer exaudire: Quia veritatis eſtis Diſcipuli, & amatores, adjuvate ut veritatem vobis dicam, omni remota falſitate,*

Gregorii ſententia in Henricum lata. *Murat. tom. 3. rer. Ital. pag.* 340. *Labb. tom.* 10. *p.* 383.

JESU CHR. AN. 1080.

quam omnino deteſtamini, ut fratres mei melius mihi acquieſcant, ſciant, & intelligant, quia ex veſtra fiducia poſt Dominum, & matrem ejus ſemper Virginem Mariam, pravis & iniquis reſiſto, veſtris autem fidelibus auxilium præſto. Vos enim ſcitis, quia non libenter ad ſacrum ordinem acceſſi, & invitus ultra montes cum domino Papa Gregorio abii, ſed magis invitus cum domino Papa Leone ad veſtram ſpecialem Eccleſiam redii, in qua utcunque vobis deſervivi. Deinde valde invitus, cum multo dolore, & gemitu, ac planctu in throno veſtro valde indignus ſum collocatus &c. His quænam ab rebellibus eccleſiæ filiis hactenus pertuliſſet adnotat; inter eos Henricum præ ceteris fuiſſe addit, quam quanta cum charitate pœnitentem alias excepiſſet, quantave ſe pro pace inter Germanos reſtituenda poſt Rodulphi electionem egiſſet narrat, quorum cauſam, colloquio celebrando finiendam delegaverat, cui uterque ſe adfuturos, judicioque ſubmiſuros, ſpoponderant. At Henricus his ſpretis, & colloquium declinavit. *Magnamque multitudinem Chriſtianorum morti tradi, & eccleſias fecit diſſipare, & totum pene Theutonicorum Regnum deſolationi dedit. Quapropter confidens de judicio & miſericordia Dei, ejuſque piiſſimæ matris ſemper Virginis Mariæ, fultus veſtra auctoritate, ſæpe nominatum Henricum, quem Regem dicunt, omneſque fautores ejus excommunicationi ſubjicio, & anathematis vinculis alligo, & iterum regnum Teutonicorum, & Italiæ ex parte omnipotentis Dei & veſtra interdicens ei, omnem poteſtatem, & dignitatem illi regiam tollo, & ut nullus Chriſtianorum ei ſicut Regi obediat, interdico: omneſque qui ei juraverunt, vel jurabunt de regni dominatione, a juramenti promiſſione abſolvo. Ipſe autem Henricus cum ſuis fautoribus in omni congreſſione belli nullas vires, nullamque in vita ſua victoriam obtineat. Ut autem Rudolphus regnum Teutonicorum regat, & defendat, quem Teutonici elegerunt ſibi in Regem; ad veſtram fidelitatem ex parte veſtra, dono, largior, & concedo omnibus ſibi fideliter adhærentibus abſolutionem omnium peccatorum, veſtramque benedictionem in hac vita, & in futura, veſtra fretus fiducia largior. Sicut enim Henricus pro ſua ſuperbia, inobedientia & falſitate a regni dignitate juſte abjicitur; ita Rudolpho pro ſua humilitate, obedientia & veritate poteſtas, & dignitas regni conceditur.* Vota deinde ſua ad Apoſtolorum Prin-

Principes dirigit, ut hæc a se statuta rata habeant, protectioneque sua confirment. Acta hæc dicuntur Romæ nonis Martii indictione tertia, atque his gestis coronam auream cum hac inscriptione Rodulpho misisse Gregorium auctores nonnulli tradunt. *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho.* At hæc sane non solum incerta, sed absurda, & falsa omnino esse tota rei gestæ series demonstrat, vel ipse Baronius ad hunc annum num. 16. adnotat. *Errant tamen, qui coronam ipsi*, ideſt Rodulpho, *missam a Pontifice tradunt, cum ab Episcopis, atque Principibus Germaniæ Rex fuerat nominatus. Nam ipso teste Gregorio, numquam usque in hanc diem ab Apostolica sede*, Rodulphus, *fuerat in Regem confirmatus, expectante convocari concilium, in quo de utriusque Regis juribus ageretur.* Hactenus Baronius, quibus luce clarius est, Gregorium nusquam Henricum Regno privasse, sed ejusdem dejectionem ab Episcopis, & Principibus Germaniæ factam & in Rodulphum jura Regni ab iisdem translata, confirmasse, cum jam nulla, aut ad meliora consilia Henrici revocandi, aut dissidii exorti componendi, spes remaneret. JESU CHR. AN. 1080.

4. Nunc reliqua in eadem Romana synodo gesta prosequimur, ubi investiturarum abusus iterum damnatus est, ingressuque ecclesiæ prohibiti sunt Episcopi vel Abbates, qui a qualibet laicali potestate ecclesias accepissent, vel seculares cujuslibet ordinis, & dignitatis, dedissent: capite 3. anathematis sententia in Thedaldum Mediolanensem dictum Archiepiscopum Guibertum Ravennatem, & Rolandum Tarvisiensem, & Petrum Rothomagensem olim Episcopum, nunc autem Narbonensis ecclesiæ invasorem prolata, & confirmata est: cap. 4. habet *Si quis Northmannorum terras sancti Petri, videlicet illam partem Firmanæ Marchiæ, quæ nondum pervasa est, & Ducatum Spoletanum, & Campaniam, necnon Maritimas, atque Sabinum, & Comitatum Tiburtinum, necnon monasteriorum sancti Benedicti montis Casini, & terras sibi pertinentes; insuper etiam Beneventum invadere, vel depraedari praesumpserit; gratiam Sancti Petri, & introitum Ecclesiæ eousque ad satisfactionem interdicimus.* Capite quinto quænam vera, vel falsa pœnitentia sit synodus explicat, eademque jubet, quæ anno proximo Gregorius ad Episcopos Britanniæ minoris scribens declaraverat, ac fideles admonuerat. Reliquas in synodo Roman. gesta.

Excommunicationis sententia in plurimos lata.

5. *Ut*

JESU CHR. AN. 1080. De vera, & falsa pœnitentia.

5. *Ut in accipiendis pœnitentiis*, ajebat, *non ad illos curratis, in quibus nec religiosa vita, nec est consulendi scientia, qui animas hominum magis ad interitum, quam ad salutem ducunt tesse veritate, quæ ait. Si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadunt, sed ad eos, qui pietate, & scripturarum doctrina instructi viam veritatis, & salutis vobis ostendere valeant.* Capite sexto ut juxta canones a Clero, & populo, remota omni seculari ambitione Episcoporum electiones fierent. Hactenus hujus Rom. synodi canones. In eadem antiquam inter Turonensem, & Dolensem in Britannia minori Episcopos controversiam agitatam fuisse, Gregorii epistolæ testantur, ac de mittenda illuc legatione actum est. De juribus præterea Lemovicensis ecclesiæ super duo monasteria a Dolensibus monachis usurpata actum est.

Lib. 7. epist. 15. 17. 20.

Henricus Gregorium sua fede deji cere tentat.

6. Romana synodo absoluta, postquam Henricus se ibidem anathemate percussum, Regnoque dejectum audivit, duplici exasperatus jaculo in furorem actus est, ac cum eo *infremuit factiosorum strepitus*, ait Hugo Flaviacensis Abbas in chronico Verdunensi ad hunc annum. *In B. Petri vicarium turpia, & nefanda concrepans intonuit dicentium magnum esse, & impostorem, hæreticum, homicidam, fornicarium, & si quid aliud adversatur sanæ doctrinæ. Non debere Regem, Imperatoris filium, qui non sine causa gladium portaret, qui Romanæ reipublicæ patricius, tutor, & defensor esse deberet tantam pati sanctæ Dei ecclesiæ conculcationem, ut homo omnium peripsema, pro sceleribus juste puniendus, & merito ab ecclesia exturbandus, &c.* Cumque ea de causa tota prestreperet aula, decretum est. *Ut ille qui reverendam a seculis regiam majestatem ab ecclesia extorrem pronunciaverat, ab ecclesiæ corpore segregaretur, & Romanæ ecclesiæ Pontifex, qui supra omnes est, ab his qui ei subesse debebant, excommunicationi adjudicatus est. O dementia incomparabilis, furor indicibilis, insania mirabilis! Quis rogo Imperatorum, quis Regum ad tantam prosilire est audax protervam insaniam, insanamque proteriam, ut clavigeri cœlestis vicarium, cujus lingua clavis Cœli est, canonice electum, ab omni christianitate susceptum, bene viventem, recta docentem ab ecclesia alienandum pronunciaverit, &c.*

Tom. 10. Labb. pag. 386.

Moguntinum conciliabulum.

7. *Conventus hic apud ulterius Trajectum habitus*, ideſt Moguntiæ, *ubi contra Deum & Dominum disputatum est. Dies erat*

erat Sabbati, & vespere. sabbati ipsa nocte dominicæ die illucescente in concilio malignantium constitutum est, & deliberatum, ut in crastino ad missas in omnium audientia Papa excommunicaretur, quia ausus fuisset regem, & dominum suum excommunicare, justam hanc esse sententiam ut, in quo peccaverat, puniretur. Aderat in consensu illo inique gerentium Virdunensis Theodericus, & Gibo Tullensis, & alii plures, qui etsi favebant regiis negociis, hoc tamen, quia sanctorum patrum obviabat decretis, & sanctionibus repugnabat canonicis; aversati sunt &c. Ex his Tullensis *Episcopus, vir mentis timidæ & multæ inconstantiæ*, ut ait auctor, ne Henrico aperte resisteret, cum Virdunensi Episcopo noctu ausugit; Cumque ad suam ecclesiam rediisset Virdunensis, ab Clero suo se publice, aut cum pompa recipi noluit, se ipsum, eo quod ad tempus cessisset, ac cum excommunicatis communionem habuisset, tamquam excommunicatum habens, legatumque suum Rodulphum Abbatem cum sociis ad Gregorium misit cum litteris, ut eidem stolam, & annulum redderet. At paulo post ad Henrici fautorum communionem rediit, ut idem auctor adnotat. JESU CHR. AN. 1080. Gregorium excommunicat.

8. Cum itaque Henricus adversus Rodulphum exercitum eduxisset, post varios belli casus, quos auctor belli Saxonici fusiori stilo describit tandem *Factum est*, ait, *prælium quartum anno ab Incarn. Domini* 1080. *idibus Octobris feria quinta*; Eademque fere de hoc prælio Marianus Scotus, Ulspergensis Abbas, Sigebertus, & alii, in quo quidem prælio Saxones victores fuisse passim traditur; Unde Rodulphus Rex duobus acceptis vulneribus, *uno lethali, altero deformi*, ut ait supracitatus auctor, quo ei brachium excisum fuerat, *cum cognovisset quod suus haberet victoriam populus; Nunc lætus, ait patior vivus, & moriens, quidquid Dominus voluerit*; Fructus tamen victoriæ ob emuli interitum apud Henricum fuit, nec solum in Germania felicem armorum suorum sortem expertus est Henricus, sed etiam in Italia; nam ut narrat Bertoldus in Chronico ad hunc annum. *Idibus Octobris feria quinta, eodem die decessionis ejus* (idest Rodulphi,) *in Longobardia milites prudentissimæ Ducis Mathildæ fugantur ab exercitu pene totius Longobardiæ apud Voltam prope Mantuam*. De eadem victoria exercitus Longobardorum, qui Henrico favebant, hæc adnotat in vita Gre- Rodulphus ex vulnere in acie accepto obiit.

JESU CHR. AN 1080. *Murat. tom. 3. pag. 322.*

Gregorii Cardinalis Aragonenſis. *Poſt ubi vero hæc geſta ſunt*, prœlium in Germania, & Rodulphi obitum, evolutis paucis diebus, *Henricus filius ejus* (Henrici Regis) *cum exercitu illuſtris Comitiſſæ Mathildis pugnavit, & quia, ſicut fieri ſolet, varius eſt eventus belli victoriam habuit*; Hic porro Henricus Henrici Regis filius alius ab Henrico quinto, qui patri poſtea ſucceſſit, omnino fuit, nam is hoc anno nedum editus fuerat; Unde Henrici Regis filium nothum fuiſſe ſuſpicatur Muratorius, cujus nullibi occurrit ultra mentio. Felicibus hiſce ſucceſſibus animatus Henricus, Germaniam pene totam, ac Italiam anno ſequenti victricibus armis excurrit, rapinis, cladibuſque vexavit, ac poſt Guiberti Ravennatis Epiſcopi electionem, *Intravit Italiam, & poſt Paſcha cum Idolo, quod erexerat, Romam veniens circa Penteceſtem caſtra metatus eſt in campo Neronis*, ait idem Aragonienſis, de quibus ſequenti anno.

Gregorius cum Roberto reconciliatur. *Lib. 3. cap. 45.*

9. Semel, & iterum Robertum Guiſcardum cum fratre ſuo Ricardo, eo quod Romanæ eccleſiæ ditiones invaſiſſent, anathematis ſententia perculſos fuiſſe ſupra adnotavimus anno 1074., & anno 1078. Rem, præcedentibus annis uſque ad labentem geſtam unico contextu narrat Petrus diaconus in chronico Caſſinenſi, ac prœliis, & victoriis habitis in Sicilia adverſus Saracenos ab Roberto, & Ricardo relatis, Salernum eoſdem obſediſſe ac cœpiſſe addit, cum fruſtra eos cum Giſulpho Salerni Principe conciliare Deſiderius Abbas conatus fuiſſet, ac deinde ultra progreſſus, *Campaniam expugnaturus ingreditur*, ac Robertus Dux Beneventum, Richardus Princeps Neapolim obſidione cinxit. *Talia Papæ Gregorii dum pervenirent ad aures, Ducem, & Principem a liminibus* (eccleſiæ ſcilicet) *ſeparavit*, ſeu excommunicavit, ut ſupra diximus, *collectoque exercitu ſuper eos ire diſponit*, aliis tamen diſtentus curis, id opere exequi non potuit. Dum hæc fierent, Richardus *Princeps ab excommunicatione ſolutus defunctus eſt, cui ſucceſſit Jordanus filius ejus. Exinde vero inter Ducem* Robertum, *& Principem* Jordanum *diſſenſionis, & odii ſcandala exorta ſunt, Princeps enim favens Gregorio, acceptis a Beneventanis quatuor millibus quingentis Bizantiis caſtra, quæ Dux ad expugnationem Beneventi firmaverat deſtruens, cum univerſis Apuliæ Comitibus conſpiraverat*; Quod ubi Duci Roberto, qui

qui in Calabria morabatur, nunciatum eſt, cum valido exercitu in Apuliam rediit. At Deſiderius Caſſini abbas bellum inter patruum, & nepotem prorogari, & ducem a matris gremio diu extorrem manere ægre ferens; *Romam adiit, & Papam Gregorium rogare cœpit, ut Ducem ab anathematis vinculo, quo eum ligaverat, ſolveret, quo impetrato pacis amator, & converſator Deſiderius cum Cardinalibus ad Ducem profectus, eum ab excommunicationis vinculo ſolvit*; hoc anno, cum debitam Gregorio Papæ ſatisfactionem obtuliſſet. Paucis his verbis rem totam proſequitur anonymus auctor chronici Normannici ad hunc Chriſti annum 1080. ubi de Roberto agens; *amicatus eſt*, ait, *cum Gregorio Papa menſe Junio, & confirmata fuit ab illo omnis terra, quam habebat Robertus Dux in Apulia, Calabria, & Sicilia. &c.*

Jesu Chr. an. 1080.

Muratt. rer. Ital. tom 1. pag. 278.

10. Hanc autem ab Roberto Duce reconciliationem, Deſiderii Caſſinenſis Abbatis interceſſione factam cum Gregorio Papa, ab eodem Pontifice, qui in Campaniam ea de causa tranſierat, comfirmatam fuiſſe narrat Cardinalis Aragonius in ejus vita his verbis. *Interea venerabilis Pontifex receptis nunciis Roberti Guiſcardi egregii Normannorum Ducis, verſus Apuliam poſt octavam Pentecoſtes iter arripuit, & cum ipſo apud Aquinum colloquium habuit. Congrua itaque ab eo ſatisfactione ſuſcepta, prius a vinculo excommunicationis eum abſolvit, & conſequenter fidelitatem, & homagium ejus recepit; Poſtmodum vero jam aſſumptum, in ſpecialem B. Petri militem de totius Apuliæ, & Calabriæ ducatu per vexillum Sedis Apoſtolicæ inveſtivit &c.* Ex Aquino cum Roberto jam ſibi reconciliato Beneventum tranſiiſſe narrat Cencius Camerarius, apud Bollandum die 25. relatus, ibique inter utrumque fœdus ictum fuiſſe narrat Gulielmus Apulienſis ſub libri quarti initio, ubi rem geſtam his verſibus deſcribit, cui etiam, Roberto ſcilicet, Imperialem coronam promiſiſſe addit.

Gregorii iter Campaniam et Apuliam.

Muratt. tom. 3. rer Ital. p. 311.

Muratt. tom. 5. pag. 270.

Illis Gregorius Beneventum Papa diebus
Advenit. Urbs erat hæc Romano ſubdita Papæ,
Atque ſui juris; quia Dux obſederat urbem,
Ægre Papa tulit, veniam Robertus ut hujus
Impetret offenſæ, Papæ properavit ad Urbem,
Supplicat, & pedibus dans oſcula patris
Suſcipitur: tanti perſona vigoris honore
Digna videbatur, conſidere Papa coegit.

JESU CHR. AN. 1080.

Soliloquum, cunctis aſtantibus inde remotis, Conſilium tenuere diu, tum Papa fideles Convocat: ex Papæ ſecretum juſſibus horum Panditur; allatus liber eſt Evangeliorum: Dux Papæ jurat, fuerit dum vita ſuperſtes, Obſervaturum fidei ſe jura perennis Eccleſiæ Sanctæ, totus cui ſubjacet Orbis: Romani regni ſibi promiſiſſe coronam Papa ferebatur: quia Rex Henricus ab illo Damnatus fuerat propter commiſſa nefandis Accumulata modis &c.

Roberti juramentum fidelitatis Gregorio exhibitum. *Labb. tom. 10. poſt. epiſt. a. lib. 8.*

11. Fidelitatis juramentum ab Roberto tunc Gregorio exhibitum his verbis conceptum erat. *Ego Robertus Dei gratia, & ſancti Petri, Apuliæ, & Calabriæ, & Siciliæ Dux, ab hac hora & deinceps ero fidelis S. R. E. & Apoſtolicæ Sedi, & tibi domino meo Gregorio univerſali Papæ. in conſilio, vel facto, unde vitam, aut membrum perdas, vel captus ſis mala captione, non ero. Conſilium quod mihi credideris, & contradixeris ne illud manifeſtem, non manifeſtabo ad tuum damnum, me ſciente. S. R. E. tibique adjutor ero ad tenendum, acquirendum, & defendendum Regalia S. Petri, ejuſque poſſeſſiones pro meo poſſe contra omnes homines (excepta parte Firmanæ Marchiæ, & Salerno, atque Amalphi, unde adhuc facta non eſt definitio) & adjuvabo te, ſecure, & honorifice teneas Papatum Romanum. Terram ſancti Petri, quam nunc tenes, vel habiturus es, poſtquam ſcivero tuæ eſſe poteſtatis, nec invadere, nec acquirere quæram, nec etiam deprædari præſumam, abſque tua, tuorumque ſucceſſorum, qui ad honorem ſancti Petri ordinati fuerint, certa licentia, præter illam, quam tu mihi concedens, vel tui conceſſuri ſunt ſucceſſores.* Penſionem ſtatutam ſe ſingulis annis præſtiturum ſpondet, eccleſias Rom. eccleſiæ in ſua ditione poſitas ſe reſtituturum promittit, ac quotieſcumque ab Rom. eccleſ. Cardinalibus, vel Rom. clero, & populo rogatus fuerit, adjuvabit *ut Papa eligatur, & ordinetur ad honorem Sancti Petri.* Atque hæc omnia ſe mente ſincera, bonaque fide promittere addit, Cipriani autem hæc, ſeu Ceprani in latio, quo Pontificem Robertus comitatus fuerat, geſta eſſe ibidem legitur.

Inveſtituræ formula Ro-

12. His autem Gregorii inveſtitura ſubjicitur his verbis concepta. *Ego Gregorius Papa inveſtio te Roberte Dux.*

de

de terra, quam tibi conceſſerunt anteceſſores mei ſanctæ memoriæ Nicolaus, & Alexander. De illa autem terra, quam injuſte tenes, ſicut eſt Salernus, & Amalphia, & pars Marchiæ Firmanæ, nunc te patienter ſuſtineo in confidentia Dei omnipotentis, & tuæ bonitatis, & ut poſtea exinde ad honorem Dei, & ſancti Petri ita habeas, ſicut, & te agere & me ſuſcipere decet, ſine periculo tuæ et meæ. Actum ut ſupra. His ſubjicitur promiſſio de cenſu perſolvendo, duodecim ſcilicet denariorum Papienſium ſumma, pro quælibet juga bovum; *Hujus autem penſionariæ redditionis erit ſemper terminus, finito quoque anno, ſanctæ Reſurrectionis die Dominico.* Hactenus de geſtis Gregorii Papæ hoc anno cum Roberto Duce, quæ etſi Pagius ad annum 1077. revocanda duxerit, recte tamen ad hunc annum a Baronio relata fuiſſe Muratorius, & Manſius adnotant; Hoc unum addimus divino conſilio, maximaque Dei providentia id contigiſſe, ut cum Gregorius Papa hoſtibus undique vallatus pene eſſet, ac non ſolum Germanos, ſed Longobardos quoque adverſarios pateretur, tunc Robertum ceteris viciniorem ſibi reconciliaret, ut auxilium in tempore opportuno, & anguſtiis undique preſſus haberet, ſicut infra dicturi ſumus.

JESU CHR. AN. 1080. berto collatæ.

Murat. an. 1077. & 1080. Manſi ibidem.

13. Nunc reliqua Gregorii geſta proſequimur, qui quaſi otioſus in urbe eſſet, ſollicitudinem eccleſiarum omnium gerens hujus anni initio, quarto nonas Jan. epiſtolam ad Uratislaum Bohemorum Ducem dedit, qua eo quod cum raptoribus honorum eccleſiæ, ac proinde excommunicatis communicaret graviter reprehendit, & poſt plurima ſalutis monita eidem data, Sclavonica lingua officium ibidem peragi, prohibet, hæc in eam rem adnotans. *Quia vero nobilitas tua poſtulavit, quod ſecundum Sclavonicam linguam apud vos divinum celebrari annueremus officium: ſcias nos huic petitioni tuæ nequaquam poſſe favere. Ex hoc nempe ſæpe volventibus liquet, non immerito ſacram Scripturam omnipotenti Deo placuiſſe quibusdam locis eſſe occultam; ne ſi ad liquidum cunctis pateret, forte vileſceret, & ſubjaceret deſpectui, aut prave intellecta a mediocribus, in errorem induceret. Neque enim ad excuſationem juvat, quod quidam religioſi viri hoc, quod ſimpliciter populus quærit, patienter, tulerunt, ſeu incorrectum dimiſerunt, cum primitiva Eccleſia multa diſſimulaverit, quæ a ſanctis Patribus poſtmodum, firmata Chriſtianitate, &*

Gregorius officium lingua Sclavonicas peragi prohibet. *Lib. 7. epiſt. 11.*

JESU CHR. AN. 1080.

religione crescente, subtili examinatione correcta sunt: Eodemque tempore Gregorius Papa in Arnulphum Comitem grassatorem, qui Henricum Leodiensem Episcopum, ad Limina Apostolorum venientem, fuerat deprædatus, & eundem jurare coegerat non repetere quod amiserat, ad Theodoricum Virdunensem Episcopum litteras dedit, quibus eum monuit, ut Synodo congregata, hominem ad pœnitentiam cohortaretur: quod si non paruisset, in eumdem excommunicationis sententiam promulgaret. Interea vero a juramento, quod vi coactus præstiterat, eumdem Henricum absolvit.

Gregorii epistola ad Manassem Remen. Episc. & alios. *Lib.* 7. 12.

14. Epistola altera tertio nonas Januarii data Manassem Remensem Episcopum admonet, ut excusatione remota, ad concilium Lugdunense properaret, seque ibidem coram Apostolicæ sedis legatis ab objectis criminibus, innoxium esse probaret, justæque eorum sententiæ se submitteret, ac subdit. *Quod si fraternitati tuæ videbitur prolatæ sententiæ rationabiliter posse obviari, volumus te magis coram vicario nostro, Dienſi videlicet Episcopo, aliisque religiosis viris in patria illa ubi accusatorum, & defensorum major copia invenitur, rationes tuas exponere, quam Romæ ubi utrumque deest*

Epist. 15. 16.

frustra spe judicii quærere &c. Epistola altera octavo idus Martii scripta, quæstionem jamdiu inter Turonensem Episcopum agitatam, quam multo labore in synodo quoque Romana pertractatam fuisse addit, iterum retractat, ac ut in synodo tandem eidem quæstioni finis imponeretur, jubet. Quæstionis summa erat, an Dolensis Episcopus Turonensi Metropolitano subjicendus esset, sicuti antiquitus fuisse dubitari vix poterat, jamdiu tamen cum Britannia e Francorum Regno evulsa proprios Duces habere cœperat, Dolensis Episcopus in tota minori Britannia Metropoliticam jurisdictionem exercuerat, palliique usu non semel ornatus fuerat: Turonenses Archiepiscopi jus suum in Britannia non semel, sed frustra vindicare conati erant; At Dolenses Episc. hactenus restiterant, jubet ergo Gregorius, ut causa discussa finiatur; Quod si contigat Dolensem Episcopum causa cadere, subjectumque Turonensi declarari, mandat, ut pallii usus præsenti Episcopo reservetur. *Ita tamen ut nullus successorum suorum, aliquo in tempore ad hanc dignitatem adspiret*, sed tam ipse, quam ceteri Britanniæ Episcopi Turonensi Archiepisc. subjecti sint; Sequens epistola septimo Kal. Aprilis

Jesu Chr. an. 1080.

lis Romæ data, Huberto Tarvanensi Episcopo inscripta est, eumque gravibus objurgat verbis, eo quod semel & iterum ab legatis Apostolicæ sedis ad synodum Romanam vocatus animo obstinato præsentiam suam negaverit, quare ex innata sibi clementia, suspensa interim depositionis sententia, quam propter inobedientiam promeruerat; ut tandem coram Diensi Episcopo Apostolicæ sedis legato se exhiberet, ibique de objectis criminibus se purgaret, & ut canonicos suæ ecclesiæ ob quamdam villam usurpatam, ab officio suspenderet, præcipit.

15. Accidit autem hoc tempore ut Salerni corpus Sancti Matthæi Apost. jamdiu, ob ingruentia ibidem bella, latitans detegeretur, cumque ejusdem civitatis Episcopus Alphanus de inventis Apostoli reliquiis certiorem Gregorium fecisset, decimoquarto Kal. Octobris Alphano litteras reddens, de invento thesauro gratulatur. *Quapropter* post plurima ait, *de tanti thesauri revelatione tua fraternitas exultet in Domino, & beatissimas reliquias debitæ venerationis obsequiis dignis ampletiens, gloriosum Ducem Robertum, ipsiusque nobilissimam conjugem hortetur & moneat, quatenus tam insigni patrono, qui se ei demonstrare dignatus est, reverentiam & honorem decenter exhibentes, ipsius gratiam & auxilium sibi, suisque promereri, nisibus summæ devotionis contendant. Dat. Romæ XIII. Kal. Octob.* Hactenus Gregorius ad Alphanum Salernitanum Antistitem, cujus apud Leonem Ostiensem est honorifica mentio, nobilibus quippe parentibus Salerni ortus ex clerico factus monachus S. Benedicti, virtutibus, atque doctrina celebris prodiit Abbas, & ex Abbate Salernitanus Episcopus ordinatus fuerat, cujus consilio ac hortatione idem Robertus Dux Basilicam eidem S. Apostolo Matthæo Salerno construxit, ut veteres in fronte, & apsidæ positæ inscriptiones, quas Baronius refert, testantur.

Corpus S. Matthei Apostoli Salerno inventum.

Lib. 8. epist. 8.

16. Hoc eodem autem tempore Gregorius Papa etsi variis undique angustiis premeretur, ecclesiarum nihilominus sollicitudinem eamdem gerebat, ac si summo frueretur otio. Hinc ab Gulielmo Anglorum Rege rogatus, ut Cenomanensi Episc. Episcopale officium redderet, ac Abbatem S. Petri Cenomanensis monasterii absolveret, utrumque, *tuis, precibus, justitia favente absolvimus*, ait, eaque occasione quot in eum benevolentiæ signa ediderit, quantave pro ejusdem electione ad Angliæ Regnum peregisset, commemorat, ac ad

Gregorii epistola ad Gulielmum Anglorum Regem. *Lib. 7. epist. 23. 25. 26.*

JESU CHR. AN. 1080.

ad debitam ſedi Apoſtolicæ obedientiam præſtandam excitat. Cumque hæc octavo Kal. Maii ſcripſiſſet, epiſtola altera paulopoſt addita, octavo idib. Maii, eumdem Gulielmum Regem, ut Dei honorem ſuo præponat, Deumque totis viribus diligat, hortatur. Ad ejuſdem vero conjugem Mathildem, & Robertum eorumdem filium, in regnum futurum ſucceſſorem, eadem fere monita ſalutis impartiens, litteras dignas, quæ Annalibus intexerentur, niſi prolixitas prohiberet, ſcripſit. Inſuper dedit alias Canuto Daniæ Regi, de quo dictum anno ſuperiori, cujus laudat erga Eccleſiam Romanam ſtudium & obſervantiam, hortatuſque eſt ad contemptum ſæculi, monuitque pravos mores corrigere, quos in Dania coaluiſſe audierat; De cujus nece, ob quam inter Martyres meruit cooptari, dicturi ſumus ſuo loco anno ſcilicet 1086.

Greg. epiſt. ad Canutum Danorum lib. 7. epiſt. 21. Regem.

Gregorii epiſtola ad Regem Sveonum. *Lib. 8. 11.*

17. Eodem fere tempore, ſeu quarto nonas Octobris alias ad Sveonum Regem ſeu Sveziæ litteras dedit, quibus cum eo gratulatur, his verbis. *Quoniam Regni tui terram quoſdam ſacri verbi miniſtros fuiſſe ingreſſos audivimus, noverit excellentia tua, nos in Domino multum lætari, deinceps quoque de ſalutis veſtræ reparatione plurimum ſpei indubitanter habere. Gallicana ſiquidem Eccleſia non vos alienis documentis inſtruxit, ſed quod de theſauris matris ſuæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ accepit, ſalubri vobis eruditione contradidit. Quapropter ut Chriſtianæ religionis, & doctrinæ gratiam obtineatis uberiorem, volumus celſitudinem tuam aliquem Epiſcopum, vel idoneum clericum ad Apoſtolicam Sedem dirigere, qui & terræ veſtræ habitudines, gentiſque mores nobis ſuggerere, & Apoſtolica mandata, de cunctis pleniter inſtructus ad vos certius poſſit referre &c.* Et ut commiſſum ſibi Regnum in juſtitia gubernaret, hortatur, ut ibidem videre eſt.

Gregorii epiſtola ad Alphonſum Caſtellæ Regem *Lib. 8. epiſt. 3. 4.*

18. Anno proximo Ricardum Cardinalem Presbyterum, & S. Victoris Maſſiliæ Abbatem legatum in Hiſpanias ſuum pro nonnullis eccleſiaſticis negotiis componendis Gregorius miſerat, utque eidem opem auxiliumque ferret, Alphonſum Caſtellæ Regem excitaverat, cumque multos adverſarios Ricardus pateretur, ac in primis ipſum Alphonſum Regem, & monachum quemdam Robertum, ut patienter omnia ſuſtineret, datis litteris admonuit his verbis. *Quia miſſi litteris ſignificaſti nobis antiquum hoſtem opus tuum ad utilitatem chriſtianam ex parte directum per membra ſua, non præ-*

JESU CHR. AN. 1080.

præter solitum impediisse, ac per hoc fraternitatem tuam tristitiam nimiam incurrisse, nos quoque tibi merito compatientes, eodem tecum afficimur mœrore &c. Se interim curaturum, addit, ut Robertus inde revocatus, temeritatis suæ debitas pœnas daret, alia vero epistola Alphonso Regi data, ait se eodem tempore de ejusdem in sedem Apostolicam obsequio referente Riccardo legato suo exhilaratum, ejusdemque relatione contristatum fuisse addit, eo quod ab Roberto monacho seductus, legati sui monita spreviſſet, illicitumque cum uxoris suæ consanguinea connubium contraxisset, aut contrahere præsumeret. Quare post aliqua his verbis Regem alloquitur. *At nunc comperto, quod Diabolus saluti & omnium, qui per te salvandi erant, more suo invident, per membrum suum quemdam Robertum pseudomonachum, & antiquam adjutricem suam perditam fœminam viriles animos tuos a recto itinere deturbuit, quantum de te primo fueramus gavisi, tantum nunc confundimur, erubescimus, contristamur. Quapropter ut cognoscas quantum circa te pie solliciti sumus, per bonitatem & gloriam Christi te paterna voce monemus & contestamur, remove a te quantocyus consiliarios falsitatis. Corrumpunt quippe mores bonos colloquia prava. Acquiesce autem per omnia Legato nostro Fratri Richardo, quem nisi prudentem & religiosum cognovissem, nostras ei vices nullatenus commisissem &c.* Robertum vero pseudo monachum *seductorem tui, perturbatorem regni, ab introitu Ecclesiæ separatum, intra claustra monasterii Cluniacensis in pœnitentiam retrudi decernimus. Sed Abbas Cluniacensis nos imitando id faciet, eadem enim via, eodem sensu, eodem spiritu ambulamus. Deus autem omnipotens nos de tua correctione exhilarare dignetur, fili charissime.* Hæc ad Regem Gregorius Papa.

19. Ad Hugonem vero Cluniacensem Abbatem, idem pertractans argumentum, temeritatem Roberti monachi, gravioribus verbis exponit, & ut ab Abbate corriperetur ecclesiæque introitu omnique ecclesiastico ministerio prohiberet, jubet. Regem vero admoneret, ut nisi respuisset, se in eum gravi censura animadversurum fore minatus est. *Quod si minus*, subdit, *præceptioni nostræ obedirent, non gravem æstimaremus laborem nos ad Hispaniam proficisci, & adversus eum quemadmodum Christianæ religionis inimicum dura,*

Gregorii epistola ad Hugonem Cluniac. Abbatem. *Lib. 2. 85.*

JESU CHR. AN. 1080.

dura, & aſpera moliri. Hæc Grogorius quinto Kal. Julii Cipriani, ſeu Ceprani in Campania.

Alphonsus Gregorii monitis paret. *Lib. 9. epiſt. 2.*

20. Gregorii monitis ſubmiſſo animo Alphonſum Regem paruiſſe, ex epiſtola Gregorii ad eum anno ſequenti data certum eſt, eas quippe litteras ab eo cum muneribus regia magnificentia dignis B. Petro oblatis accepiſſe indicat, ac Romanum in Regno ritum receptum ibidem fuiſſe gratulatur. *Noverit excellentia tua dilectiſſima illud unum admodum nobis, immo divinæ clementiæ placere, quod in eccleſiis Regni tui matris omnium ſanctæ Romanæ eccleſiæ ordinem recipi, & ex antiquo more celebrari feceris, denique in illo (Mozarabo ſcilicet) quem hactenus tenuiſſe videmini, ſicut ſuggerentibus religioſis viris didicimus, quædam contra catholicam fidem inſerta eſſe patulo convincuntur &c.*

Romanus ritus in Hiſpaniæ eccleſiis receptus.

21. De altero etiam diſſidii capite, unde graviter in eum Gregorius exaſperatus fuerat, quod ſcilicet conſanguineam uxoris defunctæ vel duxiſſet, vel ducere cogitaret, Gregorio ſatisfeciſſe, hæc Gregorii verba teſtantur. *Ceterum quos de uxore tua, & Abbatia ſancti Facundi poſtulaſti competentius reſponderi per filium noſtrum Richardum S. R. E. Cardinalem & legatum, & Simeonem Epiſcopum arbitrati ſumus.* Electum deinde quemdam in Archiepiſcopum Toletanum etſi vitæ integritate dignum, ob inſcitiam tamen litterarum rejicit, ac ut alterum cum conſilio Richardi legati ſui virtutibus exornatum, & litteris inſtructum eligeret, jubet, ac tandem de muneribus B. Petro miſſis gratias agit. Quis is fuerit Toletanus Epiſcopus ab Alphonſo electus, ac ab Gregorio excluſus, ignoratur, in ejus tamen locum juxta Gregorii conſilium, alienigenam ſubſtitutum fuiſſe ſcimus, Bernardum ſcilicet natione Gallum, profeſſione monachum, ab Hugone Cluniacenſi in Hiſpanias paulo ante miſſum, monaſterii S. Facundi Abbatem, ad quem extat Urbani ſecundi epiſtola, qua eidem in tota Hiſpania Primatum reſtituit, cum ibidem Epiſcopalis ſedes iterum erecta fuit, poſtquam Alphonſus Toletanam Metropolim ab Seracenorum poteſtate eripuiſſet.

Mabill. Annal. 66. n. 3. pag. 172. tom. 5.

Labb. tom. 13. p. 1635. & edit. novis. tom. 10. pag. 522.

Burgenſis ſynodus ritum Mozarabum abrogat.

22. Ritus autem Mozarabici mutatio in Romanum in Burgenſi concilio ab Ricardo Apoſtolicæ ſedis legato celebrato facta fuerat, cujus ex Pelagio Ovetenſi apud Marianam alioſque Hiſpaniæ ſcriptores mentio occurrit, eademque ſynodo

nodo varias in clero corruptelas emendatas, & præcipue Sacerdotum incontinentiam repressam fuisse verosimile est.

JESU CHR. AN. 1080.

23. Plures in Gallia synodi hoc an. celebratæ sunt ab Hugone Diensi Apost. sedis legato, quarum præcipua Lugdunensis fuit, ubi causa Manassis Archiepiscopi Remensis, per plura annorum spatia agitata finem accepit. Is quippe de simonia in Remensis ecclesiæ invasione, de ejusdem ecclesiæ direptione, de injusta ecclesiarum, & Abbatiarum usurpatione, aliisque criminibus, in concilio Augustodunensi accusatus, ab Hugone vocatus, cum adesse renuisset, damnatus fuerat anno 1077. at cum ad Gregorium appellasset, Romanumque iter suscepisset, satisfactione quantalibet Pontifici oblata, dimissus fuit, ut in epistola sua narrat Gregorius Papa; at hoc anno ab Hugone Diensi ad Lugdunense concilium iterum vocatus, cum judicium declinasset, ab Remensi sede dejectus fuit, cum frustra ingenti per legatos suos oblata pecunia, Apostolicæ sedis legatum auro corrumpere conatus fuisset, ut acta referunt, hisque verbis clauduntur. *Quod totum virilis ejusdem legati animus respuit, & quia inexpugnabilem ejus erga pecuniam animum vidit, timens sibi, concilio interesse noluit, & ideo synodali judicio est depositus, tum quia se purgare noluit, tum quia audientiam Eduensis, Pictavensis, & ipsius Lugdunensis subterfugit.* In quam rem extant Gregorii epistolæ, prima quidem ad eumdem Manassem, qua se sententiam legati sui confirmasse, ait, ei tamen indulget, ut se coram Episcopis usque ad festum S. Michaelis purgare possit, ita tamen ut interea Remensem dimittat ecclesiam, ac in monasterio vel Cluniacensi, vel Casæ Dei cum uno clerico, & duobus laicis religiose usque ad causæ decisionem viveret, ac ut Brunoni, aliisque ablata restitueret; cumque obstinatus Remensi sedi insideret, aliis epistolis scriptis, eum inde exturbare conatus est Gregorius, cujus extant litteræ ad Clerum, populumque Rhemensem, iisque ut ei resisterent, communionemque vitarent, hortatur, & ut alterum sibi pastorem cum consilio Hugonis legati sui præficiendum curarent, admonet: ejusdem argumenti sunt litteræ ad Episcopos suffraganeos ecclesiæ Remensis, & Habelum Comitem datæ: Philippum quoque Francorum Regem litteris suis admonuit, ne favorem suum ultra Manassi præstaret, neque ad novi Episc. electionem impedimentum afferret. Itaque

Synodi in Galliis celebratæ.

Labb. Concil. tom. 10 pag. 1815.

Lib. 5. 17.

Labb. tom. 10. pag. 390.

Lib. 7. 20.

Lib 8. 17. 18. 19. 20.

JESU CHR. AN. 1080.

occasione, ut male gesta corrigeret his verbis excitat. *Qua in re procul dubio minus vigilanter, multumque negligentius quam fanum fuerit, olim habuisse te cerneris. Sed nos adolescentiæ tuæ præterita delicta, spe correctionis tuæ portantes, ut deinceps castigatis moribus, ad ea, quæ oportet, invigiles, ex debito officii nostri monemus.* Atque in fine epistolæ, eamdem exhortationem repetit.

Synodus Avenionensis ab Hugone celebratur. *Concil. tom. 10. pag. 319. Bolland. die 1. April.*

24. Alteram Avenione Hugo Diensis Gregorii Papæ in Gallia legatus synodum celebravit, ibique Gratianopolitani canonici Hugonem Valentinæ primum ecclesiæ canonicum in Episcopum Gratianopolitanum, & ab Gregorio Pontifice in urbe consecratum receperunt, cui ut narrat Guido Carthusianus auctor coævus, qui vitam Hugonis scripsit; *Comitissa Mathildis habitus quidem fœminei, sed animi per cuncta virilis*, in die Consecrationis ejus cuncta necessaria subministravit. *Pastoralem quo diu usus est, bacutum dedit, additis psalmorum secundum B. Augustinum explanationibus, cum B. Ambrosii volumine, cui titulus est de officiis.* Totoque vitæ suæ tempore Mathildem eum coluisse addit. Is porro Hugo Gratianopolitanus Episcopus sexto ordinationis suæ anno Brunonem benigne excepit, eique Carthusianos montes concessit. Unde Carthusianorum nomen sociis suis derivatum est, de quibus suo loco occurret sermo.

Concilium Senonense & Juliæ novæ in Britannia minori. *Tom. 20. edit. novæ pag. 554.*

25. Alterum Senonis ab Ricardo ejusdem ecclesiæ Archiepiscopo concilium hoc anno celebratum fuit, cujus nomine tantum Episcoporum, qui ibi interfuerunt, & Abbatum superfunt; Eo autem celebrius fuit synodus Juliæ novæ in Britannia minori celebrata, ut ejusdem præfatio nos docet. *Anno Incarnationis Domini 1080. Papatus Domini Gregorii Papæ septimi octavo, Francorum Rege regnante Philippo, Anglorum Rege Villelmo gubernante Normanniam in festivitate Pentecostes, sub ejusdem Regis præsentia, præsente Rotomagensi Archipræsule Villelmo, congregatis etiam Episcopis, & Abbatibus, consulibus quoque, & cæteris Normannniæ principibus celebratum est apud Juliobonam concilium, in quo serenissimi Regis Villelmi providentia præscriptorum fidelium suorum consilio &c.* Canones ibidem tredecim vulgati sunt, quorum primo de tregua, seu pace servanda agitur, quam per dies quatuor, a die scilicet mercurii, usque ad ortum solis die lunæ servandam esse præcepit, eamdemque retinendam

dam esse addunt, toto adventus tempore, usque ad octavam Epiphaniæ, & in capite jejunii usque ad octavam Paschæ, & a rogationibus usque ad octavas Pentecostes, ut in exhortatione ibidem addita videre est, ceteri canones de ecclesiastica disciplina retinenda restituendaque agunt, incerta matrimonia prohibent, clericis consortia mulierum extraneārum prohibentur, ne laicis ecclesiæ bona, vel decimarum partem usurpent canone quarto decernunt, & ne Episcopi ab Presbyteris quidquam exigant, & ne emendationis titulo, ob mulierum consortium exigatur: Archidiaconi singulis annis Presbyteros suæ curæ commendatos, eorumque vestimenta, & ecclesiæ utensilia examinent; Presbyteris vero semel præcipitur saltem in anno circa Pentecostem ad ecclesiam matrem, seu Episcopalem pergant, ibique oblationem suam in cera faciant. Quousque ecclesiarum, cœmeteriorum iumunitas, extenderetur, canone 10. & 11. decernitur ac de variis criminibus corrigendis capite ultimo agitur, ut ibidem videre est. Jesu Chr. an. 1080.

26. Hoc eodem anno 1080. ut narrat Sigebertus in chronico ab eodem Hugone Dienſi Episcopo, & Apostolicæ sedis legato Meldense concilium celebratum est, in quo Arnulphus S. Medardi Abbas reluctans & invitus Svessionensis Episcopus ordinatus est, in locum Ursionis, qui ab sede depositus fuerat: Arnulphi electionem, ejusque præclara gesta Lisiardus in Svessionensi sede successor in ejus vita narrat: at de his hactenus. Concilium Meldense. *Labb. tom. 10. p. 398.*

27. Dum hæc in Occidente gererentur, ac ubique Henricianæ factionis rebelles Gregorio Pontifici infesti essent, Armenii ab orbe Romano remoti, missa legatione, Romanum Pontificem impense colunt: hujus legationis meminit Gregorius in epistola ad Episcopum Beneventanum, qua eum admonet, se ab Joanne Armenorum legato accepisse Armenum quemdam hæreticum ad urbem primum adveniſſe, deinde in Beneventanam transiisse regionem, quem ideo, ut diligenter inquirat, admonet, ac ut *junctus religioso Abbati Montis Cassini, cunctisque tuis Coepiscopis, præfati hæretici causam discutias, discussamque* definiant, præcipit; quem Macarium vocari ac Frigentim morari acceperat. In altera vero epistola ad Sinnadensem in Armenia Archiepiscopum data, Armenorum errores recenset, eosque corrigendos esse præcipit, etsi immunes ab iis se tunc fuisse Joannes ipsorum legatus affirma- Armenorum legatio ad Gregorium. *Lib. 7. epist. 28. Lib. 8. epist. 1.*

JESU CHR. AN. 1080.

ret, Gregorius tamen eos reprehenſione dignos eſſe ajebat, quod in Miſſæ ſacrificio aquam vino non miſcerent, quod in chrismatis confectione loco balſami butyro uterentur, quod Dioſcorum jamdiu in concilio Chalcedonenſi damnatum colerent, ac demum eo quod Trifagium canerent cum additamentro Petri Fullonis hæretici, ſeu, *qui paſſus es pro nobis*; eoſdem vero laudat, eo quod Occidentalis eccleſiæ ritum ſervarent, dum azimo pane in conficienda Euchariſtia uterentur, etſi ea de cauſa Græcos ſibi infeſtos paterentur, eoſdemque ritus, ſeu errores uſque nunc ibidem retentos fuiſſe dubitari vix poteſt, quos excuſare conatus eſt nobilis vir, Marchio ſcilicet Serpos natione Armenus in Apologia, ſeu diſſertatione polemica in eam rem hoc tempore edita, & in hiſtoria ſacra, & prophana Armeniæ tribus voluminibus diſtributa.

Fictus Michael Imp. in ſcenam prodit.

28. Biennio ante, ut ſuo loco diximus Michael Ducas Imperator, ab Nicephoro Botoniate, cum filio Conſtantino Imperio dejectus, ac monaſtico indutus habitu, Epheſiorum Epiſcopus ordinatus fuerat, qui cum ſemel ad eam urbem acceſſiſſet, in monaſterium ſe recepit, ubi & vitam finivit, ut narrat Curopalates: Redivivus nihilominibus hoc anno in ſcenam prodiit, cum monachus quidam qui Rector dicebatur Crotonæ apparuit, qui Michaelem Imperio profugum ſe eſſe fingens, ab Roberto Apuliæ, & Calabriæ Duce ut Imperium recuperaret, auxilium petiit. Totam autem fictitii Imperatoris ſcenam ab ipſo Roberto confictam fuiſſe, ſuſpicatur Anna Comnena, atque ab eo edoctum monachum, ut hæc fingeret, adnotavit; Ut inde belli gerendi adverſus Nicephorum Imperatorem occaſionem haberet; ut injurium Socero ſuo Michaeli, filiæque ſuæ Conſtantino Michaelis filio deſponſatæ, quam ruptis ſponſalibus ad patrem Nicephorus remiſerat, injuriam ſocero, & filiæ illatam ulciſceretur; quod anno ſequenti, claſſe comparata effecit, ut ibidem dicturi ſumus; At ſive tragœdiam ipſe Robertus confixerit, ſive monachus Rector impoſturam fecerit, hoc certum eſt, eumdem ab Roberto cum honore non ſolum exceptum fuiſſe, ut fuſiori ſtylo proſequitur Anna Comnena, ſed etiam Gregorio Pontifici commendaſſe, ut auctoritate ſua, totiſque viribus ad Imperium recuperandum eidem ſubſidio eſſet. Gregorius vero Papa monachi impoſturam, vel Roberti aſtutiam, artemque fallendi ignorans, datis litteris eumdem Epiſcopis

Annæ Comn. lib. 1. pag. 28. 29.

Lib. 8. epiſt. 6.

Apu-

Apuliæ, & Calabriæ commendavit. *Notum esse prudentiæ vestræ non dubito*, ajebat Pontifex, *gloriosissimum Imperatorem CPolitanum, Michaelem videlicet, ab Imperialis excellentiæ culmine indigne potius & malitiose, quam juste aut rationabiliter esse dejectum. Qui auxilium beati Petri, nec non filii nostri gloriosissimi Ducis Roberti flagitaturus Italiam petiit. Quapropter nos licet indigni Sedis ipsius curam gerentes, compassionis visceribus moti, precibus illius, nec non ejusdem Ducis annuendum esse censuimus, & a fidelibus beati Petri subveniendum sibi fore putavimus.* Ac ut totis viribus, conatibusque eidem faverent, jubet: totam rei gestæ seriem, seu potius scenam, honores scilicet falso monacho, tamquam si Imperator fuisset, a Roberto primum, dein a credula plebe exhibitos, post Annam Comnenam, narrat Gulielmus Apulienſis ſuis verſibus lib. 4. Lupus vero Protospata in chronico ad hunc annum hæc adnotat. *Hoc anno Imperator Michael descendit in Apuliam, quærendo auxilium a Roberto Duce contra Botoniatem*, sive Nicephorum Imp. At conficta hæc fuisse, non solum Anna Comnena testatur, res sui temporis scribens, sed etiam Gulielmus Apulienſis, Roberti ubique encomiastes, his versibus confirmat.

JESU CHR. AN. 1081.

Murat. tom. 4. rer. Ital. pag. 45.

Mentitus se Michaelem
Venerat a Danais quidam seductor ad illum
Inmerito raptum jus Imperiale reposcens,
Se profugum lacrymans, lacrymantem Dux & honeste
Suscipit, & tractat, placidoque favore benignum
Exhibet obsequium, populus quoque credulus omnis.
Assurgebat ei, flexa cervice salutans:
Hunc adhibens socium sibi Dux, ut justior esset
Causa viæ, secum dum transfretat ipse reducit.

Tom. 5. pag. 271.

Sed de Roberti expeditione in Orientem anno sequenti.

JESU CHRISTI AN. 1081. GREGORII SEPTIMI PAPÆ AN. 9. ALEXII COMNENI IMP AN. 1.

1. Hoc Christi anno 1081. Henricus Germaniæ Rex, *Ubi se cognovit per sententiam Romani Pontificis a consortio fidelium segregatum, tristis effectus est*, ait Cenotius Camerarius,

De Brixiensi, & Parisiensi conventu, ubi Guiber-

JESU CHR. AN. 1081. Tus Antipapa eligitur, & ordinatur.

rius lib. 3. de Cenſibus; ob victoriam tamen anno proximo idibus Octobris de Rodulpho habitam, ejuſdemque obitu, in ſuperbiam elatus, ex concepto dolore peperit iniquitatem, ut ait psalmiſta, atque ad vindictam excitatus, *tranſacto natali Domini proximo*, quo annus 1081. initium ducebat, ait auctor hiſtoriæ belli Saxonici p. 150. *Henricus Rex Italiam diſponebat ingredi*, ſive ut data ſatisfactione cum Gregorio reconciliaretur; *vel quod magis volebat, Gregorio per vim de Pontificatu ejecto, & in ipſa ſede Viperto Ravennate collocato, qui jam per triennium juſte fuerat excommunicatus, libere faceret omnia, quæ ſuæ tyrannidi placeret, cum de ſede Apoſtolica omnis ſuæ voluntatis favorem haberet.* & paulo poſt, *Henricus igitur in menſe Martio intravit Italiam, ſeminaturus & ibi, ſicut in noſtra*, ideſt Germania, *fuerat terra, diſcordiam &c.* ait is auctor, & ſane funeſtum excitavit ſchiſma, quo per annos plurimos eccleſia Chriſti turbata eſt; nam in Italiam properans Brixiæ ſeu Berſinone in Norico ſubſiſtens; *Perverſorum Antiſtitum, & impiorum Principum ſententia*, ait ſupracitatus Cencius, *prævalente apud Brixiam generalem curiam diſpoſuit celebrare. Convenerunt itaque in loco plurimi ſeditioſi, & infames Epiſcopi, cum multitudine Clericorum, & Principum, quatenus in jacturam Domini Gregorii Papæ poſſent aliquid mali ordinare, vel ſtatuere, ut inter Romanam Eccleſiam, & Imperium diſcordia fulciretur. Communicato itaque execrabili, & deteſtando conſilio, de conſenſu ipſius Regis, elegerunt in Romanum Pontificem, imo Antipapam Guibertum Ravennatenſem, virum manifeſte perjurum, atque omni malitia & doloſitate plenum. Et quoniam plerumque contigit, ut peccatum ſit pœna peccati, de ſuperbiæ radice proceſſit ad perjurium, de perjurio ad inobedientiam, de inobedientia ad excommunicationem cecidit, & de excommunicatione pervenit ad idololatriam. Hunc talem, ſicut diximus, Rex Henricus adoravit pronus in terram; qui etiam ſuadente Dionyſio Placentino Epiſcopo, juraſſe aſſeritur, ut ab eo Imperii coronum acciperet &c.* Iiſque peractis, *ad propria in octavis Apoſtolorum* Henricus *regreſſus eſt; Guibertus vero hæreſiarca inſignitus Papalibus inſignis, cum complicibus ſuis pompoſe intravit Italiam.* Eademque Aragonienſis Cardinalis, ſicque quod anno proximo, ut ibidem diximus, in ſynodo Moguntina tentatum fuerat, ſed refu-

Murat. tom. 3. pag. 312.

retugiente, & remordente Episcoporum conscientia effici nequaquam potuit, post Rodulphi obitum, aucto Henricianæ partis sectatorum numero, Brixiæ seu Brixinone ab schismaticis Episcopis triginta circiter patratum fuit, ac deinde in frequentiori Papiensi synodo, in qua plures Longobardiæ Episcopi Gregorio infensi, utpote ob simoniam, ac luxuriosam vitam excommunicati, adfuerant, ratum comfirmatumque fuit, in qua etiam Guibertus in Brixiensi conventu ante electus, ordinatus fuit, assumpto Clementis tertii nomine, cujus electionem, ordinationemque in Antipapam, etsi veteres chronologi, recentioresque historici cum anno elapso 1080. alligaverint, ad labentem tamen 1081. Brixiensem æque, ac Papiensem synodum revocandas esse probabilius censet Mansius, ut in prolixiori nota ad hunc annum animadvertit, variisque conjecturis confirmat. Inter cetera Papiensi synodo Henricum præsentem fuisse, narrat Norbertus Abbas Viburgensis in vita Bennonis Episcopi Osneburgensis ab Heccardo vulgata tomo secundo hist. Germanicæ, ubi Bennonem ibidem adfuisse narratur; & ad Regem adductum, coram eo, *plenissime se de omni infidelitate purgavit*. ait is auctor: cetera in hujus rei probationem ab Mansio adducta, brevitatis studio præterimus; hoc unum, uti supra adnotavimus, addentes, quod si tota rerum gestarum series attente perpendatur, cum Kal. Octobris Rodulphum Henricus vicerit, hoc tantum anno infaustum schisma tentare, ac perficere potuit, quo etiam in Italiam, ut schismaticos in suas partes retineret, comfirmaretque, atque ad nefandum opus impelleret, intravit, ac Romam usque perrexit, ut paulo post dicturi sumus. Jesu Chr. an. 1081.

2. Quænam autem Gregorio crimina objecta fuerint, quorum eumdem e Romana sede abjiciendum schismatici judicarunt, Brixiensis pseudosynodi acta ab Uspergensi relata, hæc continent; Anno Domini 1080. cum apud Brixiam Noricam triginta Episcoporum conventus, nec non & optimatum exercitus, non solum Italiæ, sed & Germaniæ jussu Regis Henrici congregaretur, factus est omnium consensus adversus Hildebrandum Papam, cognominatum Gregorium septimum, quem pseudomonachum, totiusque vesaniæ pestiferum Principem, & præcipue sanctæ Romanæ Sedis invasorem affirmantes, ab Apostolica Sede depellendum, quamvis Crimina Gregorio conficta, ejusdemque condemnatio.

Jesu Chr. an. 1081.

vis abſentem dijudicabant, & Wigbertum Ravennenſem Archiepiſcopum ipſi ſubrogandum eligebant. Hujus decreti concluſio hæc eſt: Quia inquiunt, illum conſtat non a Deo electum, ſed a ſeipſo, in fraude, ac pecunia impudentiſſime objectum: Qui Eccleſiaſticum ſubvertit ordinem: Qui Chriſtiani Imperii perturbavit regnum: Qui Regi Catholico ac pacifico corporis & animæ intentat mortem: Qui perjurum defendit Regem: Qui inter concordes ſeminavit diſcordiam, inter pacificos lites, inter fratres ſcandala, inter conjuges divortia: & quidquid quiete inter pie viventes ſtare videbatur, concuſſit. Quadecauſa hanc adverſus eum ſententiam protulerunt. Nos, auctore Deo, congregati in unum, Legatis, ac litteris freti decem, & novem Epiſcoporum, die ſancto præteritæ Pentecoſtes Moguntiæ congregatorum, contra eundem Hildebrandum procaciſſimum, ſacrilegia ac incendia prædicantem, perjuria & homicidia defendentem, Catholicam & Apoſtolicam Fidem de corpore & ſanguine Domini in quæſtionem ponentem, hæretici Berengarii antiquum diſcipulum, divinationum ac ſomniorum cultorem, manifeſtum necromanticum, phytonico ſpiritu laborantem, & idcirco a vera Fide exorbitantem, judicamus canonice deponendum, & expellendum, & niſi ab ipſa Sede, his auditis, deſcenderit, in perpetuum condemnandum. *Facta ſunt autem hæc ſeptimo Kal. Julii feria quinta, Ind. IX. tertia*: Hæc apud Urſpergenſem concinnata (ut diximus) ex Bennonis calumniis, aliique ſchiſmaticis.

Viberti ordinatio ubique exoſa.

3. At quantum hæc cunctis per orbem chriſtianum fidelibus ex clero, & populo execrationi fuerint, inter plurimos audiatur Hugo Flaviacenſis in chronico Virdunenſi, ubi poſt relatam Henrici victoriam, anno proximo, *in quo Rodulphus Rex cecidit*, ſtatim ſubdit. *Sequenti anno Vibertus invaſit ſedem Apoſtolicam damnatis & excommunicatis ſuique ſimilibus in apoſtaticum non Apoſtolicum electus. Quæ conſpiratio primum facta eſt apud Brixiam, ubi congregati aliqui Epiſcoporum de ſynagoga Satanæ, traditi in reprobum ſenſum, & contra fidem, quæ eſt confeſſio Petri, & ſanctam ſedem ejus, Romanam eccleſiam turpia, & nefanda jacentes, ad plenitudinam damnationis ſuæ elegerunt Vibertum hæreſiarcham de ſui ſimilibus & deſperata ſuperbia apoſtolicum eum vocantes, apoſtatam non apoſtolicum effecerunt. Qui idcirco omnium fide-*

fidelium odio dignior est, quia cum a principibus, Henrico scilicet Rege depositio, & ceteris hujus perditionis ministris quæsitum esset, quis ad impugnandum sanctum virum, Papam videlicet Gregorium falsitatis vexillum susciperet, nemo omnium tam audax, tam præsumptor, desperatus vel perditus inventus est, qui naufragium fidei subire deligeret, præter eum solum. Qui idcirco, credimus antichristi negotium susceptit, ut ruinam Archiepiscopatus Ravennensis, quam pro suis criminibus eodem grege præsidente synodali judicio perdiderat, susceptione oblati periculi compensaret. Aderat in Conventu illo malignantium multus numerus damnatorum, quos ad persequendum amatorem justitiæ communicatio criminum & amor principis illuxerat, eum solum invenit diabolus promptiorem, cui malitiæ suæ omnem principatum committeret. Suscepit itaque sedem Satanæ, & in cathedra pestilentiæ sublimatus, impiorum mentes ad expugnandum nomen Domini exacuebat, factus omnibus foveæ peccandi &c.

Jesu Chr. an. 1081.

Labb. pag. 387.

4. Eodem stylo schismaticam Guiberti electionem Cohebaldus Salisburgensis Episcopus ad Herimannum Metensem Episcopum scribens insectatus est, ac inter cetera hæc adnotat. *Vibertus quondam Ravennas Archiepiscopus, non semel damnatus, & excommunicatus ab Apost. sede in perjuriis inveteratus, & pro eisdem irrecuperabiliter depositus & anathematizatus sedem Romani Pontificis, cui obedientiam juravit, per manus anathematizatorum, utpote sui similium, invasit, legitimo pastore adhuc eidem sedi præsidente. Ipsorum autem excommunicatorum nullus eum consecrare, vel potius execrare præsumpsit, præter Mutinensem, & Aretinum Episcopos, qui ambo pro suis criminibus jam annis tribus officio & communione caruerant.* Quo solo titulo illegitimam Guiberti ordinationem fuisse addit, cum solis cardinalibus Episcopis, Albanensi, Hostiensi, & Portuensi Pontifices Romanos ordinandi jus esset, ut ibidem adnotat Gebehardus Salisburgensis Episcopus. Hinc etiam factum, ut auctor quoque vitæ Henrici, etsi eidem impense faveret, utpote familiaris ejusdem, dum pro eo apologiam texere conatur, excusationesque in peccatis ejus quæreret; facinus nihilominus excitati ab eo schismatis in procuranda Guiberti ordinatione excusare non est ausus, hæc in eam rem adnotans. *Cernens autem Rex Apostolicum ad hoc tendere, ut se Regno privaret, nec alia sua*

Cohebaldi Salisburge. Episc. epist. de Guiberti ordinatione.

Labb. tom. 10. pag. 388.

JESU CHR. AN. 1081.

obedientia contentum, nisi ut Regno renuntiaret, ex obedientia in rebellionem, ex humilitate in tumorem relabi coactus, hoc Apostolico facere parabat, quod Apostolicus sibi facere intenderat. Cessa, obsecro, Rex glorioſe, cessa ab hoc molimine, ut Ecclesiasticum caput de suo culmine dejicias, & in reddenda injuria te reum faciat. Pati injuriam felicitatis est, reddere criminis &c.

Henricus schisma confirmare frustra sitagit. *Epist.* 50. *opera Lanfr. pag.* 329.

5. Scelere patrato, jactisque funesti schismatis fundamentis, ut illud firmaret, legatos suos ad Principes christianos misit, ut eos ad Antipapæ obedientiam, obsequiumque præstandum excitaret, frustra tamen id operis susceptisse apud Gulielmum præcipue Angliæ Regem, testes supersunt Lanfranchi Cantuarienſis Archiepiscopi litteræ ad Henrici legatum datæ, quibus se nequaquam his consensum suum præbere testatur. *Lanfrancus Hug*, forte Hugoni, *litteras tuas quas mihi per portitorem meorum misisti, suscepi & legi, & displicuerunt mihi quædam quæ in eis inveni. Non probo, quod Papam Gregorium vituperas: quod Hildebrandum eum vocas: quod Legatos ejus Spinosulos nominas: quod Clementem tot & tantis præconiis tam propere exaltas. Scriptum est enim non esse laudandum in vita sua, nec detrahendum proximo suo. Adhuc incognitum est humano generi, quales nunc sint, & quales futuri sint in conspectu Dei. Credo tamen, quod glorioſus Imperator sine magna ratione tantam rem non est aggressus patrare, nec sine magno auxilio Dei tantam potuit victoriam consummare. Non laudo, ut in Anglicam terram venias, nisi a Rege Anglorum licentiam veniendi prius accipias. Nondum enim insula nostra priorem refutavit, nec utrum huic obedire debeat, sententiam promulgavit. Auditis utrinque causis, si ita contigerit, perspicacius quid fieri oporteat, provideri valebit.* Hucusque Lantfrancus suo, & Gulielmi Regis, ut verosimile est nomine, cui ceteros per orbem Principes, & religiosos viros subscripsisse scimus, nonnullis ex Germania, & Italia Episcopis exceptis, qui in schismate fovendo perseverarunt.

Anselmi Lucensis Episc. Apologia pro Gregorio. *Biblioth. Patrum tom.* 18. *pag.* 602.

6. Et ne schismaticorum fraudibus fideles decepti in schisma ruerent, viri pietate & doctrina præstantissimi effecerunt: ex his omnium primus Anselmus Lucensis Episcopus occurrit, qui adversus Guibertum Pontificis Romani nomen sibi vindicantem, publicam scripsit epistolam, Encyclicam etiam

etiam dictam, quæ licet non extet, ejusdem tamen fragmentum recitat Uspergensis Abbas, qui etsi cum schismaticis conveniret, hæc nihilominus veritatis potentia victus retulit. *Scripsit post hæc Anselmus Lucensis Episcopus epistolam ad eundem Guibertum, in qua illum prævaricatorem ac superbum cognominat, inter alia subinferens: Ut ergo de B. Gregorio patre nostro dicam, quod de Cornelio scripsit B. Cyprianus: Factus est Episcopus de Dei & Christi ejus judicio: de clericorum pene omnium, & (ut uerius dicam omnino omnium testimonio) de plebis, quæ tunc aderat, suffragio, de sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio, cum nemo ante se factus esset cum Alexandri locus, id est cum locus Petri & gradus sacerdotalis cathedræ vacaret. Quo occupato & de Dei voluntate, atque omnium nostrum consensu ordinato, quisquis jam Episcopus voluerit fieri, foras fiat necesse est, nec habet Ecclesiasticam ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet unitatem. Quisquis ille fuerit, licet multum de se jactans, sibi plurimum vindicans, probatus est alienus, foris est. Et cum post primum secundus esse non possit, quisquis post unum, qui solus debet esse, factus est, non jam secundus ille, sed nullus. Hæc priori sententiæ valde contraria scripsit Anselmus Episcopus, vir litteris apprime eruditus, ingenio acutissimus, facundia præcipuus, & (quod omnibus majus est) in Dei timore, & sancta conversatione nominatissimus: adeo ut tam in vita, quam post mortem referatur miraculis clarus &c.* Deperditæ epistolæ damnum ejusdem Anselmi libri duo Apologetici pro Gregorio Papa scripti satis compensant, etsi secundus fine careat, quibus omni argumentorum genere & Gregorii innocentiam, legitimamque ordinationem vindicat, ac immane schismatis facinus, ob Guiberti ordinationem, excitatum detestatur, ut ibidem videre est. Jesu Chr. an. 1081.

7. Iisdem vestigiis cum Episcopo suo adhæsit auctor vitæ Anselmi, Presbyter ipsius pœnitentiarius, qui dum res ab eo gestas describit, de Guiberto Antipapa, qui olim Gregorium Pontif. coluerat, dignoque obsequio veneratus fuerat, hæc adnotat. *Hic namque, nobis cernentibus, omnem obedientiam, & subjectionem dom. nostro Gregorio Papæ exhibuit. Sed & ipse Gregorius cum honore illum ac dilectione in sacro Lateranensi palatio recepit hospitio, & proximum etiam illum a dextris suis in sancto habuit concilio, & primum in omnibus, quibus digne* Gregorii Papæ apologia.

JESU CHR. AN. 1081.

oportuit. Ille autem non post multa per ſuperbiam incidis in inobedientiam. Et inferius, cum quaſi per larvam impoſitam transformatus in Papam hæc ſubjicit: *In ejus promotione ſcilicet Romæ non queritur, nec Romanus aut Clerus, aut populus. Unus quidem aſſuit Hugo nomine Candidus facie, nigerrimus, mente Cardinalis olim, ſed dudum pro ſuis ſceleribus juſte excommunicatus, & abjectus. Hic damnatus damnatum, perjurus perjurum, parricida laudat parricidam; in loco ſiquidem horrido & aſperrimo, in mediis nivalibus Alpibus, ubi fames aſſidua, frigus pene ſempiternum, locus iſte, vicus eſt pro civitate, qui Brixinorium vocatur, alti montis circumdatum ſcopulis, ubi vix etiam nomen obtinetur Chriſtianitatis, promovetur.*

Alii Gregorii Papæ Apologiſtæ. *Murat. tom. 5. rer. Ital.*

8. Eadem fere cum Anſelmo ceteri Gregorii Apologiſtæ, ii præcipue qui ejuſdem geſta ſcripſerunt, Pandulphus ſcilicet Piſanus, Nicolaus Cardinalis Aragonienſis, Paulus Bernriedenſis, aliique; Pro Henrico tamen Imp. qui Apologias ediderit, vix quiſquam inventus eſt, ſi Bennonem excipias, mendaciorum calumniarumque conſarcinatorem, qui eum excuſaſſe omnino auſus ſit. Nam vel ipſe vitæ Henrici ſcriptor excuſare, vel potius culpam minuere conatus eſt, laude digniorem dicens, ſi injuriam acceptam patienter toleraſſet, nec graviori injuria, (ſchiſmate ſcilicet conflato) vindicaſſet. His ſimilia Auctor de Unitate eccleſiæ dum Henrici apologiam texit, quem Venericum Vercellenſem Epiſcopum quidam dicunt, alii Vultramum Naburgenſem, ex Marquardi Freherii bibliotheca Francofordiæ editus, nam in eo opuſculo is auctor, id tantum probare contendit, Romani Pontificis, tamquam eccleſiæ Primatis, ampliſſimam in tota eccleſia auctoritatem eſſe, juſtam tamen cauſam Gregorio defuiſſe addit, ut Henricum excommunicatione perculſum Regno privaret, ac ſubditos ab jurata eidem fide liberos declararet, eo quod ſicuti *omnis poteſtas*, ſic Regni, *a Deo eſt*, tum etiam quia inde innumera in eccleſia, & Imperio mala sequuta ſunt. Hinc ut fuſiori ſtilo proſequitur. *Facta diviſione Imperii ſimul, & Sacerdotii, ſurrexit Rex adverſus Regem, gens adverſus gentem, Epiſcopi contra Epiſcopos, populus contra populum. Exinde vero quantæ cædes factæ ſint hominum, quantæ eccleſiarum deſtructiones, quanta etiam rerum confuſio exinde facta ſit in omni eccleſia, indi-*

Tom. 1. rerum German. pag. 155.

gere

gere videtur tragœdia magis, quam historia &c. Hæc, & alia ibidem, quæ persequi longum esset, ac quanta ex funesto hoc schismate detrimenta inde derivata sint in ecclesiam, & Imperium, dicenda inferius demonstrabunt. JESU CHR. AN. 1081.

9. Nunc reliqua Henrici gesta hoc anno prosequentes addimus eumdem conflato jam schismate, Romam cum idolo suo, seu Guiberto Antipapa perrexisse, ut ibidem, ait Bernriedensis, sicut olim aurea statua Simoniacis, in Rom. civitate erecta fuerat, ita ipse Guibertum, Gregorio dejecto & relegato, erigeret, spe tamen sua frustratum inde recessisse, his verbis narrat Nicolaus Aragonienſis in vita Gregorii. *Post Pascha cum idolo, quod erexerat Romam veniens circa Pentecostem castrametatus est in prato Neronis. Sed quis tantorum prudentum virorum admirari non poterat Regis, & Guiberti Hæresiarchæ apertam insaniam, & impudentem stultitiam? Quamvis mentis oculos jam perdiderant, visus tamen corporis non amiserant: an non videbant illam bestiam, quæ ab eis ducebatur, quam honorifice a Romanis suscipiebatur, & venerabatur? Quippe pro laudibus ei exhibebant convitia, pro canticis ululatus, pro cereis lanceas, pro cœtibus Clericorum armatos. Ut autem in paucis plurima perstringamus, post agrorum vastationem, & multas cædes suorum civium, post varias clades, atque miserias, quas perpessi sunt Romani, quia Pseudoprophetam recipere contempserunt, Rex concepta spe, ac desiderio suo fraudatus, & in sua erubescentia confusus, in Longobardiam cum suo idolo remeavit, & Dominus Papa in Apostolica Sede remansit intrepidus &c.* Hæc ibidem: de Henrici autem ad urbem adventu, & reditu, hæc etiam Lupus Protospata in chronico ad hunc annum. *Alemannorum Rex Henricus venit Romam ut ejiceret exinde Papam Gregorium.* Bertoldus vero in suo chronico hæc addit. *Henricus post obitum Rodulphi Regis Veronam in Pascha venit, & inde ad invadendam Romam cum suo non Apostolico, sed apostata Guiberto, utpote Domini Apostolici non semel perjuro & anathematizato, profectus, sed mox regressus est.* Eademque de primo Henrici in urbem adventu, & reditu Albertus Stadensis, Sigebertus, aliique, præ ceteris audiatur adhuc Bonizo Sutrienſis Episcopus. *His elatus successibus,* Henricus *de repente Italiam intravit, & post Pascha ducens secum Bestiam,* seu Antipapam, *Romam tendit, & in vigilia Pentecostes in prato Neronis*

Henricus Romam cum Antipapa venit.

Murat. tom. 3. pag. 312.

Henricus gesta in Longob. redit.

Murat. tom. 5.

JESU CHR. AN. 1082.

nis coſtra metatus eſt &c. Ac inde re infecta in Longobardiam rediiſſe addit.

Gregorii epiſt. ad Ep. Apuliæ, & Calabriæ de ſchiſmate conflato, *Lib.* 8. *epiſt.* 5.

10. Gregorius autem tanta infeſtatione vexatus, atque in tantis conſtitutus periculis ad omnes Apuliæ, & Calabriæ Epiſcopos litteras dedit, quibus eos de conflato ſchiſmate certiores reddidit, & ut caverent, ac ut orationibus aliisque modis Romanam eccleſiam adjuvarent, hortatus eſt. *Fraternitatem veſtram*, ait, *credimus non latere, quod plures ſatanæ diſcipuli, qui falſo nomine per diverſas regiones cenſentur Epiſcopi, diabolica inflammati ſuperbia, ſanctam Romanum Eccleſiam conati ſunt confundere, ſed per auxilium omnipotentis Dei, & auctoritatem B. Petri iniqua eorum præſumptio, ſicut eis verecundiam & confuſionem, ita Apoſtolicæ ſedi gloriam contulit, & exaltationem. Siquidem a minimo uſque ad maximum, videlicet Henricum Regem, qui vertex & auctor peſtiferi conſilii fuiſſe probatur, per plurima corporum & animarum pericula perſenſit, quantas B. Petri auctoritas ad ulciſcendam eorum iniquitatem vires obtineat.* Ac Cadolao ſchiſmatico olim Henricum faviſſe, ac Longobardiæ Epiſcopos adverſum ſe triennio ante excitaſſe addit, nunc vero frontem ſuam meretricio more Henricus cum ſociis ſuis induraſſe, *Priſtinam conſpirationem adverſus Dominum & ſanctam univerſalem eccleſiam conati ſunt innovare, & hominem ſacrilegum, S. R. Eccleſiæ perjurium, nec non per univerſum Romanum orbem nefandiſſimis ſceleribus denotatum. Guibertum dicimus S. Ravennatenſis eccleſiæ devaſtatorem AntiChriſtum ſibi, & hæreſiarcham conſtituere.* Deinde poſt aliqua in tanti ſceleris deteſtationem dicta. *Vos itaque fratres dilectiſſimi*, addit, *innocentiam communis matris veſtræ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ perpendentes, & quantum diabolus membra ſua ad inferendam præfatæ Romanæ Eccleſiæ inquietudinem exerceat, conſiderantes; ſicut decet, & officii veſtri debitum exigit, orationibus, aliiſque modis, quibus laboranti matri ſuccurrendum eſt, operam ſtudiumque impendite, quatenus appareat vos legitimos ejus filios eſſe, ipſiuſque contumeliam, partita nobiſcum laboris diligentia; ex conde ſentite. Quod ſi fueritis ſocii compaſſionis, eritis, auxiliante Deo lætitiæ participes & conſolationis. Cætera, quæ non inſeruimus, Legatis noſtris, quibus ſicut nobis credere poteſtis, referenda commiſimus.* Datum Cecani, ſeu Ceprani Campaniæ oppido 12. Kal. Auguſti.

11. Cum-

11. Cumque non ignoraret Gregorius, quod Henricus Romam proficiscens, ab Roberto Apuliæ, & Calabriæ Duce auxilium petierat, ut sociatis armis, & consiliis, Gregorium Romana Sede ejiceret, de his Desiderium Cassinensem Abbatem, & Cardinalem admonuit, & ut Robertum in officio, fideque sibi jurata retineret, admonuit. *Fraternitatem tuam dilectissime*, inquit, *cognoscere volumus, quod sicut pro certo didicimus, Henricus dictus Rex in suburbanis Ravennæ moratur, disponens, si poterit, Romam circa Pentecostem venire. Quem certissime scimus ex Ultramontanis, & Longobardis parvam manum habere. Audivimus autem, quod ex his, qui circa Ravennam, vel in Marchia morantur, putet exercitum cum quo veniat, colligere: quod fieri minime credimus, quoniam nec etiam focum ab his, per quos transitum habet, habere potest &c.* Quare eum excitat, *Ut quemadmodum te decet, ita nobis adhæreas, quatenus S. Matris tuæ Romanæ ecclesiæ honor, quæ de te multum confidit, nunc, & semper robur obtineat*; Et de Roberto Duce, quem in suas partes Henricus trahere conabatur, hæc subdit. *Hoc etiam te scire volumus, quod Comitissa Mathildis litteras ad nos dixerit, quibus continetur hoc, quod quemadmodum a familiaribus ipsius pro certo cognovit, præfatus Rex placitum cum Roberto Duce habeat, videlicet, hoc, ut filiam ipsius Ducis accipiat, & Rex Duci Marchiam tribuat. Quod Romani facile credent, si viderint Ducem adjutorium, sicut juramento fidelitatis, nobis promisit, subtrahere. Sed prudentia tua sollicite invigilet, & quid super hac re actum sit, diligenti examinatione cognoscat. Tu ipse etiam quantocyus ad nos propera. Scias præterea, quod Romani, & qui circa nos sunt, fide, & prompto animo, Dei, & nostro servitio parati per omnia existunt.* Hucusque epistola Gregorii ad Desiderium, qui quomodo se gesserit pro Gregorio, dicemus anno sequenti. Et epistola altera eumdem Desiderium admonet, ut solerter inquirat, num idem Robertus juxta spem datam, fidemque juratam, Romanæ ecclesiæ cum exercitu succurrere paratus sit. *Præcipue autem ejus voluntatem*, ait Pontifex, *in his agnoscere te cupimus, scilicet si necessaria nobis expeditio fuerit, post pascha, an per se, vel per filium suum, se decenter succursurum fiducialiter polliceatur. Si vero hoc non potuerit, quod milites post paschale festum, ut in familiari militia beati Petri*

Jesu Chr. an. 1081.

Gregorii epist. ad desiderium Cassini Abb. de Henrici in urbem adventu.

Lib. 9. epist. 11.

Lib. 9. epist. 4.

JESU CHR. AN. 1081.

tri fini, se destinaturum indubitanter promittat. Hoc etiam solerter procures advertere an illos dies, videlicet quadragesimales, quibus Nortmanni solent pugna vacare, præfatus Dux assentiat hoc pacto Deo offerre, ut una vel nobiscum, vel cum nostro Legato, ad aliquas terras beati Petri, quo invitatus fuerit competenter instructus accedat. Cum etenim circa Pentecostes festum, Henricum hostili animo ad urbem adventurum sciret, hinc ut circa, vel post Pascha, ut Robertus auxilio futurus adesset, sollicitior fuit,

Gregorius ab Roberto auxilium postulat.

12. Cumque ob expeditionem in Dalmatiam ab Roberto hoc anno susceptam, nullum urbi auxilium tulisset, postquam bellum ibidem susceptum feliciter inchoaverat, ob victoriam habitam cum eo gratulatus, ut tandem promissum auxilium Romanæ Ecclesiæ præstaret, his verbis excitavit. *Memento itaque matris tuæ sanctæ Romanæ ecclesiæ, quæ de te inter cæteros principes specialiter confidit, & peculiariter diligit. Memento quod sibi promisisti, & quod pollicitus es (cui etiam non promittens, ex jure Christianitatis debes adimplere) cum promiseris, non ulterius differas. Non enim ignorat, quanta perturbatio contra eam per Henricum dictum Regem sit orta, quantumque tuo, qui suus es filius, auxilio indigeat. Age ergo, ut quantum sludet filius iniquitatis adversari, non minus debeat de tuæ devotionis opitulatione mater ecclesia gratulari &c.* Hæc Gregorius, hoc labente anno, vel forsitan sequenti, nam nullam temporis notam, hæc Gregorii epistola præfert. Eodem autem tempore quo ab Roberto auxiliares copias ad urbem obtinendam Henricus petierat, eodem, inquam, eum Gregorius rogaverat, ut sibi auxilium præstaret, utrosque se-

Lib. 1. pag. 33.

feliisse Anna Comnena scribit. *Regi quidem alio modo, ac sine litteris respondit.* Papæ vero hanc scripsit epistolam, cujus

Roberti Ducis epist. ad Gregorium.

hæc erat inscriptio. *Summo Pontifici, & Domino meo Robertus Dux in Deo.* Ac se, fama vulgante, quod incursionem pateretur, accepisse addit. At gravissimo tunc se bello implicatum teneri subdit, tandem. *Ad te quod attinet, fidem tibi ex intimo animo me debere profiteor, quam & præstabo cum tempus aderit.* Promissisque stetisse suo loco videbimus. De

Murat. tom. 5. lib. 4. pag. 271.

Henrici etiam legatione ad Robertum missa, ut eum ad ferenda contra Gregorium, & urbem arma sollicitaret, testis est Gulielmus Apulienfis hujus temporis scriptor, ac neu-

neutri ob susceptum in Dalmatia bellum tunc suppetias tulisse addit. JESU CHR. AN. 1081.

Ante tamen paulo quam transeat, accelerare
Hunc Regis mandata monent, quem Papa notarat
Regno privare censens: ut conferat illi
Auxilium contra Papam, tumidosque quirites
Qui facti fuerant non cum ratione rebelles:
Tempore Rex Romam venient obsederat illos.
Dux quamquam placidi dederit responsa favoris:
Legati redeunt sine quolibet emolumento.
Gregorio Papæ, cui pura mente favebat,
Omnia notificat, damnati nuncia Regis,
Seque fatetur iter nullatenus illud iniisse,
Adventum hostilem prænoscere si valuisset:
Sed quia jam tantas compleverat ipse paratus,
A tantis se posse negat desistere cœptis &c.

Sicque ab ferendo tunc auxilio se excusavit.

13. De ea Roberti expeditione inferius sermo fiet, nunc Gregorii gesta prosequimur, qui cum post Rodulphi obitum, Henrici Regis factionem, & schismaticorum numerum augeri cerneret, ad Haltmannum Patavienſem Episcopum, & ad Abbatem Hirsaugiensem communes litteras dedit, quibus de statu rerum cum in Italia, tum in Germania agit, ac ne temere novi Regis electio fieret, admonet, ubi post aliqua. *Notificamus autem*, ait, *dilectioni vestræ pene omnes nostros fideles, audita nece Rodulphi B. memoriæ Regis, niti ad hoc nos crebris adhortationibus flectere, ut Henricum, jam pridem, sicut scitis, plura facere nobis paratum, cui ferme omnes Italici favent, in gratiam nostram recipiamus: adjicientes, si ille in Italiam pro velle & conatu suo, non valens nobiscum habere pacem, contra sanctam Ecclesiam venerit, ex vobis frustra sperandum fore auxilium. Quod quidem si nobis, qui illius superbiam parvipendimus, deficiat, non adeo grave videtur. Si vero filiæ nostræ Mathildi, cujus militum animos ipsi perpenditis, a vobis suffragatum non fuerit; quid aliud restat, nisi ut eum sui resistere recusaverint, quam utique hac in re pro injana habent, ipsa vel coacta illius pacis acquiescat, aut quidquid pos-*

Gregorii epistola ad Altmannum Patavien. Episc. & Abbatem Hirsaug. *Lib. 9. epist. 3.*

JESU CHR. AN. 1081.

fidere videtur, amittat? Quamobrem summopere niti vos oportet eam certam reddere, an ex vobis præsidium expectare firmiter debeat. Si Henricus forte Longobardiam intraverit, admonere te etiam chariss. frater volumus Ducem Welphonem, ut fidelitatem beato Petro faciat, sicut coram Imperatrice Agnete, & Episcopo Comano mecum disposuit, concesso sibi post mortem patris ejus beneficio &c. Is porro Velpho, ut ex Lamberto supra diximus Azonis Marchionis filius erat, qui primum contra Saxones pro Henrico militaverat. At Bavariæ ducatu, unde Otto exciderat, cum excluſus fuiſſet, eo quod Corrado filio ſuo Henricus dederat, ab eo deficiens, Rodulphi partes hactenus ſecutus fuerat, deinde ne temere & abſque matura deliberatione novus in locum Rodulphi Rex Germaniæ eligeretur, eoſdem Gregorius admonet, & ut ceteros in Germania eccleſiæ Romanæ fideles admonerent, jubet; litteris autem ſuis juramenti formulam ab Rege eligendo præſtandi addidit, quo veram obedientiam Gregorio Papæ, ejusque ſucceſſoribus promittere debebat, & quidquid Romanæ Eccleſiæ, vel Conſtantinus Imperator, vel Carolus, aut quilibet alius donaverat, reſtituturum, ſi quid tamen in ea juramenti formula minuendum, vel augendum cenſuiſſent, eorum prudentiæ remittebat. *Non tamen prætermiſſo integro modo, & obedientiæ promiſſione.* Hæc ibidem Gregorius.

Gregorii encyclica epiſt. ad omnes fideles, eoſdem ad patientiam excitans. *Lib. 9. epiſt. 21.*

14. Eodem tempore ad omnes Epiſcopos, Abbates, Clericos, & Laicos Apoſtolicæ Sedi fideles litteras dedit, quibus orationum ſuffragia ab iis poſtulavit. *Scimus fratres cariſſimi*, ait, *quia tribulationibus & angustiis noſtris compatimini, & in veſtris orationibus ante dominum memoriam noſtri habetis, quod idem nos erga vos agere non dubitetis &c.* Cum id mutuæ charitatis vinculum exigeret, ut & conſtanti animo tribulationes pro eccleſia Dei ſub immenſa ſpe futuri præmii perferrent, hortatur, ut ibidem videre eſt; Eaque epiſtola, fideles ubique quaſi claſſico ad perferendam perſecutionem ab Henrico adverſus Gregorium, ejuſque fautores motam excitavit, quæ ſane graviſſima fuit.

Henrici adverſus eccleſiam perſequutio.

15. Nam ut narrat Bertoldus. *Henricus totam Italiam adeo conturbavit, ut nullus ſecurus ad limina Apoſtolorum ire poſſet, qui non prius abjuraret, quod ad Papam Gregorium diverſurus non eſſet.* De eadem Henrici perſecutione agens Deusdedit Cardinalis in commentario ad Victorem Papam Gregorii ſuc-

JESU CHR. AN. 1081. *Lib. 7. num. 19. pag. 85.*

ſucceſſorem dato, quod in noſtra Bibliotheca manuſcriptum ſine carens ſervatur, de privilegiis Romanæ eccleſiæ agens, in quatuor partes totum opus diſtribuit, ut ipſo in exordio his verbis docet. *Primus liber continet privilegium auctoritatis ejuſdem Romanæ eccleſiæ. Quoniam Eccleſia ſine Clero eſſe non poteſt, nec Clerus abſque rebus, quibus temporaliter ſubſiſtat, huic ſecundum ſubjunxi de Clero & tertium de rebus ejuſdem Eccleſiæ. Quia vero ſæculi poteſtas Dei Eccleſiam ſibi ſubjugare nititur; libertas ipſius & Cleri & rerum ejus tertio, & maxime quarto libro evidenter oſtenditur.* Et de præſenti ſchiſmate agens, cujus auctorem Guibertum fuiſſe tradit, qui veluti alter Simon, qui Neronem ſeduxerat, ſic iſte Henricum. Hic, inquam, Deuſdedit Cardinalis Henrici perſecutionem ab hoc anno, quo in Italiam intravit, uſque ad finem exponens hæc habet. *Tandem præfatus tyrannus Henricus induratus, ut Pharao, relictis ad reſiſtendum in Germania copiis, aſſumpto partim ſuo, partim conductitio ſive gregario exercitu, Romam, & ſuburbana ejus depræda tionibus, ac incendiis, & cædibus quibus valuit, quadriennio devaſtavit, & tandem ſuo Simone magis pretio, quam vi inthronizato, ab eodem Imperialem coronam accepit. Et* paulo poſt *cum eodem, militari Northmannorum manu Ducis Roberti, qui in auxilium domini Papæ Gregorii in Hadrianeo degentis concite affuit, turpiſſime fugatus abſceſſit.* Et *tam non faventibus, quam non communicantibus, ſi ac ſuis complicibus, & Romæ, & omni regno ſuo ſæviſſimam, & diuturnam intulit perſecutionem. Hujus rei cauſa & Eccleſiæ pene totius regni deſolatæ, & Chriſtiana religio propemodum diſſipata, & nonaginta millia hominum, & eo amplius in diverſis regionibus, beato Papa Guiberto cooperante cæſa ſunt. Qui etiam pulſis Catholicis Epiſcopis, & Abbatibus, ſceleratos & idiotas ſingulis civitatibus, & xenodochiis, vel Eccleſiis ſingulos, interdum autem binos, vel annuos prælatos damnabili prioris & magiſtri ſui Guiberti Simonis mercimonio ſubſtituens, depræda tionibus ſanctorum locorum, Chriſtianorum ſibi non faventium, immo etiam faventium, dum non eſſet, qui armato reſiſteret, longe lateque voluntate quidem non minus ſeu Nerone, ſed minus poſſibilitate graſſatus eſt.* Quem tamen non multo poſt, *unius feminæ*, ideſt Mathildis Comitiſſæ viribus contritum, dejectumque fuiſſe addit.

JESU CHR. AN. 1081. Guiberti Antipapæ extrema fata.

16. De Guiberto autem Antipapa, qui ut subdit. *Multo rectius Papa demens, quam Clemens dici debuit, in oppidulo suo, quod Argentum dicitur, quasi ad sui munitionem celsa turri fabricata præstolatur simoniacos angelos, cum quibus volando, in putidissimas stygias paludes corruat fractis cruribus scilicet rebus suis. Deo nobis propitio, jam propemodum confractis, & ad nihilum redactis. Cui nemo Apostolicam reverentiam, sive obedientiam exhibuit, præter suum Neronem, & scleratos complices ejus, qui se illi propter avaritiam, quæ est idolorum servitus, vel perpetuo, vel ad tempus, facto jurejurando vendidere: quorum plurimi, quibus perfidia claruerat, dum execranda sacrificia celebrat, ne interessent, aufugiebant, scientes eumdem nulli Romanorum successisse Pontificum, sed præscripto modo perjurium & invasorem ac simoniacum, Henricum videlicet Regem, domino Gregorio Papæ fuisse superinductum, &c.* Hæc de his Deusdedit usque ad tempus, quo ista scribebat, sub Papa Urbano, adhuc superstite eodem pseudopontifice Guiberto.

Mathildis præcetteris Henrico resistit. *Murat. tom. 5. rer. Ital.*

17. Et sane quanta fuerit piæ feminæ, Mathildis scilicet Comitissæ in defensione Gregorii, fovendisque catholicis sollicitudo, quæ breviter attigit Cardinalis Deusdedit, multis versibus narrat Donizo in ejus vita, inter cetera de Henrici in Italiam adventu agens.

Italiam rursus spatium post temporis unum
Ingreditur. Terram totam maculabat aberrans.
Sola resistit ei Mathildis filia Petri:
Rex exardescens contra quam concitat enses,
Prælia, terrores, & castris obsidiones.
Ad nihilum pugnat. Non hæc unquam superatur,
Diligitur valde. Villas defendit & arces.

Quanta autem pietatis officia Henrici persecutionem fugientibus exhibuerit, his aliis versibus exponit.

Catholicis prorsus fuit hæc totus quasi portus.
Nam quos damnabat Rex, pellebat, & spoliabat
Pontifices monachos, clericos, Italos quoque Gallos,
Ad vivum fontem currebant funditus omnes,
Scilicet ad dictam dominam jam mente benignam:

Qui-

Quique requirebant apud ipſam reperiebant,
Defuit haud ulli, quin profuit optima cunctis,
Non ab ea mœſtus ſi quis vir venit honeſtus
Unquam præteriit; ſed conſolatus abivit.
Veſtibus e ſacris multos hæc nota Ducatrix
Patres Catholicos veſtiſſe quidem reminiſcor,
Inter quos fuit & venerandus Epiſcopus urbis
Lucenſis. Et inferius.
Nam quos ipſa valet pravos convertere mater,
Quantiſcunque modis quit, agit in omnibus horis.
Multos cum feudo, multos munus tribuendo;
Rogando plures; caſtellaque ſæpius urens:
Regis ab obſequio jugiter disjungit iniquo.
Ultramontanis ac Principibus ſibi charis
Errores Regis ſcribit vitare rebellis.
Sicque Deo multum generabat credula fructum.
Gregorio Papæ proceres, ſervire ſuadens,
Mittere cui gratis crebro ſolet in Lateranis
Xenia multa nimis, quam Papa pie benedicit.
Bis centum libras domus argenti Canuſina
Tunc miſit Papæ, quam debet Papa beare.

JESU. CHR. AN. 1081.

18. Hinc non mirum, ut quam ubique votis ſuis adverſari Henricus ſciebat, in eam præcipue fureret, atque ut narrat Presbyter pœnitentialis in vita S. Anſelmi Lucenſis cap. 4. de Henrico agens. *Collecto exercitu Romam tendit, atque primo mox ingreſſu omnem furorem ſuum in ſupradictam Dominam Mathildam convertit, villas incendit, caſtella diruit, quæ tamen divinu ſe protegente miſericordia non nimium detrimenti ſuſtinuit.* Cum ad defenſionem & vim vi repellendam parata eſſet.

Henrici in Mathildem furor.

19. Gregorius interea hoc anno legatos in Gallias miſit ut pecuniam exigerent, quæ Sancti Petri denarius dicebatur, a Carolo M. primitus promiſſa, totius autem exactionis ſummam, mille & ducentas libras fuiſſe epiſtola eadem teſtatur, præter quantitatem illam, quam ſponte quilibet amore S. Petri offerre ſolebat. Eodemque fere tempore Villelmum Rothomagenſem Epiſcopum, quod Apoſtolorum limina viſitare diſtuliſſet, nec hactenus pallium petiiſſet, gravibus verbis redarguit, cum annuatim undique barbaræ etiam gentes ad

Gregorius pecuniam in Gallia colligit. *Lib. 8. epiſt. 23.* *Lib. 9. epiſt. 1.*

JESU CHR. AN. 1081.

ad eosdem properarent, atque usquedum pallium habuerit, ab omni Episcoporum, Sacerdotum, vel ecclesiarum consecratione suspendit.

Lantfrancum ad Apostolorum limina Gregorius vocat. *Lib. 9. epist. 20.*

20. Acrioribus etiam litteris Lantfrancum Cantuariensem, alias etiam ad limina Apostolica vocatum, cum hactenus distulisset, arguit, ac nisi infra quatuor menses veniat, ab officio pastorali suspendit. *Sæpe fraternitatem tuam*, inquit, *Apostolica legatione invitavimus Romam venire, etiam pro Fidei & religionis Christianæ comprobatione: quod hucusque (sicut apparet) aut superbe, aut negligenter, nostra abutens patientia, distulisti, cum nec etiam canonicam excusationem prætenderis. Non enim labor aut difficultas itineris te sufficienter excusat, cum satis notum sit, multos longe remotos licet corpore invalidos & infirmos, & a lectulis vix valentes surgere, tamen B. Petri amore flagrantes, ad ejus Limina vehiculis properare. Quare Apostolica tibi auctoritate præcipimus, ut postposita occasione, & inani formidine, datis induciis quatuor mensium, postquam hæc nostra mandata ad notitiam tuam pervenerint, in præsentis anni festo omnium Sanctorum Romæ adesse procures & satagat, & inobedientiæ tuæ reatum per tantum temporis supportatum emendare non ulterius negligas. Quod si nec adhuc te mandata Apostolica moverint, sed ea dissimulans in contemptu durare malueris, & periculum inobedientiæ incurrere non erubueris (quod est quasi scelus idololatriæ, testante beato Samuele) a B. Petri gratia sciat te procul dubio removendum, & ejus auctoritate omnino feriendum, ita videlicet, ut si infra prædictum spacium ad nos non veneris, ab omni sis officio Episcopali suspensus.* Hæc Gregorius Romanæ Sedis privilegiorum studiosus exactor. Cui an Lantfrancus paruerit, ignoratur, nec eum Episcopatus sui tempore urbem unquam adiisse auctor vitæ ejus indicat.

Alia plurima Gregorii gesta. *Lib. 15. 8. 9. 22. 24. 25. 26.*

21. Inter hæc Apostolicæ sedis legatum in Galliis, Diensem Episcopum admonuit, ut cautius ageret, nec tam facile excommunicationis, aut depositionis sententiam ferret, Venetorum Ducem, ne amicitiam cum excommunicatis inire præsumeret, datis ad eum litteris rogavit, scripsitque de his ipsis ad Theobaldum Comitem, sanctæ Romanæ Ecclesiæ studiosum; Excommunicavit etiam Comitem Andegavensem ob injurias illatas Archiepiscopo Turonensi, necnon Jordanem Prin-

Principem Capuanum perjurum, eo quod ea, quæ Apostolicæ Sedi promiserat, præstare renuisset. Carnotensem Episc. reum juramento se purgare permisit, cum Romam veniisset. Hæc & alia ecclesiarum omnium sollicitudinem gerens, hoc tempore gessit Gregorius. JESU CHR. AN. 1081.

22. Inter tot lugubria, quibus Gregorii animus angebatur, divino prorsus consilio accidit, ut Visigothorum natio quædam, seu tribus, abjectis Idolis Christi fidem susciperet, unde Gregorius ad Reges eorum, initialibus tantum verbis L. & A indicatos litteras scribens, de susceptа fide gratulatur, et Deo gratias agit. *Frater noster Episcopus vester*, inquit, *ad Apostolorum limina veniens suggessit nobis de novæ gentis vestræ conversione, scilicet qualiter relicto Gentilitatis errore ad Christianæ Fidei veritatem pervenerit. Unde plurimum in Domino Lætati, miseratori omnium intimo corde gratias agimus, qui mentes vestras lumine suo visitare, & de tenebris ad lucem, de morte ad vitam dignatus est vos æterna sua benignitate reducere. Simul etiam ipsius ineffabilem misericordiam deprecati sumus assidueque postulare optamus, ut vos tam Fidei gratia, quam & bonorum operum fructibus & in hac vita vigere, & in futura Sanctorum cœtibus faciat annumerari &c.* Eosque ad bona sectanda opera excitat, ut reverentiam, & obedientiam Episcopis exhiberent, hortatur, ac ut clericos suos sæpe ad urbem mitterent, *qui & Sanctæ Romanæ ecclesiæ moribus plenius instrui*, & instructi valeant ad vos docte, *salubriterque quæ agenda sunt referre*. Hæc Gregorius. Visigotho rum conversio ad fidem Christi. *Lib. 9. epist. 14.*

23. Hoc eodem tempore Bertramnus Provinciæ Comes, Henrici Regis, utpote excommunicati, subjectionem declinans fidelitatis juramentum Gregorio præstitit, cujus hæc sunt verba libro nono epistolarum Gregorii inserta. *Ego Bertramnus Dei gratia Comes provinciæ, pro remissione peccatorum meorum, & parentum meorum offero, concedo dono omnem honorem meum, quantum ad me jure parentum pertinet, omnipotenti Deo, sanctis Apostolis Petro & Paulo, & domino meo Gregorio Papæ Septimo, omnibus successoribus suis ita ut quidquid placuerit deinceps domino Papæ Gregorio de me, & de toto honore meo, sine ullo contradicto faciat. Ecclesias autem omnes, quæ in mea potestate sunt, præfato domino Gregorio Papæ omnino dimitto, & omnibus successoribus suis,* Bertramni Provinciæ Comitis juramentum Gregorio exhibitum. *Epist. 12.*

JESU CHR. AN. 1081.

suis, & ad ordinandas eas juste & secundum Deum pro posse meo fideliter adjuvabo. Atque occasione inde sumpta, quod Henricus excommunicationi subditus esset, Provinciæ Comites, Bertramnus, aliique, ut Arnusicenses, Venusini, & Sabaudi pristinam libertatem recuperare conati sunt, quod ut facilius impetrarent, Rom. ecclesiæ se subditos futuros verbis saltem testati sunt, ut pluribus in eam rem allatis narrat Pagius ad hunc annum, atque ante annos aliquot hæc accidisse, nec temporis ordine servato, ad librum nonum epistolarum Gregorii inserta hæc fuisse monet. De Gregorii gestis, vel scriptis epistolis hoc anno hæc satis sint, præcipua adnotasse contenti ne integros epistolarum libros exscribere videamur.

Not. 8. 9. 10. 11. 12. 13.

Nicephorus Imp. deponitur, in monasterium relegatur.

24. Internis quoque externisque dissidiis turbatum concussumque hoc anno Orientale Imperium fuit; nam Nicephorus Botoniates, post varias adversus tyrannos concertationes e quibus incolumis evaserat, tandem hoc anno Imperio, malis artibus adepto, ejicitur, & in monasterium detruditur, ut pluribus Zonaras, & Anna Comnena, res non solum sui temporis, sed & domesticas prosequens, enarrat. Cum Nicephorus Botoniates Isacium, & Alexium fratres Comnenos, magnis auxisset honoribus, exercitibusque præfecisset, in eam facile dignitatem paulo post, & æstimationem venerunt, ut jam Imperii successores dicerentur. Qua de causa aulicorum, & præcipue duorum servorum quorum nomina Borillus, & Germanus erant, (qui apud Botoniatem tanti erant, teste Zonara, ut sursum deorsumque pro lubitu omnia miscerent, *atque ipsi etiam Imperatori & Domino imperarent.*) Horum itaque opera Isacius, & Alexius fratres de affectato Imperio accusati, adversus eos Imperatoris animum exacerbarunt. *Quo illi cognito, veriti ne quid in se gravius consuleretur*, Urbe excedunt, & universas pene legiones apud se trahentes, *in magna quintæ septimanæ Passionis Salvatoris nostri die* CPolim per vim, seu, ut narrat Zonaras militum proditione occupant, ac diripiunt. Quare Botoniates a suis relictus in monasterium fecessit, ubi & mortuus est, cum aliquamdiu ibidem supervixisset, eademque die; *Rebus sic pendentibus*, ut subdit Anna Comnena, *Alexius coronatur manu Patriarchæ Cosmæ, ac septimo post inaugurationem Alexii die*, ut subdit,

Pag. 293.

Alexius, & Isacius Comneni Imperium occupant.

Lib. 3. *p.* 75.

uxor

uxor quoque ipsius Irene ministerio Cosmæ Patriarchæ solemnem coronæ impositionem accepit.

JESU CHR. AN. 1081. Isacii Imp. gesta, & pœnitentia.

25. Alexius vero Imperium adeptus, *Quoniam Melisseno dignitas Nicephoro Cæsaris ex pacto debebatur*, ait Anna, *& Isacium natu majorem fratrem insigniori aliquo decorari honoris titulo par erat, alius autem præterquam Cæsaris non erat, excogitavit nomen novum Imperator, & emixtis Sebasti sive Augusti & Autocratoris, hoc est Imperatoris, nominibus titulum conflavit Sabastocratoris, quasi diceret, Secundi Imperatoris, cui Cæsaris gradum subjunxit: eo cum Isacium honestasset, uni eum concedere Augusti voluit, Melissenum Cæsarem tertio demum loco in acclamationibus appellari.* Verum Alexius Comnenus non tantum hanc dignitatem invenit, verum etiam ex *Sebasti* nomine alias confecit, nempe *Protosebasti*, quam in Hadrianum fratrem contulit, *Panypersebasti*, qua decoravit *Taronitam*, qui ejus sororem in matrimonio habebat, ac fictitia hæc dignitatis nomina tunc primum excogitata, ab aliis Imperatoribus postea ad alios translata sunt. Cumque in invasione urbis Regiæ privata æque ac publica, prophana, & sacra violata, direptaque fuissent, ut Anna, & Zonaras narrant, Alexius Imperator coram Cosma Patriarcha, & synodo confessus, quod iis causam dedisset, vel consensum præbuisset, jejunium quadraginta dierum, totidemque noctium cubationem humi, in pœnitentiam transegit, ut supracitati auctores pluribus narrant.

Anna lib. 3. 82. Zonar. pag. 294.

26. Turbatis vero in urbe regia, sacris humanisque rebus, sponte, ut ait Anna, sive impulsus Cosmas CP. Patriarcha, *Post aliquot ab Irene coronata dies, ipsa memoria confessionis sancti Joannis theologi*, seu Evangelistæ & Apostoli, quam Græci die septima Maii celebrabant. *Peracto sacro in Templo ejusdem sancti Apostoli ad Hebdomum sito Patriarchalem dignitatem ultro abdicavit, postquam eam tenuisset, annos quinque & menses novem, secessitque in monasterium Galliæ. Gubernacula vero Patriarchalis sedis suscepit in manus Eunuchus Eustrasius Garidas.* Vir, ut ait Zonaras, neque in rebus gerendis aptus, sed homo simplex quidem sed inertus, qui cum eam dignitatem per annos tres tenuisset, ob causam non satis notam ab Imperatoribus dejectus est, cui Nicolaus successit, ajunt Zonaras, & Anna Comnena, ad-

Cosmas Patriarcha Episcopatu se abdicat, cui Eustratius succedit.

Zonar. pag. 297.

JESU CHR. AN. 1081. *An. Comn. pag. 77.*

dentes hunc Eustratium Garidam, matris Imperatoris familiarem fuisse, eique Imperii dignitatem promisisse, quem Alexandri mater, in spem potiundæ sedis Patriarchalis erexerat, unde invitum potius, quam sponte, ea dignitate se abdicasse Cosmam, veroproximum est.

Isacius cum Turcis pacem firmat.

27. Rebus in urbe compositis, adeptoque Imperio Isacius Comnenus ad exteros comprimendos hostes animum convertit, ut pluribus Zonaras, & Anna Comnena enarrant. Quare *Alexius palpitantem extremis singultibus rem Romanam cernens, Turcis in Oriente cuncta vastantibus. Occiduis provinciis inminente Roberto*, Apuliæ, & Calabriæ Duce, ut Pseudo Michaelem Imperio restitueret, in tanta perturbatione rerum, ut nequidem Hercules tanto oneri ferendo par fuisset, ut, ait Anna, in Turcas primum, qui viciniores erant, ac non solum Cretam, Chium, Cyprum, ceteraque Arcipelagi insulas invaserant, sed etiam Niceam, ac per Thraciæ, & Bythiniæ provincias, usque ad Constantinopolis urbem impune excurrebant, in eos, inquam, arma primum tulit, & vi adhibita, promissaque pecunia Sultanum ad pacem ineundam coegit, qualem *extrema necessitas rerum*, ut ait Anna, *Alexium compulit, ut* scilicet *Turcis a Damali, atque a maritima ora longa prius recedere coactis, præter dona quibus tali tempore supplices barbaros excipere utile visum est, pacem quoque largiretur, his legibus, ut Dracontem flavium deinceps pro ditionis suæ termino haberent, neque unquam manu facta trajicerent, neve in fines Bithyniorum irrumperent. Sic bellum Orientale conquievit &c.*

Pag. 96.

Zonaras pag. 298.

Roberti Ducis expeditio in Dalmatiam. *Lib. 4. pag. 96.*

28. Pace cum Turcis firmata, contra Robertum Apuliæ, & Calabriæ Ducem, exercitum mari, terraque Alexius eduxit, *quem cum immensis copiis vehementissimo impetu in bellum adversus Imperium ruere conflabat*; ait Anna, & sane expeditione susceptâ Brunduso solvens, primo impetu Aulonam cœpit, indeque copias universas bisariam divisit, partem ipse unam cum classe ad Dyrachium duxit, alteram Boamodo filio terrestri itinere ducendam tradidit; at hæc navalis classis Corcyræ oras prætergressa, ut narrat Anna Comnena lib. 3. pag. 98. tempestate exorta hinc inde & dispersa, & a fluctibus absorpta fuit, ut *Prætoria, in qua Robertus ipse Dux erat, vix multo denique labore semifracta servata est*. Nihilotamen segnius in proposito Robertus incum-

Zonar. pag. 297.

cumbens, reliquiis naufragii collectis Dyrrachium pervenit: & hoc anno, teste Anna lib. 4. oppugnavit, & Alexium Augustum acie vicit. Eamdem expeditionem narrant Ordericus lib. 7. & Guillelmus Apulienſis lib. 4. adduntque, Robertum ſecum pſeudo Michaelem, falſum Imperatorem, Dyrrachium duxiſſe, ibique tamquam impoſtorem cachinnis riſuque exceptum fuiſſe citatus Apulienſis his verſibus deſcribit. JESU CHR. AN. 1081. *Murat. tom. 5. rer. Ital. lib. 4.*

Et pleſtrix, qui ſe Michaelem finxerat eſſe
More coronatus deducitur Imperiali,
Circumvellatus cantantibus undique turbis
Vnanimi cives hunc ut videre, cachinno
Viſum derident dicentes, iſte ſolebat
Crateras menſis pleno deferre Lyeo
Et de picernis erat inferioribus unus.

Venetos in hoc bello Alexii Imp. partes ſecutos eſſe, præclareque in eo geſſiſſe, produnt Anna Comnena, & ſupracitatus Gulielmus qui Venetos jam tunc in mare potentiores fuiſſe adnotat.

Illam populoſa Venetia miſit
Imperii prece dives opum, diveſque virorum
Qua ſinus Adriacis interlitus ultimus undis
Subjacet arcturo: ſunt hujus mœnia gentis
Circumſpecta mari, nec ab ædibus alter ad ædes
Alterius tranſire poteſt, niſi lintre vehatur.
Semper aquis habitant, gens nulla valentius iſta
Æquoreis bellis, ratiumque per æquora ductu.

Eadem de Roberti victoria cum Zonara, & Anna Comnena narrat Lupus Protoſpata ad annum 1082. eo quod ab Septembri initium anni ducit. *Alexius Imp. collecto grandi exercitu iniit bellum cum Roberto Duce haud longe a Dyrrachio, & terga verſus fugit, ceciderunt que in ea pugna pluſquam ſexmillia militum &c.* Ex quibus plurimi, ut ſubdit Zonaras pag. 297. viri dignitate, regioque ſanguine præſtantes, *totiſque etiam caſtris captis & direptis.* Unde victus Alexius CPolim rediit. *Murat. tom. 5. p. 45.*

JESU CHR. AN. 1081. Anna Comnena Alexii gesta scribit.

29. Alexii autem gesta ab auspicato Imperio usque ad obitum, libris quindecim, quos Alexiados vocavit persecuta est Anna Comnena ejus filia, Porphyrogenita etiam dicta, eo quod Imperante patre ex Irene nata erat, Nicephori Melliseni Cesaris conjux, inter fœminas docta; nam Greca non solum lingua peritissima fuit, sed etiam in historiis texendis, ut ait Zonaras in operis præfatione, atque ipsamet teste, *Aristotelicis quoque in artibus, & Platonicis in libris versata, nullaque non culta disciplinarum*. Itaque priore libro a primis ejus militiæ rudimentis incipiens, varias dignitates ab Alexio obtentas sub Michaele Duca, & Nicephoro Botoniate, & gesta reliqua summatim prosequitur, ac ex inprudenti consilio, Michaelis Ducis, qui uxorem filio suo Constantino Roberti filiam despondit, ab Roberto belli adversus Græcos ferendi occasionem sumptam fuisse memorat. Cujus belli historiam pertexens, de Roberti initiis progressibusque multa adnotat, veris falsa sæpe interserens, & Latinorum præcipue contemptum ubique præfert, nec Gregorio, Romanisque Pontificibus parcit, eo quod in tota ecclesia Primatum sibi vindicarent, quem cum Imperii translatione ad CPolitanos Patriarchas translatum fuisse scribit: Libro secundo sub Nicephoro Botoniate gesta prosequitur, ac quantam in iis Alexius, ejusque cognati partem habuerint, quibus dignitatibus exornati fuerint, & qua ratione Imperium Alexius obtinuerit, commemorat; tertium ab initiis adepti ab Alexio Imperii auspicatur, primaque gesta describit, bellum præcipue adversus Turcas, & Robertum susceptum, multaque data occasione de ejusdem Alexii, & Irenis genitorum suorum animi, & corporis dotibus adnotat, quæ prosequi nihil attinet, nec patitur instituti nostri ratio.

Lib. 1. pag. 31.

Hermannus Germaniæ Rex eligitur.

30. Post obitum Rodulphi Germaniæ Regis, Henricus Saxonum Principes, ceterosque Germaniæ Episcopos, & Principes sibi infestos, ad ineundam concordiam invitavit, & ut filium suum Regem sibi eligerent, atque ut ab armis per menses sex cessarent. Rogavit, ut interea de componendis in Germania rebus ageretur; At cum hæc ab Henrico sibi eo consilio proponi animadvertissent Germaniæ Principes, & Episcopi, ut interea Italiam sibi totam subjiceret, expulsoque Gregorio Guibertum Antipapam in Apostolica sede collocaret, ac ceteros postea sibi subjugaret, nullas cum eo pacis aut fœde-

fœderis conditiones admiſerunt, & conventu habito in ſylva ad Iſaram fluvium, in loco, qui Capua dicebatur, Colonienſis, Trevirenſis, Bavembergenſis, Spirenſis, & Trajectenſis Epiſcopi; ex altera vero ſeu ex parte Henrici Moguntinus, Magdeburgenſis, Paderbonenſis, Hildemſeimenſis, Geuchardus Salisburgenſis Epiſcopus, oblatas ab Henrico conditiones nullatenus admittendas eſſe longa oratione dixerunt, quam integram Bruno Saxonici belli ſcriptor coævus recitat, atque in his chronicon ſuum claudit, hæc de geſtis ibidem addens. *Noſtri vero dolos illorum*, Henricianorum ſcilicet, *percipientes, quod propterea tam longum tempus*, (menſium ſex) *pacis habere volebant, ut hi, qui domi remanebant eſſent tuti, donec illi, qui in Italiam pergebant facerent, contumeliam Apoſtolicæ dignitati*. Reſponderunt ſe potius integram perpetuamque cum iis pacem, non temporariam, habere velle, &c. Quare colloquio diſrupto, *ab invicem diſceditur, tantum per ſeptem dies ultrinſecus pace data*. Principes vero Saxoniæ, ceterique Germaniæ nuncios huc illucque miſerunt, rogantes, *ut Henrico, filioque ejus excepto*, quilibet alius in Regem eligeretur, ac menſe Junio cum ad Locum non longe ab Avemberch conveniſſent, de Rege eligendo tractatu ibi habito, tandem *Ut Herimannum* inter Lotharingiæ Principes, nobilitate, & militari virtute præclarum, Regem eligerent, *unanimiter conſenſerunt*, cujus electionem adverſæ partis Principes, *ne perficeretur, modis omnibus diſturbare quærebant*, ait is auctor, Ottonis Ducis animum præcipue ſollicitantes, cumque ab Herimanni electione, tota tranſiiſſet æſtas, ac an electioni ſuæ & conſecrationi in Regem aſſentiretur dubius hæreret Herimannus, accidit, ut equo excidens, crus ſibi frangeret, quem caſum a Deo ſibi, ob recuſatum Regnum, immiſſum fuiſſe ſuſpicatus, *ſe peccaſſe* confeſſus eſt, ac miſſis legationibus, ſe civibus ſuis fidelem impoſterum ſemper futurum repromiſit. *Unde Principes Saxoniæ valde lætati Regem ſuum Herimannum cum magno tripudio Gloſariæ ſuſceperunt, paucis diebus ante natalem Domini; in natali vero S. Stephani Protomartyris a Sigefrido Moguntinæ ſedis Archiepiſcopo in Regem venerabiliter eſt unctus quum jam annus Incarnationis Dominicæ* 1082. *fuiſſet inceptus*. A Natali ſcilicet Chriſti Domini die, ac proinde hoc deſinente anno Herimanni electio, & inauguratio in Regem facta eſt, non vero

JESU CHR. AN. 1081.

Apud Freber. rer. German. tom. 1. *pag.* 150.

Herimannus Rex ab Sigefrido Mog. Epiſc. coronatur.

JESU CHR. AN. 1082.

vero anno ſequenti, uti Baronius, Pagius, aliique ſcribunt, quemadmodum a Muratorio, & Manſio adnotatum eſt, eumdemque cum labenti an. 1081. Bertoldus Conſtantienſis, Sigebertus aliique alligarunt. Hæc tamen Herimanni in Regem electio Germaniæ vices vix mutavit, nam teſtibus Annaliſta Saxone, & chronographo Saxonum, idem Herimannus paulo poſt, *Tam ſuis, quam alienis cæpit in breve deſpectui* eſſe uti poſthac viſuri ſumus.

JESU CHRISTI AN. 1082. GREGORII VII. PAPÆ 10. ALEXII COMNENI IMP. AN. 2.

Secunda expeditio Henrici in urbem irrita redditur. *Murat, tom. 5. pag. 45.*

1. Hoc etiam anno, vere ineunte alteram adverſus urbem expeditionem tentavit Henricus, ut Gerbertum Antipapam in Pontificali ſede collocaret, iterum tamen re infecta in Longobardiam rediit, de quibus hæc ſummatim chronographus Protoſpata. *Henricus obſedit Romam, ut vi introiret, & faceret ibidem Papam Ravennenſem Archiepiſcopum, ſed minime potuit.* Eadem plane Cardinalis de Aragonia narrat. *Anno quoque ſecundo per Spoletanum Ducatum ad urbem iterum redivit, & per totum Quadrageſimale tempus ipſam Romam cum multa hoſtilitate obſedit; adveniente vero tempore Paſchali, ut æſtivum calorem devitaret, per compitas civitatis exercitum diſtribuit, & ipſe in Longobardiam cum paucis reverti ſtuduit; Guibertum vero ad Tiburtinos dimiſit, & exercitui ſuo præfecit, qui poſtpoſito ſacerdotio, per incumbentem æſtatem agros, & ſegetes Romanorum devaſtavit, & alia mala tamquam vir ſanguineus eiſdem Romanis intulit.* Hæc ipſe, Bertoldus vero Conſtantienſis in chronico coævus teſtis addit, quod cum urbem invadere non poſſet. *Ignem in domum S. Petri per quemdam traditorem immittere voluit, ſed Dei miſericordia protegente non potuit. Cogitavit enim, ut die improviſo portas irrumperet, ſi Romani derelictis propugnaculis ad incendium reſtinguendum concurrerent, unde ignem domibus quibuſdam S. Petro contiguis immitti fecerunt. Sed dominus Apoſtolicus huic verſutiæ obviavit. Nam primum viſo incendio, omnes milites Romanos ad propugnacula defendenda tranſmiſit, ipſeque ſolus fiducia S. Petri fretus, facto ſigno Crucis contra incendium, ignem progredi ulterius non permiſit: Igitur Henricus capto venerabili Epiſcopo de Sutria aliiſ-*

Tom. 3. pag. 312.

aliisque nonnullis, fuoque Apoſtata Guiberto in Tiburtina urbe ad infeſtandos Romanos derelicta, ipſe Longobardiam revertitur. Hactenus Bertoldus. Bonizonem Sutrinum tunc Epiſcopum doctrina, & pietate clarum ab Henrico captivum in Germaniam ductum fuiſſe ſcimus, qui cum Gregorii Pontificis defenſor acerrimus eſſet, ab Sutrina ſede ab Henrico dejectus. *Cum plura, ærumnoſaque mutaſſet exilia, perveniſſetque Placentiam, ibi catholici ejuſdem civitatis dixerunt Epiſcopum.* Ughello teſte anno eirciter 1086. ibique etiam pro pietate decertans anno 1089. martyrium ſubiit. De quibus poſtea. JESU CHR. AN. 1082. *Ital. ſacr. tom. 2.*

2. Inter ceteros, qui Gregorii partes ſequebantur, totisque viribus tutabantur, Mathildis Comitiſſa primum locum obtinebat, quæ armata undique manu ſchiſmaticos exagitabat, ob quam cauſam, Henricus in Longobardiam rediit. *Ad debellandam Mathildis provinciam, quæ cum Papa tenebat Gregorio.* Ait Protoſpata ad hunc annum, ac pluribus narrat Donizo in vita Mathildis, his verſibus. Mathildis Gregorii partes tuetur. *Murat. tom. 5. pag. 45.*

Corde pio flagrans Mathildis lucida lampas
Adverſus binos Domini Crucis hos inimicos, *Murat. tom. 5. pag. 367.*

Henricum ſcilicet, & Guibertum Antipapam.

Arma volutantem famulos, gazum propriamque
Excitat, expendit, inſtigat, prælla geſſit.

Deinde poſt aliqua

Nam quos damnabat Rex, pellebat, ſpoliabat
Pontifices, monachos, Clericos Italos, quoque Gallos

Ipſa recipiebat, fovebatque, ac præcipue, ut narrat, Gregorium Papam, & Anſelmum Lucenſem Epiſcopum, qui Mathildi tamquam conſiliarius ab Gregorio datus fuerat, cujus conſilia ſequens, ut ſubdit.

Nam quos ipſa valet pravos convertere mater
Quantiſcumque modis quit, agit in omnibus horis;
Multos cum feudo, multos munus tribuendo,

Pu-

JESU CHR. AN. 1082.

Pugnando plures, Caſtellaque ſæpius urens
Regis obſequio jugiter disjungit iniquo,
Ultramontanis ac Principibus ſibi charis
Errores Regis ſcribit vitare rebellis.
Sicque Deo multum generabat credula fructum,
Gregorio Papæ proceres ſervire ſuadens,
Mittere cui gratis crebro ſolet in Lateranis
Xenia multa nimis, quam Papa pie benedicit.
Bis centum libras domus argenti Canuſina
Tunc miſit Papæ, quam debet Papa beare

Mathildis thesaurum ecclesiæ Canusinæ Gregorio mittit. *Murat. tom. 5. pag. 385.*

3. Inter cetera, cum pecunia Gregorius indigeret, Anſelmo ſuadente theſaurum eccleſiæ Canuſinæ ad eum miſit, novem ſcilicet auri libras, argenti vero ſeptingentas, ut in appendice ad vitam Mathildis his verbis refert auctor. *Anno domini* 1082. *Comitiſſa Mathilda cum Anſelmo Epiſcopo, qui & vicarius erat Papæ Gregorii VII. in illis diebus in Longobardia, theſaurum Eccleſiæ Canuſinæ poſtulavit Abbati Gerardo, qui tunc præerat præfatæ Eccleſiæ, ad dirigendum Papæ pro defenſione Romanæ Eccleſiæ, quæ illo tempore perſecutionem grandem habebat à Guiberto Hæreſiarcha. Itaque prænominatus Abbas una cum congregatione fratrum, fidelem amorem & dilectionem habens in B. Petro, & Romana Eccleſia, Vicario ejus & Comitiſſæ petitioni, alacriter theſaurum obtulit, qui* XX. & IV. *coronæ erat, & una illarum ex auro cum crucicula una itidem aurea, & duæ tabulæ altarium argenteæ, & copertura argenti arcæ altaris Sancti Apollonii & thuribulum grande argenteum. Quod decoctum Canuſii ſeptigentæ libræ argenti fuit, & novem libræ auri &c.*

Anselmi Lucen. Episcopi epistola ad Guibertum Antipapam. *Anselmi epistola ad Guibertum biblioth. PP. tom.* 18. *p.* 605.

4. Quantam pro Gregorio, & Mathilde ſollicitudinem Anſelmus gereret, ejuſdem epiſt. ad Guibertum indicat; cum enim Guibertus eum ab tanta cura qua pro Mathilda gerebat revocare conatus eſſet, Anſelmus hæc reſcripſit. *Quod autem obſecras per Jeſum, ne nobiliſſimam fœminarum amplius circumveniam, deludam, & fallam, Deum teſtem invoco, nihil terrenum, nihilque carnale in ea, vel ab ea ex intentione concupiſco, & ſine intermiſſione oro, ut ab hoc ſeculo nequam eripi merear nimio affectus tædio, quia incolatum meum prolongari video, ſervieni die ac nocte in cuſtodiendo illam Deo, & ſanctæ Matri meæ Eccleſiæ cujus præcepto mihi commiſſa eſt,*

est, & spero quod multa mihi retributio per gratiam Dei in ejus custodia excrescat, quæ non in vanum sua dispergit, sed indeficientem in cœlo thesaurizat thesaurum, quem tinea non demolitur, ubi fures non effodiunt, nec furantur, paratæ pro defensione justitiæ non solum terrena omnia distribuere, sed usque ad sanguinem pro vestra confusione & reverentia ad sanctæ Ecclesiæ gloriam & exaltationem certare, donec tradat Dominus inimicum suum in manu fœminæ &c.

Jesu Chr. an. 1082.

5. Interea dum totis viribus Gregorii partes Anselmus sequeretur schismaticorum factio Henricum in urbe Luca admisit, atque inde Anselmum ejecit, de quibus hæc Pœnitentiarius Presbyter in ejus vita. *Illi* ideſt schismatici, *insolabiter dolentes*, quod excommunicati essent, *civitatem commoverunt, & freti auxilio perditissimi hominis Henrici Regis Episcopum expulerunt, & prædictæ Mathildis penitus rebelles facti sunt. . . Caput omnium erat Petrus Diaconus perditissimus & contumax præco Henricianæ hæresis, qui eodem vivente Anselmo est Lucanus intrusus pseudo Episcopus, factus postmodum Giberti pseudopapæ acerrimus defensor &c.* Hæc is auctor, Henricum vero Lucæ hoc anno fuisse diplomata ab eo data testantur quorum mentio apud Florentinum, & Muratorium occurrit.

Anselmus Lucens. Episc. Lucæ ejicitur.

Floreat. lib. 2. pag. 207. Murat. annal. 1081. Murat. tom. II. rer. Ital.

6. Gregorius autem Papa cum indictam hoc anno synodum ob Henrici in urbem adventum celebrare nequaquam potuisset, quod etiam sequentibus duobus annis contigit, ut se ab vulgatis adversum se criminationibus, quasi indiscreto zelo & ob latam in Henricum Imperatorem sautoresque ejus excommunicationis sententiam malorum omnium, quæ exinde in ecclesia, & in Italia, vel Germania contigerant, auctor fuisset; ut igitur hanc a se culpam depelleret Apostolicam pro se ipso epistolam ad omnes Episcopos, clericos, & laicos, qui Apostolicæ Sedi fideles perseverabant, dedit, qua totam causam Oecumenicæ synodo judicandam remittere paratum se esse testatur, neque se Episcopis, ac Principibus Germaniæ jussisse, ut alterum sibi, seu Rodulphum Regem eligerent, admonuit: epistolæ hoc est exordium. *Notum vobis facimus, charissimi fratres, & filii, nos admodum desiderare, & Apostolica auctoritate velle sanzire, ut generalis synodus congregetur in loco tuto & securo sicque opportuno, ut ad eum possint undique terrarum clerici*

Gregorius Apologiam de se scribit. *Lib. 9. 28.*

JESU CHR. AN. 1082.

calis ordinis, & laicalis amici, vel, inimici sine timore convenire &c. Ac se ad reddendam gestorum suorum rationem promptum esse subdit, & post aliqua de Rodulphi electione in Regem olim facta hæc subdit. *Verum illud admodum vestræ dilectioni notificare non dedignamur, Deo teste, Rodulphum, qui Rex ab ultramontanis ordinatus est, non nostro præcepto, sive consilio Regnum tunc suscepisse; Insuper etiam nos in synodo decernentes firmavimus, nisi Archiepiscopi, & Episcopi qui illum ordinaverant, hoc factum suum recte defendere potuissent, tam ipsos ad dignitatibus suis, quam præfatum Rodulphum Regno deponere.* Hæc, & alia ibidem Gregorius apologiam pro se ipso texens, nec Henricum se Regno privasse obtestans.

Tarvanensis ecclesia pervim invasa: cœdes ibidem patratæ *Lib. 9. epist. 34. 30.*

7. Hoc etiam anno ad Sedem Apostolicam duplex tragœdia in Tarvanensi Ecclesia peracta delata est, primam Lambertus ejusdem ecclesiæ invasor egit, qui non solum simoniace Episcopus ibidem ordinatus, sed variis etiam sceleribus, sacrilegiisque patratis ejusdem ecclesiæ possessionem clero, populoque resistente inierat, unde paulo post mutata scœna, inde cum ignominia, ac etiam dextera manu, linguaque truncatus, ejectus fuerat, ut in epistola altera ad Tarvanenses milites data, his verbis narrat Gregorius Papa. *Intolerabilis audaciæ, horribilisque facinoris super vos ad nos relatio venit, quod quanto nostris seculis inusitatum, nec a tempore Paganorum persecutorum præsumptum esse vel legitur, vel auditur, tanto ad justitiam de se exequendam Apostolicæ mansuetudinis zelum movet, & incitat. Denique conquestus est nobis Lambertus dictus Tervanensis Episcopus, quod post tot, tantaque sacrilegia, quibus eamdem Ecclesiam depradati fuisset, januas ejus infringentes, serica, argentea, aureaque diversi generis, & innumera ornamenta diripientes, ac sacris crucibus comminutis, tam ipsas quam & duas capellas, & reliquias auferentes, abstrahentes eumdem Episcopum ab altari, ubi prostratus orabat, linguam ei, dexteræque articulos ad acervum tantorum scelerum detruncastis. Qua in re nullam excusationem tentetis obtendere, quasi de ipsius vita reproba, vel ordinatione injusta, seu depositione irrogata. Sicut enim supra notavimus, nemo adhuc tale aliquid præsumpsisse dignoscitur, nisi forte qui Deum non timent, & Christianam reverentiam abjiciens, pro nihilo duxit*

Jesu Christ. an. 1082.

xit manum in ſacros ordines mittere. Quapropter monemus, & ex parte B. Petri præcipimus, ut tantam nequitiam veſtram recognoſcentes, aut ante Legatos noſtros Lugdunenſem Archiepiſcopum, & abbatem Cluniacenſem ſatisfacturi veniatis &c. Vidiſti lector, ait Baronius, contumacem pſeudo Epiſcopum Apoſtolicæ ſedis judicium averſantem, & contemnentem, atque omnino refugientem, denique terribili Dei judicio (de quo Pſalmographus, *Humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbum*) coactum, elinguem, truncatum digitis, Sedem Apoſtolicam adire, & de acceptis injuriis etiam vindicem implorare coactum, invitum licet, impellente juſtitia judicem adire legitimum, & quam negaverat, veritatem profiteri? Nam cum juxta Urbem ſciret reſidere pſeudopapam, eum tamen averſatus pſeudoepiſcopus, legitimum Pontificem adiit, quantumlibet eum ſibi adverſantem ſemper antea paſſus eſſet, extatque epiſtola ad Lugdunenſem Epiſcopum data, qua eum admonet, ſe Tarvanenſem Epiſcopum in ſynodo Meldenſi excommunicatum abſolviſſe ea conditione, ut ſynodo ſe ſiſteret, atque ibi coram Apoſtolicæ ſedis legato, Hugone ſcilicet Dienſi Epiſcopo, cauſa ejus retractaretur, cujus judicio ſe conſenſurum fore, juramento promiſerat, quare ut adjuncto ſibi Cluniacenſi Abbate ſynodum congregaret, jubet; cumque pro Tarvanenſis Epiſcopi cauſa ſollicitum fuiſſe Robertum Flandriæ comitem non ignoraret Gregorius, datis ad eum litteris, de geſtis in ea cauſa, deque ſynodo ab Lugdunenſi Epiſcopo celebranda, certiorem reddidit. Meldenſis vero ſynodi, quæ Lambertum excommunicaverat, mentio fit in chronico Clarii, ſeu Sancti Petri vivi Senonenſis his verbis. *Anno* 1082., *die decimaquinta Novemb, obiit Valterius Meldenſis Epiſcopus, & in ſequenti ſeptimana Hugo Dienſis Epiſcopus, & Romanæ eccleſiæ legatus congregavit concilium in eadem urbe, & ordinavit Epiſcopum in eadem urbe Rotbertum Abbatem eccleſiæ Resbacenſis, quod quia ſine præſentia & aſſenſu Richerii Archiepiſcopi* (Senonenſis) *& Coepiſcoporum ejus factum eſt excommunicaverunt eum*, Robertum ſcilicet Meldenſem Epiſcopum ordinatum, atque in Rotberti locum ut idem ſubdit auctor, anno 1085., idem *Richerius Senonenſis Archiepiſcopus ordinavit Valtherium Meldenſem Epiſcopum quarto nonas Novembris.*

Lib. 9. epiſt. 32. 34.

JESU CHR. AN. 1082. Hugo Dienſis Epiſcopus in ſedem Lugdun. translatus.

8. Hugo autem Dienſis Epiſcopus anno 1082. ordinatus, utpote qui Gregorii Papæ legatus, egregiam operam navaverat, plurimiſque conciliis præfuerat, poſt Gebuini Archiepiſcopi Lugdunenſis obitum, in eam ſedem hoc anno translatus eſt, eamdemque eccleſiam uſque ad annum 1082. vitæ ſuæ ultimum tenuit, cum in Epiſcopatu annos 52. tranſegiſſet, ex quo Dienſis primum Epiſcopus fuerat ordinatus. Ut ad annum 1080. not. 15. adnotat Pagius.

Robertus Calabriæ Dux Dyrrachium obtinet.

Murat. an. 1081. 82.

Murat. rer. Ital. tom. 5. pag. 45. & 154.

9. Robertus interea Calabriæ Dux poſt fugatum Alexii exercitum, in Dyrrachii obſidione perſeverans, hujus anni initio, ſive virtute ſua, aut proditione Dominici cujusdam nobilis Veneti, ut narrat Protoſpata, oppidum tandem obtinuit. *Menſe Januarii Robertus Dux*, ait, *cœpit civitatem Dyrrachium proditione quorumdam Veneticorum*. Auctor vero chronici Barenſis, res anni proximi, & labentis paucis complectens, addit. *Anno 1082. indict. quintæ, venit Alexius Imp., & commiſit bellum cum Roberto Duce feria 3. in die S. Lucæ Apoſtoli, & Evangeliſtæ*, anni proximi 1081. *& terga vertit ipſe Imperator, victique ipſe Dux, & octava die inſtante Februarii, ipſe Dux cœpit in Dyrrachi & ibi comprehendit Dux* (ſeu Ducem) *Veneticorum, & navigia eorum cum multi homines*. Eadem narrat alter auctor chronici Normannici; Malaterra etiam in hiſtoria ſicula fuſiori ſtilo rem proſequens lib. 3. cap. 27. 28. ac proditione cujuſdam Dominici nobilis Veneti, cui filiam Gulielmi Principis uxorem ſe ei daturum promiſerat, Dyrrachium obtinuiſſe adnotat, quod etiam his verſibus confirmat Gulielmus Apulus.

Murat. pag. 278.

Ibid. pag. 576.

Murat. tom 5. pag. 273.

Dyrrachii quidam, quam terra Venetica miſit
Vir præclarus erat, nomenque Dominicus illi
Oderat hic quendam, quia non ſe participabat
Conſilio, ſociis quod pluribus inſinuabat:
Hunc quaſi primatem gens illa ſtudebat habere:
Dux dicebatur genuiſſe Veneticus illum,
Quendam de prefugis Barinum convocat ad ſe,
Qui ſibi charus erat fideique tenore probatus.
Hunc monet, ut noctu Roberti caſtra requirat,
Et ſe velle Duci ſua commoda pandere dicat.

Et

JESU CHR. AN. 1082.

Et properare loco moneat qui Petra vocatur:
Ecclesiæ Sancti Nicolai proximus ipsa
Est locus, hunc Robertus adit cum milite pauco,
Accitus, profugo redeunte, Veneticus illum
Convenit, & facilem promittit deditionem
Dyrrachii, nisi Dux sibi, quod petit, esse daturum
Abneget: ille libens jurando jure spopondit
Quod petit, explendum, neptim pro conige dandam:
Colloquio facto remeavit uterque latenter:
Constituere prius, quo tempore deditionem
Is foret acturus, quo tempore Dux rediturus.
Jamque dies aderat consensu utriusque statuta

Quo Dyrrachium Robertus cœpit, ut ibidem persequitur auctor.

10. His vero feliciter gestis in Italiam Robertus rediit, quo eum vocabant, tum tumultus adversus suos in Sicilia, in Apulia, & Asculi excitatos, quorum mentio apud Gulielmum Apulienſem, Malaterram, aliosque occurrit, cum etiam, ut se Henrici Regis conatibus opponeret, qui ab Alexio excitatus, bellum in Apulia cum Romam sibi subjugasset, transferre parabat: de Roberti in Italiam reditu iterum Gulielmus audiatur. Robertus in Italiam redit.

Lib. 4. in fine pag. 274.

Robertus geminis exacto navibus anno
Adriaticis undis loca rursus ad Appula transit.
Is primogenito populum commiserat omnem
Cui nomen Boamundus erat, pariterque Brienio.

Rebus itaque ibidem compositis, & Dyrrachio, Aulona, aliisque oppidis Boamundo, ut eadem tutaretur, commendatis, in Italiam prospero itinere rediit, ac Salernum delatus est, unde biennio post in Gregorii septimi auxilium in urbem advenit, ut suo loco & tempore dicturi sumus.

11. Isacii Imp. patris sui gesta cum Roberto in Dyrrachii expugnatione, vel post expugnationem prosequens Anna Comnena inter cetera narrat, ab eodem Isacio Henricum Regem, ut bellum Roberto inferret, excitatum fuisse. *Miserat denuo legatos ad Regem Alemaniæ sub quodam Methynnæ dicto, quem legationis esse Principem jusserat. Is & litteras & man-* Alexius Imp. Henricum adversus Robertum excitat.

Lib. 5. pag. 130.

JESU CHR. AN. 1082. *& mandata dederat, quibus magnopere instigare Henricum conabatur ad rumpendas omnes moras invadendæ Longobardiæ, juxta pacta conventa inter ipsos antea transactæ. Iret ergo quamprimum, moveretque infesta signa in Roberti ditionem, quo ejus viribus ad necessariam rerum suarum defensionem a Romano Imperio tantis per aversis, respirare interim a clade Alexius; posset, & conductis iterum auxiliaribus copiis comparare se ad Robertum toto Illyrico pellendum. In eo si Rex Allemanniæ operam commodare ipsi facillimam, vellet, maximam ab se initurum gratiam, quam omnibus officiis & beneficiis rependere ac remunerare paratissimus esset Imperator Alexius, imprimis vero connectenda quamprimum affinitate, quam Henrici Legati Regem ipsorum cupere significaverant, cujusque his spes facta fuerat.* Quare cum Imperator adversus Robertum expeditionem pararet, totisque viribus, ad restaurandum bellum arma, & pecuniam colligeret, ut fusiori stilo ibidem Anna narrat, mox subdit. *Venit ad eumdem Robertum trepidus nuncius, Regem Alemanniæ*, seu Henricum *in procinctu esse ad invadendum Longobardiam*: Longobardiæ nomine, ut alias adnotavimus, totam Italiam Græci designabant, Romano excepto ducatu, quem Romaniam sæpe appellarunt, ceteras Italiæ oras, cum ipsa Sicilia Longobardiam vocabant.

Alexius Imp. ecclesiæ thesauros accipit. *Lib. 5. pag. 128.*

12. Cumque ad bellum prosequendum fisci ærarium ob Botoniatis prodigalitatem, uti scribit Anna Comnena, exhaustum esset, ecclesias thesauris suis Imperator expoliavit. *Prævalente in dies metu Roberti, perditis rebus, quasi ad sacram anchoram Ecclesiasticorum thesaurorum* animum convertit, *Replicati ad obtentum rei parum in vulgus plausibilis veteres Canones, quibus in redemptionem captivorum impendi sacras pecunias, conflarique vasa templorum, fas esse cavebatur. Admonebant incidisse tempus illud. Servire enim servitutem miserabilem, & in exitium animæ, ac periculum salutis præsent sub dominis infidelibus Christianos per Orientem innumerabiles.* Hanc ubi tentare viam placuit, Sabastocrater Isacius in magnam Ecclesiam se confert, ibique indicto cœtu sacrorum ministrorum, ab Patriarcha, ejusque adsessoribus non sine admiratione exceptus fuerit; cum tamen pars maxima, Isacii subastratoris petitionem admisisset, ut ecclesiæ thesauri traderentur, permissum fuit; At non sine ma-

Leo Chalc. Episc. Impe-

maxima totius cleri contradictione, idque multam Imperatori, ejusque administris invidiam, peperit, contentionesque excitavit. *Non in præsens modo, aut finitimum tempus, sed & in longe consequens*, ait Anna Comnena quibus fomitem præceteris dedit *Leo Chalcedonensis Antistes, non ille quidem valde doctus, aut eloquens, ceterum virtutis cultor homo duris austerisque moribus*. Qui non modo hoc tempore, sed iterum, dum Schyticum Alexius bellum gereret, & ecclesias iterum expoliasset, asperioribus verbis, quin & contumeliis, Imperatorem lacessere non desinebat, ob eamque rem, tamquam suspectæ doctrinæ reum, quasi imagines, non relativo, sed absoluto cultu adorandas esse doceret, sua sede dejectus, *Ad Pontum exulare jussus est, ubi previderat Imperator, ut officiosissime exciperetur, curareturque copiose, quamquam ille contumacia se involvens sua, & in concepta semel adversus Augustum ira animum, ut apparebat obstrmans, oblata ejus uti liberalitate noluit*.

JESU CHR. AN. 1082. ratori resistit sua sede deiicitur. *Pag.* 129.

13. Cum in deterius Imperii status rueret, ac undique cladibus premeretur, idem ipse Alexius cautior experientia factus, legem non multo post vulgavit, quam bullam auream dixit, qua se peccasse testatus est, eaque non solum se peccasse fatetur, sed omnia restituturum pollicetur. *Si modo quæ orbem universum exagitat, procella desævierit, Imperioque status melior restitutus fuerit &c.* Hæc, aliaque plura in eam rem, postea sanctionem tunc editam his verbis clausit. *In hujus enim rei confirmationem universis Ecclesiis tuis sanctis hunc aureæ bullæ obsignatum orationem, tanquam tutum aliquod antidotum appendi: ut quicunque posthac sacrorum Dinodiorum quodpiam contrectare ausus fuerit, impii sacrilegii nomine apud te, & pios quosque homines censeatur. Dat. mense Augusto quintæ Indictionis, quater anno millesimo quingentesimo nonagesimo, quo quidem tempore pium quoque hoc & Deo subditum Imperium nobis designatum est*. Anniversaria nempe die. Hactenus bulla aurea, aureis revera litteris digna, ait ibidem Baronius; & sane non fine cum maxima difficultate obtinere id potuit ab ecclesiæ ministris Imperator, cujus orationem ad Clerum & populum tunc habitam historiæ suæ inseruit Anna, id etiam precavens, ut minus tantum ad ecclesiæ usum necessaria, vel etiam superflua inde sumeret, cautione facta se quantocius cuncta restituturum, quod & fide-

Alexius thesauros oblatos ecclesiis restituit. *Apud Balsamon. Cod. juris Orient. Bar.* 1082. 10.

Lib. 6. pag. 156.

JESU CHR. AN. 1083.

fideliſſime præſtitiſſe eadem narrat Anna, ac subdit. *Hæc loquutus* Imperator, *mox dejecto vocis ſono, ſe tamen, & pœnæ obnoxium humiliter profeſſus eſt, ſe ſe condemnans, inde rurſus explicare brevia*, (catalogos ſcilicet, vel indiculos) *cuſtodes illorum jubet, inireque æſtimationem ac ſummam ablatarum rerum, ac ſtatim Antiphonetæ* (ſeu cuſtodi vel eccleſiarum curatori) *notabilem auri ſummam in annos ſingulos pendendam a curatoribus fiſci conſtituit. Quod* & in hunc diem perpetua fide *præſtitum eſt*, ait Anna, ac exemplis confirmat, ut ibidem videre eſt,

JESU CHRISTI AN. 1083. GREGORII SEPTIMI PAPÆ 11. ALEXII COMNENI IMP. 3.

Henricus Rex urbem tertio obſidet, Leoninam urbem occupat, *Murat. tom. 5. pag. 46.*

1. Tertiam adverſus urbem hoc anno 1083. expeditionem Henricus Germaniæ Rex ſuſcepit, ac Leonina tantum, ſeu tranſtyberina urbe occupata, re infecta inde diceſſit, ut his verbis narrat Protoſpata in chronico ad hunc annum. *Rex Romam adveniens, cœpit totam regionem trans Tiberim, in qua Apoſtolorum Principis eminet Templum, & menſe Junii, relicto ibidem præſidio ſuo, & filio in caſtello quod ipſe illic ſtatim conſtruxit, ad debellandum Gregorium, qui in Laterano, & Cælio monte ſe continebat, cum quadraginta obſidibus Roma feceſſit in partes Thuſciæ.* Ad urbem vere inſtante reverſurus: de adventu Henrici ad urbem hoc anno, geſtiſque ibidem agens Petrus Diaconus in chronico Caſſinenſi, Guibertum Antipapam cum eo adfuiſſe tradit, *Lib. 3. cap. 50.* *Henricus Romam advenit, & porticum S. Petri per vim cepit, & ex magna parte deſtruxit, atque Archiepiſcopum Ravennatem invaſorem Apoſtolicæ ſedis abſque conſilio, & voluntate totius Romanæ eccleſiæ conſtituit &c.* Eademque Bertoldus, qui etiam ſchiſmatici Guiberti ordinatores nominat, utrumque tamen res duobus annis geſtas in unum confudiſſe adnotant Pagius, & Muratorius: & ſane ex rerum geſtarum ſerie aliiſque chronographis Protoſpata, Uſpergenſi Abbate, & Lamberto, Guibertum in Antipapam anno tantum ſequenti cognoſcimus ordinatum fuiſſe.

Synodus a Gregorio indicitur.

2. De geſtis autem Henrici hoc anno hæc addit Bertoldus, ad urbem accedens *ſtatim juxta S. Petrum quemdam monticulum, nomine Palatiolum in caſtellum erexit, eique mili-*

JESU CHR. AN. 1083.

milites multos, ut impugnarent Romanos, impoſuit, qui eum Tranſliberinas Urbis regiones intrare nullo pacto permittebant. Multi tamen jam ex Romanis conſenſerant, partim pretio inducti, partim multis promiſſionibus ſeducti, omnes tamen æqualiter jam triennii impugnatione nimium fatigati. Quid plura? Omnes pene Romani præter Principem Salernitanum, hoc laudaverunt, ut Papa Gregorius Synodum in medio Novembri colligeret Romæ, cujus Synodi ſtatuta de cauſa regni nec Henrico, nec Romanis, immo nulli penitus liceret prævaricari: Henricus quoque iturus ad illum Synodum, & rediturus ſecuritatem jurejurando fecit. Unde Papa omnes religioſos Epiſcopos & Abbates ad Synodum litteris ſuis vocavit. Quæ autem uſque ad Synodi tempus fieri contigerint, ita pergit ſcribere: *Reverſo ergo Henrico Longobardiam, milites ejus, quos in caſtello prope S. Petrum dimiſit, repentina mors pene omnes invaſit, inter quos, & Udalricus Goſcezebeim ipſa Eccleſiaſtica communione (heu miſer) interiit, auctor hujus ſchiſmatis & incentor conſpirationis. Ex quadringentis autem militibus, qui in illo caſtello pro cuſtodia dimiſſi ſunt, vix triginta gladium S. Petri, ajunt, conceſſa vita, evaſerunt: ipſum autem caſtellum a Romanis penitus ſolo adæquatum eſt. Henricus ergo, Ravennate ſuo interim Ravennam tranſmiſſo, ad prædictam Synodum profectus eſt, quo & Legati Teutonicorum Principum ire debuerant, ſed ab Henrico in via apud forum Caſſii capti ſunt circa feſtum Sancti Martini, licet omnibus Synodum illam petentibus ſecuritatem juramento promiſerit. Unde & Romani contra Henricum murmurare cœperunt. Erant autem religioſiſſimi monachi, & cleri, quos in captivitate fecit cruciari: cum quibus & Ottonem venerandum Oſtienſem Epiſcopum captivatum, videlicet ad ipſum ab Apoſtolica Sede tranſmiſſum. Multi tamen ex Francigenis ad illam Synodum tam Epiſcopi, quam Abbates pervenerunt. Meliores autem Epiſcopi, & domino Apoſtolico magis neceſſarii, id eſt Hugo Lugdunenſis, Reginaldus Comanus ſpecialiter ab Henrico ad Synodum pervenire prohibiti ſunt. Dominus tamen Papa Synodum tribus diebus ſolemniter celebravit: & ne Henricum iterum ſpecialiter anathematizaret, vix a Synodo exoratus: omnes tamen excommunicavit, quicumque aliquem ad S. Petrum, & Papam venientem impedirent quoquo modo.*

JESU CHR. AN. 1083. Henricus Romanorum animos sollicitat.

3. Nec solum ad synodum in urbe celebrandam causam suam se commissurum finxit Henricus, sed etiam se ab Gregorio Imperialem coronam susceperum, his artibus Romanorum animos sollicitans, ut tandem se in urbe admitteret, unde Cencius Camerarius libro de censibus cap. 3. *Sic tertio quoque anno idem Rex ad obsidendam Romam reversus: sed quia se ipsum excommunicatum a Cluniacensi Abbate* (nempe Sancto Hugone) *atque aliis Religiosis Deum timentibus pro certo haberi cognovit, ut eorum simplicitatem melius circumvenire posset, ad callida se argumenta convertit. Posi captionem itaque Ostiensis Episcopi, & aliorum multorum, quos præcepit absolutos dimitti, universis Romam visitare volentibus firmam securitatem dedit, quam, juramento publice confirmavit, & ut popularem favorem omnino consequeretur & gratiam, in publico dixit, quod a Domino Gregorio Papa Imperialis coronæ dignitatem vellet accipere. Quod postquam populus Romanus cum Religiosis viris audivit, non mediocriter lætati sunt omnes, & ad vestigia Pontificis lachrymabiliter accedentes ipsum cum magna instantia exoraverunt, ut patriæ jam fere perditæ miseretur, & paterna clementia condoleret. Pontifex autem qui pro justitia & Ecclesiastica libertate tuenda, si rationabilis causa exigeret, mortem subire paratissimus existebat, constanter in hunc modum respondit: Ego versutias & calliditates Regis frequenter expertus sum, sed si vult in iis, in quibus manifeste peccavit, Deo, & Ecclesiæ satisfacere, ipsum libenter absolvam, & Imperialem coronam cum benedictione imponam, alioquin nec debeo, nec possum, vos in hac parte nullatenus exaudire. Quod verbum cum Rex remordente conscientia denegaret facere, & populus Pontifici per plures dies vehementer instaret, ut absque satisfactione Regem susciperet, & Pontifex ad eorum cæcas preces omnino permaneret immobilis, Rex paulatim cepit popularem favorem pecunia, & terrore sibi adquirere.*

De corona Imperii Henrico tribuenda.

4. Inter cetera pacta cum Romanis ab Henrico, inscio Pontifice, conventa, narrat Bertoldus, Romanos eidem promisisse se effecturos, ut coronam Imperii ab Gregorio obtineret. Quare cum tempus advenisset. *Quo nesciente Papa hoc se effecturos Henrico juraverant, ut aut Gregorius Papa eum incoronaret, aut aliut, quem ipsi illo, Gregorio scilicet expulso, eligerent. Quod juramentum licet in preterita ætate*

factum

JESU CHR. AN. 1083.

factum fuerit, omnes tamen intimos Papæ usque ad terminum pene lutuit. Adveniente ergo termino, Romani Papæ de juramento manifestaverunt, dicentes se hoc juraſſe, non ut Papa ſolemniter regali unctione incoronaret, ſed tantum ſimpliciter ut ei coronam daret. At quid tunc Gregorius? iis quidem annuit, ut tamen juſtitiæ conſuleretur. Pergit enim: *Annuit ergo Papa eorum votis, ut eos a juramento abſolveret, videlicet Henrico, ſi vellet cum juſtitia, ſin autem, cum maledictione coronam daret. Unde Romani mandaverunt, ut veniret ad accipiendam coronam cum juſtitia, ſi vellet, ſin autem de caſtello ſancti Angeli per virgam ſibi demiſſam a Papa reciperet:* Cum oblatam coronam eo modo recipere recuſaſſet Henricus, ſe ab juramento liberos jam eſſe Romani teſtati ſunt. *Ac Domino Papæ multo firmius, quam primum conſilio, & auxilio adhæſere.* Henricus vero cum nec vi adhibita, nec promiſſis, urbem invadere potuiſſet, furore exardeſceus inde receſſit.

5. Gregorius vero e tanto periculo vix ereptus, ſynodum in urbe celebravit, cui ex Gallia, vel Germania vix aliqui Epiſcopi, Henrico prohibente, adfuerunt, ut ſynodi acta teſtantur; *Anno ab Incarnatione Domini milleſimo octogeſimo quarto*, qui a Kal. Septembris incœperat, vel etiam anno 1083. ut ait Pagius not. 5. *Pontificatus vero Domini Gregorii Papæ ſeptimi anno undecimo, duodecimo Kal. Decembris preſidente eodem Apoſtolico, celebrata eſt tribus diebus in Lateranenſi Baſilica Synodus, in qua fuerunt Archiepiſcopi, & Abbates Campani, & de Principatibus atque Apulia, pauci quoque Gallicani. Nam plurimos Henrici tyranni perfidia iter retro vertere compulit, qui Oſtienſem Epiſcopum de Apoſtolica legatione redeuntem, contra fas, & juramenti fidem capi juſſit, ſive permiſit.* Quantas urbi calamitates Henricus hactenus intuliſſet, Gregorius expoſuit, cujus etiam infeſtatione factum fuerat, ut tribus præteritis annis nulla ibidem ſynodus celebrari potuerit. *Ceterum Dominus Apoſtolicus in eadem ſynodo de fidei forma, & chriſtianæ religionis converſatione, ſed & de robore animique conſtantia ad præſentem preſſuram neceſſaria, ore non humano ſed angelico patenter differens, die tertia totum fere conventum in gemitus, & lacrymas compulit, ſicque concilium Apoſtolica benedictione lætificatum in pace dimiſit.* Hactenus ſynodi acta.

Gregorius ſynodum celebrat, geſta ibidem. *Labb. tom. 10. pag 401*

JESU CHR. AN. 1083. Nortmanni fœdus cum Henrico ineunt. *Chron-Cassini lib. 3. 50.*

6. Interea cum Henricus in urbis obsidione adhuc persisteret. *Hoc audito*, ait chronici Casinensi, *omnes fere istarum partium homines uno animo, unaque voluntate contra Nortmannos*, quorum durissimum erat Imperium, *conspiraverunt, ut cum Imperator Romam transiisset*, in Campaniam profecturus, *omnes in illos unanimiter insurgerent*. Quare Nortmanni, ut instans vitarent periculum, ne Henricus Romanis, incolisque sibi junctis, eos inde expelleret, Desiderium Cassinensem Abbatem, & Romanæ ecclesiæ Cardinalem rogarunt, ut ad Henricum pergeret, ac fœdus cum iis, & Henrico componeret, eaque occasione de ineunda inter Pontificem, & Henricum pace satageret; irrita nihilominus hæc consilia fuisse rerum gestarum series demonstrat, nam his statim subdit is auctor.

Henricus Desiderium ad se vocat.

7. *Interea Imperator per Marsorum Comitem epistolam ad patrem Desiderium scripsit, ut jam ad se pergeret, mandans. Ad eam vero epistolam ille nihil omnino respondit. Scripsit illi & alteram plenam minarum, commotus, cur nec se adierit, nec litteris suis responsa dederit, mandans ei ut Farfæ sibi maturaret occurrere, alioquin obfuturam sibi graviter tarditatem suam. Ad hæc rescripsit Desiderius, pro salutatione, debitum fidelitatis obsequium in fronte epistolæ scribens. Et cum in eis litteris multas allegaret rationes, quod Nortmannorum causa illum adire non posset, sed si de pace cum Romano Pontifice tractandum esset, locum inveniret illum adeundi, asserens, ut illum ad pacem animaret, neque regnum neque sacerdotium in tanto dissidio incolume posse consistere: Imperator iratus, multaque adversus Desiderium indignatione commotus, Nuntiis suis, quos ad Principem Capuæ misit, omnino interdixit, ne Desiderio colloquerentur, mandavitque Principi, ut illum pro viribus læderet, nisi sponte sua adiisset Imperatorem*, sive Regem Henricum.

Desiderius ad Henricum proficiscitur.

8. Cumque minaces alteras litteras tum ad Desiderium, cum ad Cassinenses Monachos scripsisset Henricus, ac ut ad *se in* Paschate venirent, jussisset. *Romano Pontifici cuncta litteris suis significavit, & quid Ei esset agendum, ut moneret, cravit*, ait auctor, & convocatis monachis, quam imminens, graveque periculum monasterio instaret, exposuit. *Postquam vero Princeps Capuanus, ac Normanni omnes ad Imperatorem proficisci instituerunt, & Princeps Desiderium secum*

secum ire hortatus est; Ipse quoque ire disposuit, omnia pro monasterio suo sustinere, & pati paratus, non enim animam suam pretiosiorem, quam Sanctissimum Patrem Benedictum se facere testatus est. Jesu Chr. an. 1083.

Desiderii congressus cum Henrico Rege.

9. *His dictis*, prosequitur auctor, *Patri Benedicto se commendans iter arripuit, ita tamen Deo protegente, caute se gessit, ut in toto illo itinere, & omni mora, quamplurimi & Imperatorit Cancellarius sibi occurrissent, neminem sit osculatus cum nullo eorum oraverit, comederit, vel biberit. Postquam vero Albanum pervenit, neque ipse per se Imperatorem adiit, neque ipse ad illum aliquem misit, sed per totam illam hebdomadam minæ ab Imperatore intendebantur. Mandabat enim, ut sibi fidem juraret, homoque ipsius fieret, ac monasterium ex manu sua susciperet. Quæ videlicet omnia Desiderius constanti animo & forti contemnebat, dicens, se non modo monasterii causa, sed ne pro mundo quidem toto id facturum. Cumque ipsius rigidum animum Imperator, & inflexibile propositum cerneret, iratus valde est, præcepitque Principi Capuano, ut acceptis secum Nuntiis, ad monasterium pergeret, eisque ipsum ille assignaret. Sed cum Princeps multa illi bona sæpe de Desiderio locutus esset: eo tandem ad illum perducto, ita mutatus est ut ipse coram Principe amicum illum appellaverit, oraveritque, ut de acquirenda Imperii corona, ipse sibi fautor existeret. Et quia superioribus collata Desiderius levia existimabat, facturum se pro viribus, Principe astante, promisit. Et cum exigeret, ut virgam Abbatiæ ab ipso reciperet, respondit, quia cum Romani Imperii coronam cum habere vidisset, tunc si sibi videretur, Abbatiam ab ipso reciperet, si vero nollet, dimitteret.* Eique ambiguo responso dato, iratum Regem placavit, paratus sane Abbatiam potius dimittere, quam Regis Romanæ ecclesiæ hostis infensissimi auctoritate, & Imperio retinere.

Desiderius Rom. ecclesiæ causam coram Henrico defendit.

10. *Post hæc Imperator accepta a Principe Capuæ magna pecunia, per præceptum aurea bulla roboratum, confirmavit ei Capuani Principatus omnes pertinentias, reservato sibi & Imperio monasterio Casinensi cum rebus omnibus, ac pertinentiis suis. Interim quamdiu illic permansit Desiderius, sæpe diebus singulis cum Episcopis, qui cum Imperatore aderant, de Apostolicæ Sedis dignitate contendit, præcipueque cum Ostiensi Episcopo, qui etiam Gregorio Papæ favere videbatur. Cum-*

JESU CHR. AN. 1083.

Cumque illi privilegium Nicolai Papæ, quod cum Hildebrando Archidiacono, & Episcopis centum viginti quinque fecerat, proferret, quo statutum fuerat, ut nunquam in Romana Ecclesia sine Imperatoris nutu Pontifex fieret, quod si contingeret fieri, sciret, se hujusmodi non pro Papa habendum, sed anathematizandum: Desiderius hujusmodi rationibus occurrit, dicens: Neque Papam, neque Archidiaconum, neque Episcopum aliquem seu Cardinalem, vel quemlibet omnino hominem licite facere id potuisse: Sedes enim (inquit) *Apostolica domina est nostra, non ancilla, nec alicui subdita, sed omnibus prælata, & ideo nulla omnino ratione sub jugum a quoquam mitti potest, quod a Nicolao Papa factum esse injuste profecto, ac temere præsumptum est.* Hæc & alia summa cum libertate, Regis, aut Aulicorum iram spernens, quotidie cum eis contendebat, justisque eos convincebat rationibus, Guiberto præcipue, quod Romanam invasisset sedem exprobrans, ut is auctor narrat, ac tandem Desiderius accepto ab *Imperatore præcepto*, seu privilegio, *aurea bulla munito de possessione totius monasterii petita remeandi licentia, ad filios suos tandem atque ad monasterium rediit.* Hæc Leo, qui & subjicit de sancto Hugone Abbate Cluniacensi tunc invisente Cassinense Cœnobium: *His temporibus Hugo venerabilis Cluniacensis Abbas, vir vita & fama celebris ad patris Benedicti limina advenit. Quem venerabilis Desiderius, ut tantum decebat virum magno cum honore suscipiens, & societatem Cluniacensium Fratrum nostræ apud illos, & illorum apud nos Congregationis memoriam perpetuo habendam singulares illi viri decreverunt.* Hactenus Leo, subjiciens aliqua de transitu Gregorii monachi viri sancti ex hac vita ad Deum, quem consulas, si scire cupis.

Roberti gesta in Illyrico cum Alexio Imp. & victoriæ.

11. Robertus vero Calabriæ, & Apuliæ Dux relicto ad persequendum cum Alexio Imp. bellum in Illyrico Bohamundo filiorum maximo, ut anno proximo diximus, ejusdem filii opera, & industria, Alexium aperta acie non semel fugavit, oppidaque ditioni suæ adjunxit, ut pluribus lib. 5. Alexiadum narrat Anna Comnena. *Relictus in Illyrico ferox juvenis*, ait, ideſt Bohamundus, *non magis patris mandatis, quam proprio impetu in occasionem conferendi cum Imperatore*, nempe Alexio, *præliii totus inminebat. Ergo assumptis secum tum suis copiis, tum Romanis transfu-*

Lib. 5. pag. 133. seqq.

fugit, qui desperata Imperatoris fortuna victorem secuti, non plebes solum, sed viri etiam insignes magno numero ad Raimundum accesserant, quibus adjungendi Præfecti urbium ac regionum, quæ nuper ditioni Roberti subjectæ fuerant, tum his omnibus per Bagenetiam profectus Joanninam tenuit, occupavit & muniit, inquit Anna Comnena lib. 5. pag. 133. *Joanninæ* Ætoliæ oppidum, olim, *Cassiope* dictum. *Hic Imperator auditis, confestim summa diligentia collectis copiis Constantinopoli erumpit mense Majo*, sed Alexius Imperator bis acie victus, fugatusque fuit a Boamundo. Postea tamen *Alexius* Turcorum auxilia imploravit; & cum Bremundus *Larissam* obsidione cinxisset, auxilio Larissensibus venit, & castra Normannorum cepit, multis necatis, qui illic reperti sunt, & præda omni ac spoliis potitus est, ut fuse ibidem narrat Anna, quæ sequentis libri initio *Casloriam* ab Alexio expugnatam refert, quod Zonaras sub mense Novembris Indict. VII. anno scilicet currenti, contigisse adnotat. Ac multa ibidem de varia hujus belli fortuna deque invincibili Gallici equitatus vi, mutuisque ad fallendos hostes artibus vicissim adhibitis refert, quæ ibidem videri possunt. Jesu Chr. an. 1083.

12. De Alexii autem reditu ad urbem regiam postquam Castoriam recuperasset, hæc subdit Anna. *Imperator cum ejecto Castorio Comite Briennio*, qui in locum Bohamundi fratris successerat, *latinis quos in partes suas traxerat, comitantibus rediit*. Deinde addit, quod post adeptam victoriam, præcipuos Bohamundi Duces ut ab eo deficerent, sollicitavit, quos toto triennio stipendiis suis frustratos fuisse sciebat, isque si ad castra sua transissent, amplissima stipendia cum militari dignitate promisit, vel si ad sua redire cuperent, *tutum illis iter per Hungariam daturum*. Tandem Alexius his gestis. *Victor trophæis positis cum in urbem regiam inveheretur, Kal. Decembris indictione septima, Augustam suam conjugem in ea Palatii parte diversantem reperit, quæ olim puerperiis Augustarum est dicata (ædes ipsæ antiqua appellatione* Porphyra *sive* Purpura *vocantur: unde Porphirogenitorum nomen Orbe toto Romano celebre prosluit). Ibi circa diluculum die sabbati nata ipsis puella est, haud dubiis lineamentis patrem referens, ut notarunt jam tum, prædicaruntque qui viderunt. Illa ego fui.* Hæc

Annæ Comnenæ ortus. *Lib. 6. 166. lib. 5. pag. 143.*

An

JESU CHR. AN. 1083. *Lib. 6. pag. 166.*

Anna Comnena de se ipsa, cujus Historia, quæ Baronii tempore non extabat, nobis magno subsidio est, ait Pagius, qui præterea adnotat, quod mater ejus, triduo antequam Alexius in urbem adveniisset, ut partus dolores præsenserit, Crucis forma ventrem signavit, dicens. *Mane puer, & expecta patris reditum*, quod feliciter eidem accidit, ac alteram deinde postea fœminam edidisse addit, tandem idest quadriennio post, indictione scilicet undecima currente puerum etiam peperit.

Italus quidam nova hæresi CP. ecclesiam turbat. *Anna Comn. lib. 5. pag. 142. seqq.*

13. Cum in urbem Alexius Imp. rediisset, perturbatam offendit ecclesiam *factionibus Itali cujusdam novam hæresim spargentis*, cui extinguendæ totis viribus incubuit, ut narrat Anna ejus filia, de ejusdem autem hæresis rumoribus excitatis actura, de auctore primum multa præmittit: *Fuit is*, ait, *ut* nomine, *sic & origine* Italus, Siculus scilicet. *Quo autem casu, quave fortuna iste Italus CPolim venit, in urbem scientiarum, & artis ratiocinandi nequaquam tum egenam, nescio*, ait, nam tunc non mediocriter litteras CPoli excultas fuisse addit, quarum studium excitare, revocareque conatus est Alexius. Italus porro, de quo ibidem agitur, Psello philosopho se erudiendum dederat, sed cum ferocientis ingenii esset, ac dialecticæ peritissimus, sophisticis cavillationibus delectabatur, turbidasque contentiones undique excitabat, de quavis re magno clamore jactans. *Si hoc tale est, deinde inferens aliud quidpiam ex eo connexum, aut ei simile*, uno verbo scholasticis argumentis plurimos in sui admirationem traxerat, ac Michaelis Ducæ Imp. fratrumque ejus gratiam promeruerat: in Italia deinde missus cum Imp. Michael expeditionem ad Italiæ littora Imperio suo vindicanda misisset, ac CPolim reversus in monasterio SS. Quadraginta martyrum, seu Pege, vel fontis habitavit, ac inde cum Psellus in monasterium extra urbem relegatus esset, Philosophiæ cathedram ascendit, summusque Philosophorum declaratus est, hominem tamen Dialecticæ tantum peritum, efferatique ingenii fuisse addit, ita ut nemo in disputando resistere ei posset, nec quemquam obstinato sibi animo adversari patiebatur, cum non solum verbis, sed manibus etiam certaret, nam *ad barbam statim utque ad pilos vellendos involabat*, hoc unum in eo laude dignum fuisse adnotat Anna, *Quod statim ubi percusserat adversarium, lacrymis obortis rogabat veniam, & pœnitentiam*

ſiam profitebatur; ac ſubdit, quod cum pravis dogmatibus imbutus, ea quoque inter cetera diſcipulis traderet, de Pytagorica metempſycoſi, ideſt, animarum tranſmigratione, Alexii Imp. juſſu ad judicium eccleſiæ delatus anathemate percuſſus eſt, ac capita undecim, ex ejus ſcriptis, vel dictis extracta. *Imperator retractare ipſum ac condemnare anathematique ſubjicere* juſſit. Hæreſim tamen paulo poſt eum abjuraſſe eadem Anna Comn. narrat, atque hæc accidiſſe Euſtratio Garida Patriarchatum gerente addit, qui cum anno ſequenti e vivis abierit, hinc uno, aut altero ab hinc anno hæc CPoli accidiſſe dicendum eſt; Hunc autem Italum hæreticum, Joannem fuiſſe paſſim ſcriptores tradunt, cujus opera & commentaria in Ariſtotilem in bibliothecis extare Labbeus, & Lambecius teſtantur.

Jesu Chr. an. 1084. *Pag.* 146.

Allat. lib. 2. de eccleſ. Occid. & Orient. Ducangius in notis ad lib. 6. Annæ Labb. biblio. 255. *Lambec. append. ad biblioth. Ceſar.*

JESU CHRISTI an. 1084. Gregorii septimi an. 12. Alexii Comneni Imp. 4. Henrici Imp. an. 1.

1. Cum Henricus Germaniæ Rex tranſactis annis urbem fruſtra tentaſſet, hoc tandem anno, auro magis, quam ferro eamdem invaſit. Nam ut Bertoldus Conſtantienſis narrat, cum ingentem pecuniæ ſummam ab Alexio Imp. accepiſſet, ideſt ut narrat Anna Comnena. *Centum, & quadraginta millia nummorum aureorum, & centum blattia*, cum aliis muneribus, Cruce ſcilicet aurea, & theca aurea cum reliquiis ſanctorum, cui etiam majorem pecuniæ ſummam promiſerat, ut in Apulia bellum adverſus Robertum gereret; Blattia vero tunc miſſa purpureos laneos, vel ſericos pannos fuiſſe adnotat Gloſſator ad eum locum. *Sed Henricus acceptam pecuniam*, ait Bertoldus, *non in procinctum contra Robertum, quod juramento promiſit, ſed ad conciliandum ſibi vulgus Romanum expendit, cujus adjutorio Lateranenſe palatium feria quinta ante Palmas, cum ſuo Ravennate Guiberto intravit. Nobiles autem Romani, præter admodum paucos, cum Domino Papa Gregorio tenuerunt, qui & quadraginta obſides ei dederunt. Papa autem in caſtellum ſancti Angeli ſe recepit; omneſque Tiberinos pontes & firmiores Romanorum munitiones in ſua obtinuit poteſtate.* Henricus autem ad ſuum ſuorumque præſidium muniyit montem Aventinum, in quo ſe continuit. Quomodo autem coronatus fuerit

Henricus urbem invadit. *Lib. 3. pag.* 93. 94.

JESU CHR. AN. 1084. Imperator, paulo post dicturi sumus; interea quibus artibus urbem Henricus invaserit, his verbis narrat Aragonius in vita Gregorii. *Rex paulatim cœpit popularem favorem pecunia, & terrore sibi aquirere. Quod ut Pontifex manifesto cognovit, de constantia populi diffidens, in castro Crescentii, se cum suis recepit*, seu S. Angeli. His consentit in vita Gregorii Pandulphus Pisanus, qui de Henrici persecutione agens, narrat. *Qui semel B. Paulum, bis B. Petrum aggressus, demum post multum fusum sanguinem, non tam suorum fortitudine, quam negligentia civium porticus muros surripuit, Romanum siquidem vulgus, pars videlicet copiosior civitatis, biennii bello fatigatum acri inopia laborabat, cum nec ipsis ad vicina oppida, vel castra liceret exire, nec jurati Henrici vellent ab urbem negotiatum venire, multi quoque fame abacti urbem reliquerant, proinde ceteri bello remissius attenti, rem ex animo minus gerebant, & a custodia, prout cuique libebat sine timore negligentius aberant.*

Murat. tom. 3. pag. 312.

Murat. ut supra.

Henricus ab Guiberto Antipapa Imperator coronatur.

2. Cum itaque urbis partem maximam invasisset Henricus, ac feria quinta, seu die 21. Martii Lateranensem basilicam cum Guiberto Antipapa intrasset, *In die Resurrectionis Dominicæ Henricus ab hæresiarcha suo Ravennate coronam non gloriæ, sed confusionis accepit.* Imperator scilicet inauguratus est die 31. Martii, a quo chronologi ut plurimum Imperium ejusdem auspicantur, quo titulo etsi indignus omnino esset, ad designanda tamen tempora retentus est, sicuti plurimorum aliorum Imperatorum, qui Imperii tyranni magis, invasoresque fuerunt, & ut ait Baronius, tamquam milliariæ columnæ in viis positæ, quæ etsi muta sint marmora, suo tamen modo loquuntur, viamque demonstrant.

Guibertus Rom. Pontif. ordinatur, a quibus ordinatio peracta.

Concil. tom. 20. p. 56. novissi. editionis Venetæ.

3. Ut autem solemnior inauguratio sua in Imperatorem esset, die altera qua urbem ingressus fuerat, *Vibertum Ravennatem Episcopum, eis*, ideſt Romanis, *Apostolicum præfecit*, ait Uspergensis, *undecimo Kal. Aprilis feria sexta ante diem Palmarum, qui sequenti Dominica per multos Pontifices Apostolico nomini dicatus, nomenque Clementis accipiens reverenter est intronizatus, a quo Rex cum Regina Bertha in sancta Dominica Paschæ imperiali benedictione sublimatus est &c.* Eademque Cencius Camerarius libro de censibus, Episcopos plures in Guiberti ordinatione adfuisse narrat Uspergensis, at quinam manus schismatico imposuerint omni-

omnino filet, ab Mutinenſi tamen, & Aretino Epiſcopis ordinatum fuiſſe adnotat Bertoldus, cum nullum ab Romana eccleſia Epiſcopum aut Cardinalem habere poſſet. *A Bononienſi, & Mutinenſi, atque Cervienſi pſeudo Epiſcopis* ſeu ſchiſmaticis obtinuit Guibertus ut ait Card. de Aragonia in vita Gregorii; his Cremonenſem nonnulli addunt; id ſane certum ab ſchiſmaticis ordinatum fuiſſe, eaque de cauſa ſynodum eos celebraſſe narrat ſchiſmaticus Benzo. JESU CHR. AN. 1084.

4. His geſtis, quot inde ſtrages in urbe patratæ ſint videamus, de quibus hæc Bertoldus Conſtantienſis. *Morabatur autem Henricus in Lateranenſi Palatio cum Ravennate ſuo*, ideſt Guiberto, ſeu Clemente Antipapa, *nec a fidelibus Papæ per civitatem ad S. Petrum tranſire permittebatur ſed ipſa Paſchali hebdomada fideles aggreditur. In qua congreſſione quadraginta pene inter mortuos, & vulneratos perdidit, nam reliqui fugerunt: ex parte autem domini Papæ nec unus cecidit.* Qua occaſione factum, ut ipſe Henricus ſe, ſuoſque in Aventinum conferret, locumque muniret, timens tum urbanos, tum externos, ne improviſa aliqua aggreſſione Romanorum, vel Northmannorum fidelium Papæ Gregorii trucidaretur una cum ſuis militibus, ſuoque pſeudo Pontifice Guiberto; dum autem Romanorum plurimi Henrici conatibus adverſabantur, ac ut diximus, adverſus ejus milites pugnarent, Romanorum alii Henrico faventes. *Malam quam habuerant a principio conſuetudinem perficere ut prius cœperunt, caſtrum*, Creſcentii ſeu S. Angeli, ubi Gregorius confugerat, *undique muris obſeraverunt, ita quod nulli fas erat introeundi, vel exeundi*, ait Pandulphus Piſanus in vita Gregorii; de geſtis vero Henrici hæc ſubdit. *Rex Capitolium aſcendit, domos omnes Corſorum ſubvertit. Romam ut domum propriam habere cœpit, dehinc ſeptiſolia, in quibus Ruſticus nemus prædicti Pontificis continebatur, obſidere cum multis machinis bellicis attentavit, de quibus quamplurimas columnas ſubvertit. Cum nuntius ei advenit de adventu Roberti Guiſcardi, a quo, ſi ab obſidione non recederet, expellendus eſſet, vel capiendus.* Hæc ibi. Erat locus ille, Septem ſolia dictus, e regione S. Gregorii inter montem Palatinum & clivum Scauri, ſuſſultus multiplici ordine columnarum, totidemque diſtinctis ſuperexaltatis ſoliis ſeptem, qui celſæ turris ſpeciem exhibebat. Permanſerunt ejus

Bellum civile.

Murat. tom. 3. pag. 313.

JESU CHR. AN. 1084.

ejus reliquiæ igni, atque concussionibus superstites in paucis columnis, & residuis tribus soliis usque ad tempora Sixti Papæ Quinti, quas ad usum recentium constructionum vidimus demolitas, non sine indignatione animi omnium cultorum antiquitatis. Sed ita stylo nostro, saltem in chartis numquam periturum amplius maneat ædificium, quod firmæ columnæ præstare penitus nequiverunt, ait Baronius.

Roberti adventus ad urbem Gregorium ab obsidione liberat.

Murat. ut supra pag. 313.

5. In tanto armorum strepitu, Gregorius Papa in Adriana mole, seu Crescentii castro inclusus & obsessus, cum Romanorum fidem suspectam haberet, *Sicut vir cautus & providus*, ut ait Cardinalis de Aragonia in ejus vita, *jamdiu Robertum Guiscardi egregium Normannorum Ducem sollicitare studuerat, ut in manu forti contra illatam sibi violentiam ei potenter succurreret, quem ad ipsius deliberationem cum maximo exercitu celeriter venientem audivit. Quod ubi Rex Henricus in veritate cognovit, vehementer expavit, & illico ad Ecclesiam S. Petri rediens, domo Capitolina, & Leonina.* (Urbis parte) *destructa, vale faciens Romanis, cum eodem Guiberto, non sine multo rubore aufugit. In sequenti vero die, antequam Senam Rex pervenisset, memoratus Robertus Dux, tamquam Leo fortissimus, Romam violenter intravit, quam non per triennium, sicut Rex Henricus, sed una & eadem nocte cepit, atque Beatissimum Patrem & Dominum suum Papam, suffragantibus sibi Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli meritis, ab obsidione, qua tenebatur, potentissime liberavit. Sic itaque ipsam venalem civitatem velociter expugnatam, sicut gloriosus triumphator, per plurimos dies possedit, vendens plurimos ex illis perfidis civibus, qui Dominum & Pastorem suum prodiderant, & quosdam secum usque Calabriam captivos duxit.*

Strages, & incendia in urbe.

6. Diem qua Robertus urbem ingressus est, Bertoldus his verbis adnotavit. *Robertus Guiscardus Dux Normannorum in servitutem S. Petri, post Kal. Maii Romam armata manu invasit, fugatoque Henrico, totam urbem Gregorio Papæ rebellem penitus expoliavit, & majorem ejus partem igni consumsit, eo quod Romani quemdam ejus militem vulneraverunt &c.* De igne urbi injecto aliam fuisse causam narrat Leo Ostiensis. *Urbe egressus Imperator, quia sine militum præsidio erat Castellanum Oppidum*, dictum antiquus Vejos, *subjit: Robertus autem Dux Romam cum exercitu nocte ingressus, dum*

Chron. Cas. sin. lib. 3. 53.

ad

ad Ecclesiam SS. Quatuor coronatorum advenisset, ex consilio Cincii Romanorum Consulis ignem Urbi injecit. Romani igitur novitate rei perculsi, dum extinguendo igni toti incumberent, Dux ad arcem sancti Angeli continuo properans, atque inde Pontificem abstrahens, Romam sine mora egreditur, & Gregorium Papam ad nostrum deducit monasterium. Eum vero Abbas noster quoad vixit, cum Episcopis, & Cardinalibus, qui cum secuti fuerant, honorifice habuit: ait auctor chronici seu Petrus Diaconus, qui Leonis Ostiensis chronicon Cassinense continuavit: immensam tunc stragem in urbe ab Roberti exercitu peractam, qua etiam mulieres Deo dicatæ violatæ, constupratæque fuerunt, ac urbis pars maxima, cum ecclesiis direpta, vel incendio a Lateranis usque ad Crescentii castrum concremata fuit, narrat Romualdus Salernitanus, cui consentiunt fere sctiptores reliqui Bertoldus, Landulphus senior, Romualdus Malaterra, qui etiam Romanis non solum schisma conflatum, sed infanda etiam vitia, his versibus exprobat.

JESU CHR. AN. 1084.

Murat. ter. Ital. tom. 7. 176.

Malaterra lib. 3. cap. 37. 38.

Murat. tom. 5. pag. 588.

Leges tuæ depravatæ plenæ falsitatibus
In te cuncta prava vigent, luxus, avaritia
Fides nulla, nullus ordo, pestis simoniaca
Gravat omnes fines tuos, cuncta sunt venalia
Per te ruit sacer ordo a qua primum prodiit.
Non sufficit Papa unus binis gaudet insulis
Fides tua solidatur sumptibus exhibitis
Dum stat iste, pulsat illum, hoc cessante revocas;
Illo istum minitarit, sic imples marsupias.

Tot vero strages, & sacrilegia tunc in urbe patrata fuisse ait Landulphus senior in historia Mediolanensi, eo quod Robertus, gentem perfidam, ac Saracenorum plurimos secum duxerat, qui utpote flagitiis, homicidiis, ceterisque sceleribus assueti quælibet infanda tunc patrarunt, & sane quot, quantisque stragibus tota urbs exundaret, conjici inde potest, quod nec ipsa SS. Apostolorum basilica immunis tunc fuit, latronum quodammodo spelunca facta, ac luxuriantium postribulum. Nam inter præclara Gregorii gesta, eum Apostolorum Basilicam ab his fœditatibus expurgasse Cardinalis de Aragonia his verbis narrat. *Hic liberavit ab illicito occupa-*

Murat. tom. 4. pag. 120.

Murat. tom. 3. p. 313.

JESU CHR. AN. 1084.

Gregorius indignos eccleſiæ miniſtros ab Apoſtolorum baſilica ejicit.

cupatione ſexaginta Manſionariorum Beati Petri Eccleſiam, qui in univerſa Oratoria, ſeu miniſteria ipſius Eccleſiæ, præter majus altare, quadam violentia detinebant, & cunctas Oratorum advenientium oblationes in uſus proprios redigebant. Erant enim cives Romani uxorati, ſeu concubinarii, barbaraſi, & mythrati, mentientes Oratoribus, & præcipue multitudini ruſticanæ Lombardorum, aſſerentes ſe Cardinales Presbyteros eſſe, quorum utique oblationibus receptis Indulgentiam eis, & remiſſionem peccatorum auſu nefario impudenter præſtabant. Sic occaſione cuſtodiendæ Eccleſiæ conſargentes intempeſtæ noctis ſilentio, infra, & circa eamdem Eccleſiam multa impune homicidia, rapinas, varia ſtupra, & diverſa latrocinia exercebant. Quos ſicut diximus, Beatus Pontifex ab eadem Eccleſia non ſine multa difficultate removit, & cuſtodiæ curam honeſtis Sacerdotibus, & Clericis commiſit, & tradidit. Hæc is auctor, eademque Bonizo Sutrienſis Epiſcopus coævus in libro ad amicum pag. 812. enarrat, quin alterum inde abſtuliſſe addit. *Quotidie antequam dies illuceſceret, & plerumque antequam aurora curſum ſuum inciperet, Cardinales avaritiæ quæſtu Miſſas ſuper Altare Principis Apoſtolorum celebrabant, quibus ex auctoritate Beati Petri, & ſua omnibus interdixit, ut non liceret eis deinceps ante horam diei tertiam ad altare Beati Petri Miſſam celebrare, quæ res magnam ſibi concitavit invidiam.* Hæc Bonizo loco ſupracitato. Gregorius autem ab arce Hadriani, ubi hactenus ab Henrici exercitu obſeſſus tenebatur ereptus ſynodum in urbe celebravit, ait Cardinalis de Aragonia, in qua teſte Bertoldo Conſtantienſi, Guibertum, & Henricum anathemate iterato ſubjecit. *Cujus ſententiam legati ſedis Apoſtolicæ, videlicet Petrus Albanenſis Epiſcopus in Francia, Otto Oſtienſis Epiſcopus, in terra Theutonicorum uſquequaque divulgarunt.* His geſtis Gregorius urbe cum Roberto exceſſit, ut paſſim ſcriptores tradunt, vel paulo poſt Robertum urbe jam egreſſum ſecutus eſt, ut indicat Cardinalis Aragonios. *Romam Robertus adveniens,* ait Protoſpata ad hunc annum, *& urbis maximam partem cœpit*, & Papam exinde viriliter abſtrahens, ſecum *devexit Salernum*, Malaterra etiam loco ſupracitato. *Cum Duce in Apuliam ſecedens apud Beneventum venit, ſicque in Apuliæ partibus uſque ad extremum vitæ Roma inviſa permanſit.*

Merat. pag. 5. p. 46.

7. His

7. His addatur Gulielmus siculus qui de Roberti in urbem adventu & recessu agens hæc narrat. *Cannis destructis Romam molitur adire contra Gregorii Romani Præsulis hostem Henricum*, & de obsidione, cladibusque ibidem patratis nonnulla subdens, tandem.

Jesu Chr. an. 1084. Gregorius Papa Salernum transit. *Murat. tom. 5. p. 274.*

Robertus Romam properans vi perforat urbis
Egregiæ muros, tamen auxiliantibus ipsi
Paucis Gregorii fautoribus, indeque quibusdam
Ædibus exustis, violenter ab obsidione
Liberat obsessum jam tanto tempore Papam,
Hunc secum magno deducit honore Salernum.

Hæc aliaque plurima de Roberti gestis is auctor.

8. *Igitur ab urbe discedente Pontifice, ejus comitatui Abbas Divionensis*, Sarento dictus, *non defuit*, cum nonnullis monachis, ex quibus eorum unus Valterius nomine colonorum turma interemptus est, ut idem Hugo Flaviniacensis in Verdunensi chronico narrat, atque his subdit. *Misit*, Gregorius Papa, *per eum, & per Petrum igneum, & per Principem Salernitanum Gisulphum nomine, quos Cluniacum mittebat litteras omnibus fidelibus, in quibus & calamitatis S. Rom. Ecclesiæ causam, & cur tanta passus sit, breviter dilucidavit, & ut sui miserentur admonuit.* Integram deinde Gregorii epistolam recitat, qua suas, ecclesiæque Romanæ calamitates lamentabili stylo persequitur, ac ut in Romanæ ecclesiæ communione perseverarent, ecclesiamque pro viribus tuerentur admonet, seque eorum orationibus commendat. Hanc autem, aliasque plurimas in eodem chronico Gregorii epistolas relatas cur in appendice litterarum Gregorii, novæ editionis Labbeanæ auctores non inseruerint, causam ignoro. His consentit auctor sive continuator chronici Cassinensis, cujus textum supra retulimus. Presbyter vero Pœnitentiarius in vita S. Anselmi Lucensis episcopi cap. 4. de Roberti adventu in urbem agens, Sanctum Pontificem ex turris angustia eductum in Lateranense Palatium cum gloria reduxisse ait. *Atque ibi aliquot transactis diebus Salernum pariter perrexerunt.*

Gregorii litteræ ad omnes fideles. *Labb. biblio. tom. 1. pag. 229.*

Murat. tom. 4. Chronic. Cassin. lib. 3. 53.

9. Henricus autem Romam duodecimo Kal. Aprilis ingressus, *stetit ibi usque ad duodecimum Kal. Junii*, ait auctor

Henricus in Germaniam redit.

JESU CHR. AN. 1084.

ctor chronici Cavensis, ac inde cum ignominia ejectus, quasi tamen triumphans, ob Guiberti ordinationem ibidem peractam, acceptamque ab eo Imperialem coronam, Guibertum secum ducens, inde recessit, quem in Italia schismaticorum turba protectum reliquit, dum in Germaniam redire festinaret. *Secus alpes moras, faciens*, inquit auctor anonymus historiæ Trevirensis, ad Theodoricum Virdunensem Episcopum, *qui ei summa familiaritate adhærebat*, litteras dedit, quibus se in die S. Benedicti summo studio ab Romanis exceptum fuisse, & summo triumpho & fide recedentem coluisse sic narrat. *In tantum ut in Domino fiducialiter dicamus, quia tota Roma in manu nostra, excepto illo castello, in quo reclusus habitat Hildebrant, scilicet in domo Crescentii, in quam Hildebrandum legali omnium Cardinalium, ac totius populi Rom. judicio scias abjectum, & electum nostrum Papam Clementem in Sede Apostolica sublimatum omnium Romanorum acclamatione, nosque a Papa Clemente ordinatum, & consensu omnium Romanorum consecratum in die sancto Paschæ in Imperatorem, totius populi Romani exultatione. Tu autem si non gravaris facere quod volumus, Augustam ad nos venire post festum Petri & Pauli te rogamus, quia Deo favente, in festo eorum Ratisbonæ erimus &c.*

Murat. rer. Italic. tom. 7.

Apud Dacheri spicil. tom. 12.

Schismaticorum plurimi in Germania, & Italia.

10. In Germaniam itaque rediens, Episcoporum quamplurimos tam in Longobardia, quam in Germania obsequentes sibi, ac Pseudopontifici, aut invenit, aut reddidit, uti Hugo Flaviniacensis in chronico Virdunensi narrat. Præ ceteris vero Theodoricus Virdunensis Episcopus, Antipapæ causam ita tutatus est, ut monachos, qui Gregorii partes sequebantur diris sime persequeretur, atque in ecclesiis Pseudopontificis nomen publice recitari jussit. *Totus illi sermo de Imperio Henrici, de Papatu Clementis erat*, ait is auctor, *ita ut publice in ecclesiis nomen illius hæresiarchæ nefandi in Canone recitari præciperet. Quod etiam faciebant reliqui Episcopi Lotharingiæ, & Longobardiæ exceptis perpaucis, qui magisterio Petri adhærebant; quorum vita cum esset sancta, pia, casta, & Catholica, publica notabatur infamia, insana dicebatur, & hæretica; non sufficiebat Sacerdotibus vel soli peccare, falli erant laqueus juvenum omnes, ut etiam absque synagogis facerent eos, qui non communicabant operibus eorum in communicando excommunicatis, in abjectione Gregorii, in assertione Viberti.*

Concil. Labb. tom. 20. pag. 545. novæ edit. Venetæ.

Jam

Jam vero si quis esset, qui Gregorio communicaret, hic publice convitiis appetebatur, hic hæreticus, destructor regni, assertor mali, qui nec vita dignus esset, qui publicæ indignationis offensam contraheret, perjurus, & quodam adinventitio nomine Paterinus dicebatur. Quo nomine eos designatos fuisse, qui Sacerdotibus nubere prohibebant, jam supra adnotavimus, extatque in appendice litterarum Gregorii Theodorici Virdun. Episc. epistola ad omnes Imperii subditos data, qua Gregorium acerbissimo stylo insectatur, seque cum adversariis suis ad omnia promptum, paratumque esse testatur. Jesu Chr. an. 1084.

11. Schismaticorum porro, & Guiberto adhærentium numerus hoc tempore eo usque excreverat, ut teste Donizone in vita Mathildis lib. 2. cap. 2. Catholici a Schismaticis graviter afflicti.

Hac lepra Mundus fere, non locus extitit ullus
Munda domus sola Mathildis erat speciosa.

Catholicos vero ubique variisque modis ea de causa afflictos fuisse, idem auctor adnotat, ac persecutionem tunc in eos excitatam, Neronianæ comparat his versibus.

Nascitur hinc cunctis ingens tribulatio justis
Mucronem Regis pia pars quam maxime sentit
Sedibus expulsi sunt Pontifices quoque multi,
Flagris afflicti, vinclis in carcere stricti.
Rex, & Guibertus faciunt juvescere tempus
Neronis prisci &c.

12. In tanta cleri, populique prævaricatione Mathildes Comitissa, quasi altera Judith, fere sola schismaticorum conatibus restitit, cujus præclara gesta, non solum Donizo vitæ ejusdem auctor, sed alii quoque scriptores narrant. Bertoldus etenim Pontificis liberationem, Roberti opera referens addit. *Eodem tempore milites prudentissimæ Dominæ Mathildis in Longobardia contra fautores Henrici, & inimicos S. Petri viriliter pugnaverunt, e quibus Episcopum Parmensem* (Eberardum a Domnizone lib. 2. cap. 3. appellatum), *& sex capitaneos cum aliis bonis fere militibus centum ceperunt. Equos etiam plusquam quingentos, & loricas* Mathildes Gregorii, & ecclesiæ partes tuetur.

JESU CHR. AN. 1084.

plurimas, & omnia tentoria inimicorum pleniter potiti victoriam habuerunt. Hugo vero Flaviacensis hæc adnotat. *At vero Mathildis Comitissa Romanæ ecclesiæ filia, virilis animi constantiam tenens, tanto ei* (scilicet Henrico Regi) *fortius resistebat, quanto magis hujus astutias, & Papæ innocentiam noverat. Sola enim tunc temporis inventa est inter fœminas, quæ Regis potentiam aspernata sit, quæ calliditatibus ejus, & potentiæ etiam bellico certamine obviaverit, ut merito nominetur virago, qua virtute animi etiam viros præibat &c.* eaque de causa obtrectationes, calumniasque schismaticorum sustinuisse addit, ita ut *crimen incestus sanctо Pontifici objiciebatur.*

Mathildis litteræ ad Germanos contra Henricum.

13. Paulo post idem Virdunensis monachus chronici auctor coævus hæc etiam de Henrici ad urbem adventu, & reditu agens adnotat. *Rex hoste adventante*, idest Roberto, *fugæ præsidium requirens, sigillum domini Papæ, quod furto subripuerat secum tulit, & Portuensem, quia olim familiaris Papæ fuerat, sibi conciliatum secum duxit. Viterbium vero, & ipse aufugit. Quamobrem verita, Mathildis ne simplices quique astuta Regis specie sigilli deciperentur, prævenit malitiam illius mittens litteras fidelibus in hæc verba: Mathildis Dei gratia si quid est, omnibus, fidelibus in Teutonicorum Regno commorantibus salutem. Notum vobis facimus, quod Henricus falsus Rex furto subripuit sigillum Domini Papæ Gregorii. Unde si quid audieritis quod discordet a nostra legatione, falsum arbitramini, neque mendaciis ejus acquiescatis. Præterea Episcopum Portuensem secum ducit, quoniam olim fuit familiaris Domini Papæ. Si igitur aliquid vobiscum, vel contra vos per eum valet operari, eum falsum testem nolite dubitare. Nulli unquam credatis, qui aliter quam nos dicere audebit. Sciatis Dominum Papam jam recuperasse Sutrium atque Nepe. Barrabas latro*, idest Guibertus, seu Clemens Antipapa *ipse quoque aufugit. Valete, & de insidiis Henrici cauti estote.*

Carthusiani ordinis ortus. De Brunone ejusdem institutore.

14. Quo anno, Carthusiani ordinis fundamenta posita sint, dissident auctores, cum alii annum 1084. alii 85. alii etiam 1086. cum Baronio assignent. Labente tamen ordinis initia alliganda esse Mabillonius, & Pagius, aliique adnotant, cujus auctor fundatorque Bruno fuit, qui non obscuris parentibus Coloniæ ortus, inde jam clericus, in Rhemensem eccle-

ecclesiam transiens, humanis, divinis que litteris operam dedit.

Jesu Chr. an. 1084. Mabill. annal. lib. 64. an num. 63. 64 Pag. nor. ad an. 1086.

Quem docuit tenerum mater Remensis ecclesia.

Ut in carmine eidem post obitum inscripto testati sunt Remenses canonici, Canonicus postea & scholarum magister, *seu magnorum studiorum Rector*, & Cancellarius, ab Gervasio Remensi Archiepiscopo creatus fuit, ut in ejus vita narrat Guibertus Abbas, at cum Gervasio Remensi successisset Manasses, cujus corruptos mores sustinere Bruno non poterat, ipsius vero pro ecclesiastica disciplina tuenda zelum Manasses ægre ferret, Cancellarii munus Godefrido Remensi clerico detulit. Itaque circa an. 1083 Remis excedens Bruno, cum *quemdam magni nominis eremitam*, de vita instituenda consuluisset, ut ait Guibertus, anno 1084. Hugonem Gratianopolitanum Episcopum adiit, ac magnæ Carthusiæ fundamenta posuit. In quam rem extat charta Hugonis Episcopi Gratianopolitani ipso anno scripta presbyteris, & laicis sui Episcopatus, qua jubet ne feminæ transeant per terram fratrum Carthusiæ, qui Deo placere cupientes, mundum & turbas fugiebant, & ne quisquam intra terminos ipsorum possessionis, piscationem, aut venationem exerceat, & sua animalia pascenda deducat. *Datum mense Julii, anno* 1084.

Carthusianos montes cum sociis Bruno habitat.

15. Etenim de Brunonis & sex ejus sociorum adventu cælitus præmonitus Hugo Episcopus, eximiæ pietatis vir eosdem amantissime excepit, & asperrimos Carthusiæ montes ad habitandum concessit. Quo cum se contulissent generosi Christi milites, paulo ante festum sancti Joannis Baptistæ, extructo mox in honorem Deiparæ Virginis oratorio, in separatis cellis, vel potius cavernis & speluncis habitare, & cœlestem vitam agere cœperunt, Brunone magistro ac duce, qui identidem in alium locum maxime horridum secedere consueverat. Hæc initia, & cunabula fuere sacræ illius domus, quæ a situ Carthusia dicta est, ceterisque ejusdem familiæ locis nomen dedit, & ideo major, seu prima nuncupatur.

Qua de causa Bruno in eremum secesserit.

16. Quanam autem de causa, præter corruptos Manassis Episcopi mores, invisamque ejus dominationem, Bruno in eremum secesserit, ipse aperit in epistola ad Radulphum

JESU CHR. AN. 1084. Viridem Remensem præpositum, quam ex Calabria scripsit, ut eum ad exequendum monasticæ vitæ conceptum olim propositum adhortaretur. *Reminiscitur*, inquit, *dilectio tua, quod cum ego, & tu, & Fulcius Monoculus quadam die simul fuissemus in hortulo adjacenti Domui Adæ, ubi tunc hospitabar, de falsis oblectationibus & perituris mundi hujus divitiis, necnon de perennis gloriæ gaudiis aliquamdiu, ut opinor, tractaremus: unde divino amore ferventes, promisimus, ac vovimus Spiritui Sancto, in proximo fugitiva sæculi relinquere, & æterna capture, necnon monachicum habitum recipere, quod & in vicino peractum esset, nisi tunc Fulcius Romam abiisset, ad cujus reditum peragenda distulimus: quo moram faciente, aliisque intervenientibus causis, divinus amor elanguit, refriguit animus, fervorque evanuit. Quid ergo superest, carissime, nisi a tanti debiti nexibus te citius expedire, ne pro tam gravi tamque diuturno mendacii crimine iram incurras potentissimi, & propter hoc cruciatus immanes &c.* Aliam secessus Brunonis causam attulere scriptores plurimi, nimirum Brunonem dum in scholis Parisiis versaretur, prodigio redivivi canonici, qui se damnatum dixerat perterritum, in eremum secessisse, & adjunctis sibi sociis Cartusiensium Ordinem instituisse: eaque historia variis subinde aucta circumstantiis, ab sancto Antonino, Gersonio aliisque præclaris viris probata, ac posteris tradita, mirum non est ab ejusdem Ordinis alumnis admissam ac totis viribus vindicatam fuisse, ut apud Benedictum Trombium Annalium Chartusianorum editorem videre est: multa tamen ad eam historiam evertendam congesta sunt, ab Launojo præceteris collecta, & vulgata, quæ ibidem videri possunt.

Mabill. ut supra.

Annal. Carthus. tom. 2. Launoj. opera tom 2. part. 2.

17. Benedictinam autem regulam, quatenus Anachoretarum ferebat institutum suis monachis ab Brunone propositam fuisse affirmat Mabillonius. Hinc Guigo quintus Carthusiæ prior statuta sua ad mentem benedictinæ regulæ digessit, ut probat Chartusiæ Portarum antiquus Codex, in quo statuta illa hunc præferunt titulum. *Statuta Guigonis Chartusiæ prioris, & aliorum Patrum juxta regulam S. Benedicti.* His adde, quod Paschalis secundus Papa Lanuino Squillaci post sanctum Brunonem priori indulget, ut in quadam ecclesia, juris eremi, quæ apud Squillacum sita erat, monasterium constituat. *Ut fratres austeritatem eremi ferre*

Bruno Benedictinam regula suis tradit. *Annal. lib. 66. n. 65.*

non

non valentes, juxta B. Benedicti regulam illic possint omnipotenti Deo deservire. Quin etiam Eugenius tertius in privilegio Cartusiæ Montis Dei concesso statuit. *Ut ordo monasticus secundum B. Benedicti regulam, normam quoque & institutiones fratrum Carthusiensium perpetuis ibi temporibus observetur*, eoldemque pauperes primitus appellatos fuisse demonstrat Ducangius in verbo *Pauper*. Jasu Chr. an. 1084.

18. Ab romana expeditione in Apuliam cum Gregorio Papa reversus Robertus, ut eladem anno proximo ab Bohamundo filio suo acceptam repararet, Bugarium, & Gildam filios in Illyricum misit, iisque præcepit, ut Aulonem occuparent, eoque advenientes Bulonem, & Bruthotum aggressi obtinuerunt. Robertus vero se filiis paulo post cum classe sua Buthroto conjunxit. Alexius vero Imp. ut tantum a se repelleret hostem, ab Venetis, eo jam tempore in mari Jonio, totoque Archipelago virtute viribusque præclaris, auxilium petiit, pecunias ad instruendam classem, militumque stipendia, *largissime pollicens*, ait Anna Comnena, deinde Alexius Venetis conjunctus, in hostem classem immisit, nec certamen Robertus recusavit. *Sed potius ultro occurrere, accerserequc periculum generositate sua dignum*, credidit, at semel & iterum a Venetis victus, animo tamen nequaquam concidit, quin prælio instaurato victor evasit, quod Venetorum quidem nimiæ securitati, quasi jam hostem debellassent, tribuit Anna, eaque victoria crudelissime usus Robertus, *multos eorum quos cæpit, inhumane cruciavit, deformavitque, quibusdam oculos eruit, aliis nares abscidit, nonnullis manus aut pedes, fuere quibus utraque illa demeret*. Veneti tamen non multo post classe iterum reparata, *Consertoque acri prælio, illum plane vincunt, multis ex ejus exercitu cæsis, pluribus demersis, parumque abfuit quin filium ejus Gidam*, seu Gildam, *& uxorem Gitam caperent*. Pro qua victoria Alexius Imperator, Duci Venetorum dignitatem Protospati cum annuo censu contulit, multaque dona Venetiarum ecclesiis distribuit, Venetisque privilegia concessit, ut eadem Comnena pluribus narrat; De mutuis hinc inde cladibus, & victoriis Alexii Imperatoris & Roberti ducis variamque belli ejusdem fortunam versibus suis celebrat Gulielmus Apulienſis libro quinto, quæ prosequi longum esset. Roberti bellum in Illyrico persequitur.

Lib. 6. pag. 160.

pag. 162. Murat. tom. 5.

Murat. ut supra pag. 275. seqq.

19. Ad

Jesu Chr. an. 1084.

19. Ad hunc annum pertinere arbitror ait Mansius, synodum habitam CPoli ab Nicolao Patriarcha, cui adfuerunt præter Symeonem Hierosolymitanum Patriarcham, Archiepiscopi cum Episcopis viginti tres, additis Hegumenis Monasteriorum plane multis, adstitit quoque Alexius Imperator cum optimatibus. In hac Synodo discussa fuit causa Leonis Archiepiscopi Chalcedonensis, qui sacris imaginibus cultum absolutum *non relativum*, ut vocant, impendendum esse in sua ad Nicolaum Adrianopolitanum epistola contendebat. Quæ viri sententia summo totius Synodi consensu damnata fuit, eamdemque pariter & Leo ipse præsens damnavit, atque in Ecclesiæ communionem admissus fuit. De hoc Leone agit pariter Anna Comnena lib. 5. asseritque, illum numquam ex animo sententiam suam retractasse, quin & illam palam deinceps docuisse, donec tandem coacti Ecclesiastici principes seu Episcopi in altero concilio damnarunt, & ab Episcopatu depositus exulare jussus fuit Sozopolim in Pontum. Synodum hanc Montfauconius in bibliotheca Coisliniana vulgavit, ejus tamen nulla in novissima etiam conciliorum editione occurrit mentio.

CPolitana synodus de imaginum cultu adversus Leonem Chalced. Ep. *An.* 1084. *pag.* 559.

Nicolaus Grammaticus CP. Patriarcha ordinatur.

20. Hoc anno in locum Eustrafii Garidæ ordinatus est Patriarcha Constantinopolitanus Nicolaus, ut testantur Anna Comnena, & Zonaras. *Eustrafius Garida*, ait hic auctor, *cum eam dignitatem*, seu Patriarchalem sedem Constantinopoli, *per annos tres usurpasset, ob causam non satis notam ab Imperatoribus sacra æde est deductus, atque in ejus locum suffectus Nicolaus monachus dictus grammaticus, qui in studio virtutis ætate acta non rudis erat, etsi non exquisite peritus.* Itaque non Eustrafio mortuo, ut ait Baronius, sed amoto Nicolaus successit. Hunc Nicolaum indictione septima anni sexies millesimi sexcentesimi nonagesimi secundi, seu potius quingentesimi 92. thronum Patriarchalem ascendisse narrat Anna Comnena, qui per annos 27. Patriarchalem sedem retinuit.

Zonar. pag. 297.

Anna Comn. lib. 10. *pag.* 273.

Gallorum expeditio in Mauros Hispaniæ.

21. Hoc etiam tempore contigit secunda Gallorum in Mauros Hispaniæ expeditio, ait Pagius, de qua auctor anonymus fragmenti historiæ Francorum a Roberto ad mortem Philippi I. apud Duchesnium Tom. 4. pag. 88. hæc habet: *Secundam expeditionem in Hispanos Dux Burgundionum Hugo, pluresque*

que alii Principum Galliæ paraverunt. Quibus Rex Aragonenſis Sancio, cujus patrem, Milonem ſcilicet Regem, ipſi Saraceni jamdudum excoriaverant, (loco Milonis reponendus Ramirus; at fabula de genere mortis ejus ſuſpecta eſt, ait Pagius) *obviam venit, ciſque Ducatum contra eoſdem præbuit Saracenos. Quo Duce Hiſpaniam ingreſſi captaque una nobilium ejuſdem Hiſpaniæ urbium, & devaſtata ex parte ipſa regione, plurima onuſti præda domum remeant, quamplurimis captivis abductis &c.* Eademque expeditio ex Charta a Chiffletio in probationibus hiſtoriæ Ternocenſis relata pag. 331. ſuſtori ſtilo narratur, ex qua præcipua Pagius refert.

Jesu Chr. an. 1085.

JESU CHRISTI an. 1085. Gregorii Papæ VII. an 13. Henrici Imp. 2. Alexii Comneni 7.

1. Cum in Germania Otto Epiſcopus Oſtienſis Gregorii ſententiam in ſynodo Romana adverſus Henricum Imper., & Guibertum Antipapam anno proximo latam in conventu Saxonico promulgaſſet, eidem Sententiæ Saxones utpote Henrico infenſi libentiſſime ſubſcripſerunt, ut narrat Bertholdus in chronico, cumque adverſus ſententiam in Henricum, & Guibertum latam ab adverſariis, & Henrici fautoribus obiiceretur, inter cetera. *Quod Papa eum nequiverit excommunicare, eo quod expoliatus Regno ſcilicet, non potuerit vocari, judicari, ſive damnari.* At his Saxones reſpondebant, ſe judicium Apoſtolicæ ſedis ſequi, neque licitum ſibi, ejuſdem ſedis ſententias retractare. *Ita ergo ſoluto colloquio diſceſſum eſt ab invicem.* Uſpergenſis vero Abbas rem fuſius exponens, utriuſque partis Epiſcopos, & Proceres in Thuringia in loco Berbac iterum convenisse narrat, atque ibidem poſtquam diu acriterque inter eos diſputatum fuit, tandem *electis ſatis litteratis & eloquentibus viris Hinc Vecilone Moguntino*, Henrici partes defendente, *illinc* Gebehardo Salisburgenſi Archiepiſcopis contra Henricum diſputante, *diſputatio cœpta eſt. Affirmat Gebehardus proponente hoc prius Vvecilone, Imperatorem non injuſto judicio, tam regno, quam communione Apoſtolici ſententia privatum. E contra Vvecil, dominum ſuum præjudicium non minus a Papa, quam a Principibus paſſum contendit, dum ipſo apud Canuſium in ſatisfactione poſito, imo jam a Papa in*

Conventus in Saxonia, & Thuringia celebrati.

An Henricus excommunicari potuerit, pro utraque parte diſputatur.

JESU CHR. AN. 1085.

in communionem recepto, alterum ſuper ſe Regem elevarent. Adjecit etiam idem Moguntinus quod Imperator diu jam a Saxonia depulſus, & regnandi copia etiam ab illa diſſenſione, quæ Rudolphum facta præſcribitur, ſpoliatus; nec vocari nec judicari, nec damnari canonice debuiſſet; hoc Gebeardus improbare nitens, aſſerit, neminem per hoc divinis abſolutum legibus, ſi forte ſua qualibet re familiari fuerit ſpoliatus: quanto minus Rex, qui Saxonia, quæ non ſuum duntaxat prædium, ſed Domini ſit regnum, qui, Daniele vel ipſo Rege Nabuchodonoſor teſte, cuicunque voluerit, dat illud: cum etiam ante amiſſam Saxoniam, trias ab Alexandro, dehinc ab Hildebrando vocatus ſatisfacere comtempliſſet &c.

Catholicorum ſynodus Quidlinburgenſis.

2. In duas itaque partes diviſi, duas poſtmodum ſynodos, ſive conventus celebrarunt. *Notum eſt*, ait Uſpergenſis, *quod eamdem ſententiam adverſarii Imperatoris tanto inſequebantur zelo, ut habito poſtmodum in Quintillinburg Concilio, ubi Otto Epiſcopus Oſtienſis interfuit legatus Hildebrandi Papæ, ipſam nimium ventilantes hæreſim Vvecilonis, ipſumque hæreſiarcham appellarent, contra Fidem ſcilicet illum dogmatizaſſe culpantes, quod quamdiu quis ſuis ſpoliatus ſit rebus, divinis non ſubjaceat legibus.* Hucuſque Uſpergenſis. De geſtis in Quidlinburgenſi ſynodo, ſeu conventu plura ab Uſpergenſi prætermiſſa narrat Bertoldus, *Hermannus Rex*, ait, *in Quinteleburg Paſcha celebravit, ubi & legatus Domini Apoſtolici*, Otto ſcilicet, *in ipſa Paſchali hebdomada generalem ſynodum Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Abbatibus ſancti Petri fidelibus ſolemniter celebravit. Interfuit autem huic Synodo Gebehardus reverendiſſimus Juvavienſis Archiepiſcopus. Item venerabilis Hartungus Magdeburgenſis Archiepiſcopus cum ſuffraganeis ſuis. Item Suffraganei Moguntinæ Sedis de Saxonia: nam Vvirceburgenſis, & Vvormatienſis, Auguſtenſis quoque, & Conſtantienſis de Alemannia, quique ipſi canonica neceſſitate impediti, venire non potuerunt, per legationem ſuam ſe ſancto Concilio repræſentaverunt, ſeque per omnia ejuſdem Synodi ſtatutis aſſenſuros mandaverunt. Rex etiam Hermannus cum ſuis Principibus eidem Synodo interfuit. Cum ergo omnes juxta ordinem ſuum conſediſſent, prolata ſunt in medium decreta ſanctorum Patrum de primatu Sedis Apoſtolicæ, quod nulli unquam liceat ejus judicium retractare, & de ejus judicio judicare.*

tare. *Quod de totius Synodi publica professione laudatum & confirmatum est. Et hoc utique contra Henricianos, qui fideles S. Petri constringere voluerunt, ut excommunicationem domini Papæ Gregorii super Henricum cum illis retractare præsumerent.* JESU CHR. AN. 1085.

3. Cumque ut subdit Bertoldus. *Quidam Bambergensis clericus nomine Cunibertus Romani Pontificis primatui derogare volens, in mediam Synodum se contulit, asserens, Romanos Pontifices hunc sibi primatum adscripsisse, non aliunde concessum hæreditasse, videlicet, ut nullus de eorum judicio judicare debeat, nec illi alicujus judicio subjaceant. Qui cum aperte a tota Synodo confutaretur, præcipue tamen a quodam laico convictus est per illud Evangelicum: Non est discipulus supra magistrum. Cum enim hoc generaliter in omnibus Ecclesiasticis ordinibus observandum deputetur, ne major a minore judicetur: quis hoc Vicario S. Petri denegare potuit, quem omnes Catholici pro domino & magistro venerantur? In eadem Synodo ordinatio Vvecilonis Moguntini invasoris, & Sigefridi Augustensis, & Norberti Curiensis: imo omnes ordinationes, & consecrationes excommunicatorum penitus irritæ judicatæ sunt juxta decreta SS. Patrum Innocentii, Leonis I. Pelagii, atque ejus successoris Gregorii I.* Vecilo autem Moguntinæ sedis invasor, ibidem damnatus, anno proximo, Henrici opera in eam dignitatem & sedem intrusus fuerat, quem clericum Halberstadensis Episcopi fugitivum fuisse narrat Bertoldus. *Qui jamdudum anathematizatus, & ab anathematizatis electus, nihilominus etiam ab anathematizatis, juxta Pelagium Papam, non consecratus, sed execratus est.* Qui ad obitum usque in schismate perseveravit. Rom. Pontificis privilegia & Primatus defenditur.

4. In eadem Quidlinburgensi synodo, Vvecilonis Moguntini sententia damnata est, qua ajebat seculares viros suis rebus expoliatos, ecclesiastico nequaquam subjacere judicio, nec pro excessibus excommunicari posse, deinde cautum ibidem est, ut a proprio Episcopo excommunicatus, nullibi reciperetur, nisi absolutus ecclesiastico more antea fuisset, nec excommunicatus pro sacrilegio ante reconciliationem, & restitutionem reconciliaretur. Presbyteris vero, Diaconibus, & Subdiaconibus perpetuam continentiam canon sequens imponit. Laicis pallas, vel vasa sacra tangere, vel decimas ecclesiæ debitas sibi vindicare vetatur. Jejunium Concilii Quidlinb. canones. *Labb. tom. 10. pag. 405.*

Jesu Chr. an. 1085. De abstinentia casei, & ovorum in jejunio Quadrag.

vero tum quadragesimale, cum æstivum in Pentecoste ut observaretur cautum ibidem est, additumque ne in Quadragesimali Jejunio, caseum, aut ova fideles comederent, eodemque synodali judicio ordinatio Gebeardi Constantiensis Episcopi, & cetera etiam ab legato Apostolicæ sedis peracta confirmata sunt. Cum quæstio de consanguinitate Regis Herimanni mota ibidem fuisset, se quidem synodi judicium observaturum fore Rex promisit, sed deficientibus accusatoribus causæ hujusce cognitionem synodus distulit.

Excommunicationis sententia in schismaticos cum candelis ardentibus.

5. *In fine autem Synodi sententia anathematis cum ardentibus candelis promulgata est in Guibertum hæresiarcham Sedis Apostolicæ pervasorem, & in apostatas S. Petri Hugonem Album cognominatum, Joannem Portuensem Episc., Petrum Excancellarium.* Hi autem pseudo-Cardinales erant Guiberti Antipapæ sectatores & acerrimi defensores. *Item in Liemarum Bremensem, Utonem Hildesheimensem, Ottonem Constantiensem, Burchardum Basilcensem, Huzmannum Spirensem Episcopos. Item in Vvecilonem Moguntinum invasorem, Sigefridum Augustensem, Norbertum Curiensem. In hoc*, inquam, *& in omnes eorum complices incvitabilis sententia anathematis promulgata est.* Hactenus de rebus in Synodo gestis Bertholdus, quæ, ut ratio illius temporis exigebat, tam ibi, quam in aliis quoque Synodis inculcata, ac repetita fuere.

Synodus Moguntina ab schismaticis celebratur. *Labb. Concil. tom. 10. pag. 409.*

6. Dum hæc in Quintilinburgensi synodo ab Ottone Apostolicæ sedis legato, cum Episcopis ibidem congregatis agerentur, Schismatici, ut vicem, pro excommunicatione in eosdem vulgata, redderent Moguntiæ congregati, eamdem excommunicationis sententiam in catholicos tulerunt. De hoc conciliabulo Sigebertus ad hunc annum hæc habet. *Henricus Imperator Moguntiæ regali, & synodali conventu coacto exegit ab omnibus, ut Hildebrandi depositionem, & Guiberti ordinationem subscripto approbent, cui aliqui mana, & ore faventes, corde tamen Hildebrando adhærebant.* Interfuisse huic spuriæ Synodo Legatos tanquam Apostolicæ Sedis titulo missos a Guiberto Antipapa, auctor est Dodechinus; præfuisse autem ipsi Vvecillonem Moguntinum intrusum: insuper & Ulpergensis asserit, eidem Synodo Legatos interfuisse Romanos ex illis, scilicet, qui favebant Henrico, & reeeperant Guibertum. De eadem autem agens Bertholdus

dus hoc anno, post expositam Synodum Orthodoxorum hæc subjungit: *Sed hi omnes adversarii Ecclesiæ Dei, excommunicati scilicet in Synodo Orthodoxorum, in tertia hebdomada post finitam Synodum suam Moguntiæ collegerunt, non Synodum, sed conciliabulum, in quo umbratilem sententiam excommunicationis contra fideles sancti Petri deprompserunt, utpote nequaquam illos excommunicare valentes, sed apertissime se ipsos a communione Catholicorum sequestrantes, ut non tantum judicio sanctæ Ecclesiæ, sed & proprio eorum judicio, sicut omnes hæretici, a Catholicis essent separati: sedes quoque Catholicorum Episcoporum viventium temeraria cupiditate cæcati sibi vindicare non timuerunt.* Hæc ipse inter alios Herimanno Metensi, Catholicæ communionis Episcopo, & defensori acerrimo Gregorii Papæ (de quo sæpe superius) licet absenti privato Episcopatus, Imperator mercenarium suppositi Meginhardum. *Sed oves Christi non audierunt vocem alienorum.* Vvirceburgensem quoque Episcopum, quod faveret Gregorio legitimo Ecclesiæ Catholicæ Pontifici, in eadem pseudosynodo condemnatum fuisse, Uspergensis affirmat, atque in locum ejus alium subrogatum ac denique omnes, qui non reciperent Guibertum, eadem pœna Moguntinum conventiculum dignos judicavit. Jesu Chr. an. 1085.

7. De persequutione in Herimannum Metensem Episcopum excitata, deque ejectione ejus, & reditu audiendus est Hugo Flaviacensis monachus coœvus auctor chronici Virdunensis, qui Gregorii septimi morte narrata, hæc subdit. *An. sequenti de persecutione Henrici Herimannus Mettim exiit, & Sedem Cathedræ ejus Valo abbas sancti Arnulphi illicite usurpavit. Actum est illic miro Dei judicio, ut cum ad execrationem ejus chrisma quæreretur, & allatum esset chrisma ab Herimanno confectum, Episcopus Virdunensis* (nempe Theodoricus Henrici partibus addictus) *reprobatum chrisma, quod sanctum erat, projiceret, & allato suo, quod ipse contra jus & fas sacraverat, inde perficeret Valonis sacrationem, ne benedictionem patris filius impudens mereretur. Valo tamen, quia patris cubile ascendit, publicam pœnitentiam egit. Heinricus in loco ejus Brunonem quemdam Exepiscopum creavit, qui postea ab urbe cum dedecore & ignominia pulsus est, & sic Herimannus post multa laboris & vitæ pericula a suis de Longobardia, quo cum Mathilde morabatur, revocatus, IV.* Herimannus Metensis Episc. sede ejectus restituitur. *Labb. Biblio. th. tom. 1.*

JESU CHR. AN. 1085.

anno egreſſionis ſuæ Mettis recipitur, anno ab Incarnatione Domini 1089. De Herimanni abdicatione hæc quoque Sigebertus in chronico adnotat. *Imperator in Epiſcopum Metenſem alterum mercenarium ſuppoſuit, ſed oves Chriſti non audierunt vocem alienorum.* Herimanno primum Gaulo Abbas S. Arnulphi Metenſis ſubſtitutus eſt, eoque paulo poſt e vivis erepto Bruno ſubrogatus fuit, ut jin chronico S. Trudonis lib. 3. part. 2. cap. 20. legitur, cujus inſolentiam cum Metenſes ferre non poſſent, armata manu inde cum dedecore ejecerunt. *Itaque Bruno vix elapſus tam honore quam nomine Epiſcopi ea ipſa die penitus eſt privatus a Metenſibus*, ait is auctor.

Rom. ſynodus ab Guiberto celebratur. *Matt. 15. Murat. rer. Ital. tom. 1. part. 2. pag. 383.*

8. Moguntinæ ſynodo alteram a Guiberto ſchiſmaticorum Principe in urbe ineunte Januario celebratam addimus, cujus etſi acta perierint, nam omnis plantatio, quam non plantavit Pater eradicabitur, ejuſdem tamen memoria ſit in privilegio quod Ravennati eccleſiæ Pontificatus ſui initio Guibertus conceſſit, ut ſcilicet Ravennatenſis Archiepiſcopus primum locum ante Mediolanenſem, & Aquilejenſem Patriarchas in ſynodis obtineret. Cujus initium hoc eſt. *Clemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, omnibus eccleſiæ filiis perpetuam in Chriſto ſalutem.* Poſtquam vero non ſuis meritis, tribuendum eſſe dixit, quod expulſi fuerint, qui in Apoſtolicam ſedem non per oſtium ingreſſi ſunt, ſed aliunde tamquam fures & latrones; *De multis*, inquit, quæ in ipſo noſtri Pontificatus *primordio acta ſunt in ſynodo, quam pro communi utilitate maturavimus, eam circa nonas Januarii celebrantes, unum propitiante Domino nobis conceſſum eſt illud determinare, quod multoties ventilatum a prædeceſſoribus noſtris, aut vix, aut nullo fine ſopitum eſt, illud videlicet in ſynodo ſedenti jurgium, quod emerſerat inter Ravennatem, & Mediolanenſem Archiepiſcopum, unde etiam in ipſa noſtra ſynodo Aquilejenſis Patriarcha muſſitabat.* Nam ut ſubdit, ipſorum quiſque primum ſibi locum deberi ajebat, & eorum altercatione expoſita, Primatum Ravennatenſi eccleſiæ, cui haſtenus inſederat ex auctoritate Joannis Papæ Symmachi ſucceſſoris, & alterius Joannis noni ſcilicet, prædeceſſorum ſuorum, tribuit, ut ibidem videre eſt.

Schiſmaticorum Epiſc.

9. Poſtquam res in Moguntina ſynodo geſtas narravit Bertoldus, funera ſchiſmaticorum in Italia, qui urgente fame,

me, atque lue ex hac vita migrarunt, describit, ac defunctum ait Parmensem Episcopum nuper ab Henrico electum, deinde Regiensem, ac tandem Thealdum Mediolanensem, cujus contumaciam, aliaque crimina litteris suis non semel S. Gregorius condemnaverat. Inter Principes vero schismati faventes e vivis erepti sunt Adalbertus, & Reginerius Marchiones, Boso Comes Mathildi Comitissæ infensissimus, quibus e medio sublatis, liberum fuit eidem Comitissæ, ut ecclesiis Mutinensi, Rhegiensi, atque Pistoriensi, quæ viduatæ hactenus remanserant, catholici Episcopi ordinarentur. Thealdo autem Mediolanensi Episcopo vita functi Anselmum *de Rho* dictum, catholicum Antistitem ibidem electum fuisse scribit Baronius. At hic quoque ab Henrico electus, inter schismaticos recensetur, cujus cum laude meminit Landulphus senior auctor schismaticus in hist. Mediol. lib. 4. cap. 4. ac post Thealdum in catalogo Mediolanensium Episcoporum legitur. *Anselmus Episcopus sedit annos septem, menses quinque, dies sex obiit pridie nonas Decembris, sepultus in Basilica Apostolorum.* Cumque desinente hoc eodem sæculo Anselmus alter Mediolanensem sedem obtinuerit, *qui in causa S. Petri studiosissimus fuit*, ut ait Bertoldus, quique ut in supracitato catalogo Episcoporum Mediolanensium in urbe (exul ut verosimile est) obiit, hinc de hoc Anselmo Thedaldi successore qui inter Anselmos Mediolani Episc. tertius dicitur variæ eruditorum sunt opiniones, eum tamen postea sententiam mutasse ac catholicis favisse ait Muratorius, de quibus apud Sigonium lib. 9. de Regno Italiæ, Pagius, & Mansius, in notis ad hunc annum, vel apud Saxium tom. 2. hist. Episc. Mediolanensium plura videri possunt.

Jesu Chr. an. 1085. & Principum obitus.

Murat. rer. Ital. tom. 4. pag. 12c. & pag. 143.

10. At sicuti schismaticorum, & peccatorum mors pessima, ita e contrario *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*, in quorum numero sane Gregorius Papa, cum Salerni ad dedicandam ecclesiam S. Matthæo Apostolo ab Roberto Duce ædificatam transiisset, die 25. Maji ex hac vita migravit, ob vitæ sanctitatem, & disciplinæ ecclesiasticæ restituendæ zelum, Sanctorum albo inscriptus, de cujus obitu, hæc summatim Lupus Protospata in chronico ad hunc annum. *Hoc anno mense Maji prædictus Papa Gregorius, dum Salerni moraretur, diem clausit extremum, quo moriente tanta fertur grandinum, tonitruumque extitisse procella,*

Gregorii septimi Papæ obitus.

Murat. tom. 5. pag. 46.

JESU CHR. AN. 1085. *Murat. tom. 3. pag. 373.*

cella, ut omnes illic positi hujusmodi turbinibus putarent interire. Pandulphus vero Pisanus *Dux Apuliæ secum Dominum Papam deducens apud Salernum dimisit, ibique amabilis Deo catholicus, & prudentissimus vir contra hæreticorum arma defensor ecclesiæ, liberator pauperum, captivorum consolator, orphanorum miserator vitam finivit, atque Deo per Beatorum Petri, & Pauli manus animam reddidit octavo Kal. Junii* Cardinalis etiam Aragonius, vitam Gregorii hoc elogio clausit. *Dum salutis monita concurrenti populo*, Salerni, *daret*, ejusque extrema verba fuisse addit. *Dilexi justitiam, & odi iniquitatem propterea morior in exilio*, eadem fere Paulus Bernriedensis, & Otto Frisingensis. *Repente in lectum ægritudinis decidens, in beata confessione, post modicum, diem clausit extremum, ad cujus itaque corpus, in Beati Matthæi Basilica honorifice tumulatum, mirabilis Deus multa miracula operari dignatus est.*

Gregorius successorem sibi designat, excommunicatos absolvit. *Murat. tom. 3. pag. 347.*

11. De his, quæ tanti Pontificis obitum præcesserant, vel subsequuta sunt, plura notatu digna narrat Paulus Bernriedensis, ac primum, *circa Kal. Januarii præcesse cœpit dissolutionem corporis sui futurum circa Kal. Junii*, ac forti animo sustinuisse addit, itaut adstantibus Episcopis, & Cardinalibus, qui tanti Præsulis excessum deplorabant. *Illuc ascendam*, inquit, *& obnixis precibus Deo propitio vos committam. Rogatus præterea, ut in tanta fidelium perturbatione, sibi successorem, & ecclesiæ contra prænominatum adulterum* (nempe Guibertum) *designaret, tres indicavit*; videlicet Desiderium Cardinalem, & Abbatem cœnobii Cassinensis, ex Episcopis Ottonem Ostiensem, & Hugonem Lugdunensem, quia tamen hi duo absentes erant, ut vicinum Desiderium eligerent, persuasit. *Interea Pontifex B. Gregorius, super his, quos excommunicarat requisitus, si quam dispensationem facere vellet, respondit: Præter Henricum Regem dictum, & Guibertum Apostolicæ Sedis invasorem, & omnes illas principales personas quæ aut consilio aut auxilio favent nequitiæ, vel impietati illorum, omnes absolvo, & benedico, quicumque me hanc habere specialem potestatem in vice Apostolorum Petri & Pauli credunt indubitanter.* Subdit postea cœlestem viam arripuisse die festivitatis *Urbani prædecessoris sui*, nempe Sancti Urbani hujus nominis primi, die scilicet 25. Mensis Maii; auctor præterea, seu continuator Chronici Cassinensis, eadem referens. Desiderium primo loco successorem

sorem sibi designasse adnotat. Deinde Hugonem Lugdunensem Archiepiscopum, aut Ottonem Ostiensem, vel Anselmum Lucensem. *Hoc statuto defunctus est octavo Kal. Junii die Dominica, & honorabiliter intra ecclesiam B. Matthæi Apostoli, & Evangelistæ sepultus, cum sedisset in Pontificatu annis duodecim, mense uno, diebus tribus.*

JESU CHR. AN. 1085. *Lib. 3. cap. 65.*

12. Paulus autem Bernriedensis, tantam inter Gregorium, & Anselmum similitudinem, familiaritatemque interfuisse addit, ut sicuti Gregorius fons erat, ita rivulus Anselmus esset, cui omnia sua tribuebat, & sicuti *Olim Heliæ ex mortalium cohabitatione transiturus dimisit Heliseo pallium suum prophetici muneris instrumentum, similiter & Gregorius ex hac mortali vita migraturus transmisit Anselmo Pontificalis insigne potestatis, videlicet mitram capitis sui &c.* Quod etiam Presbyter Pœnitentiarius auctor vitæ Anselmi testatur, additque, præclara per eamdem mitram mirabilia Deum fecisse. *Inter alia enim reverentissimus Mantuanæ Præsul ecclesiæ Ubaldus, multis jam annis gravissime splenetico, & in toto corpore ulceratus præsertim in cruribus, sic ut vix quomodolibet stare posset, vix etiam jacere, vel sedere, qui & multa in medicos erogaverat, nihilque profecerat, apposita eadem mitra, ubi major ingrueret dolor pristinæ redditus est sanitati &c.* Quanta porro in æstimatione, & veneratione Gregorium Anselmus haberet, in expositione psalmi 2. indicat, atque in Gregorio prædictam a Psalmista persequutionem renovatam fuisse addit. His nonnulla Bernriedensis refert, quibus Deum Gregorii conatibus favisse probat, ac Deo vindice plurimos miserrime periisse narrat, eo quod Gregorii zelo, restiterint, aut decreta ejus violare præsumserint; deinde capite 118., & sequentibus eorum profert exempla, qui multis, magnificisque a Deo benedictionibus, sive in hoc seculo, vel in futuro locupletati sunt, eoquod Gregorio obsequentes fuerint, ejusque monitis, vel decretis acquieverint, ut ibidem videre est.

Anselmus Lucensis Episcop. Gregorii æmulator, & miraculorum scriptor.

Murat. pag. 348.

cap. 113. ad 124.

13. Quantus vero bonorum omnium in Gregorii funere luctus fuerit, supracitati passim scriptores indicant, ac his versibus in vita Mathildis descripsit Bonizo.

Luctus ob Gregorii obitum. *Libb. 2. cap. 3. Murat. tom. 5. pag. 368.*

Interea planctus de Præsule nascitur altus
Gregorio, gestat Dominus quem Christus ad Æthra
Ante

JESU CHR. AN. 1085.

Ante dies septem Maii, quam finis adesset
Hunc monachi flerunt monachus quia nosci tur esse:
Hunc clerici flebant valde, laicique dolebant.

Gregorii fama a nonnullis vexata.

14. Sicuti autem laudatores plurimos, dum viveret Gregorius habuit, & vituperatores, ita post mortem etiam, viri doctrina, pietateque præstantes, coœvi, aut illa ætate proximi summis celebrarunt laudibus, auctor chronici Cassinensis, seu Petrus Diaconus, Paulus Bernriedensis, Pandulphus Pisanus, Petrus Damiani, Cardinalis Aragonensis, S. Anselmus Lucensis Episcopus, Hugo Flavianacensis monachus in Chronico Virdunensi apud Labbeum, Villelmus Metensis, qui eum martyrem, & confessorem dicit, apud Mabillonium Analectorum tom. 1. aliique cujuslibet ætatis, usque ad hanc nostram, quorum quinquaginta circiter Gretzerus in Apologia tanti Pontificis recenset, qui ejusdem pietatem, & eccleſiasticæ disciplinæ restaurandæ zelum, digno encomio celebrarunt. Unde factum est, ut ejusdem nomen sub Gregorio decimotertio martyrologio Rom. insereretur; Paulus vero quintus ejus officium in Salernitana eccleſia fieri concesserit. Benedictus vero 13. ad eccleſiam universam extenderit. At sicuti laudatores, vituperatoresque dum viveret habuit, ita quoque post mortem non defuerunt ejusdem famæ detractores, quorum agmen Benno Cardinalis schismaticus ducit, qui calumniarum libellum, & injuriarum adversus eum edidit, ex quo Conradus, seu Uspergensis seculi decimitertii scriptor, nonnulla in chronicon suum, quod ad annum usque 1229. perduxit, inseruit. His addi potest Landulphus senior historiæ Mediolanensis hujus seculi scriptor, & Sacerdotum conjugatorum, seu concubinariorum Apologista. Hos vero Hætherodoxi, quibus Roman. Pontificis potestas invisa est, ambabus ulnis secuti sunt.

Quænam præcipue Gregorio obiicerentur.

15. Duo autem præceteris a veteribus, ac recentioribus famæ Gregorii detractoribus obiici solent, primum, quod immoderationis ingenii præditus, ac ambitionis æstu abreptus, toto orbi præesse præsumens, eccleſiasticas simul, & civiles potestates sibi subiicere conaretur. Alterum, quod casta Presbyterorum conjugia dissolveret, & intolerandum continentiæ præceptum clero imposuerit, ac Phariſæorum more jugum aliis imponeret, quod ipse portare recusabat.

Veri

Veri concubinatus cum Mathilde Comitissa non uno nomine suspectus, ac passim accusatus, ait Caveus, inter Gregorii detractores nemini secundus. Verum quam integerrimis moribus Gregorius fuerit, ejusdem gesta, vel scripta superius expositа satis aperte demonstrant, ac integram ejus, absolutamque apologiam continent, quam hoc loco texere superfluum. Hoc unum addimus hunc Pontificem non solum rebus gestis, sed scriptis etiam inclaruisse, cujus quamplurimæ extant epistolæ libris decem, aut undecim distributæ in Labbeana editione, quas cum duplici appendice, auxit auctor novissimæ editionis Labbeanæ, nonnullas etiam partim editas, & ineditas vulgavit Dominicus Manni auctor supplementi ad scriptores rerum Ital. Muratorii Florentiæ an. 1748.

Jesu Chr. an. 1085. *Caveus hist. litter. tom. 2. pag. 151.*

De S. Gregorii scriptis. *Labb. tom. 10. p. 6. & p. 306. & 410. Tom 20 pag. 375. seqq. Pag 285.*

16. Inter Gregorii epistolas, post epistolam 55. lib. 2. insertus legitur *Dictatus Papæ*, seu breves sententiæ numero 28. circiter, quibus Romanæ ecclesiæ dignitas, Romanique Pontificis potestas declaratur, eademque ab Gregorio anno 1076. ad comprimendam schismaticorum temeritatem vulgatas fuisse suspicatur Baronius, & Gregorio adjudicant etiam Harduinus, Christianus Lupus, aliique. Verum ad conflandam potius Gregorio invidiam, perinde, ac si ultra limites Rom. Pont. potestatem extendisset ab inepto scriptore ipsi inscriptam fuisse post Natalem Alexandrum, eruditorum plurimi contendunt. Cum nec Gregorii stylum, nec sensus exprimant. Porro sententias quidem ex Gregorii scriptis, & epistolis congestas fuisse ait Eterodoxus Mosnemius, numquam vero ab eodem, in lucem editas. Launojus quoque, Natalis Alex. utrique Pagi, aliique plurimi Gregorio Dictatum abjudicant. An autem expositio in septem pœnitentiales psalmos, Gregorio primo, seu Magno olim inscripta, huic alteri inscribenda sit, in obscuro est, verum si alterutri opus tribuendum, huic potius, quam primo convenire exploratum videtur. Commentarium etiam in evangelium Matthæi ab Gregorio, dum monachus esset, digestum manuscriptum in bibliotecis aliquot extare adnotant Caveus, Dupinius, aliique, atque hæc de Gregorii gestis, scriptisque adnotasse sufficiat.

Papæ Gregorio Dictatus non est adscribendus

Bar. an. 1076 num. 31. Hard. concil. tom 6. Lupus tom. 6. conci. Odi. de script. eccles. tom. 2. pag. 731.

Mosheim. sec. 11. parr. 2. cap. 2.

17. De gestis autem post Gregorii obitum usque ad novi Pontificis electionem, hæc memorat in chronico Cassi-

De electione Pontificis agitur, Des-

JESU CHR. AN. 1085. decius onus subire renuit. *Lib. 3. cap. 65.*

nensi Petrus Diaconus. *Quoniam Romana ecclesia pastore dellituta remansserat, & haeretici illam, atque schismatici luporum more nitebantur invadere: Desiderius una cum Episcopis, & Cardinalibus, laicisque religiosis, qui hactenus in Catholica unitate perstiterant, & Gregorio Papae fideliter obedierant, uno voto ad eam ordinandam incumbere satagunt. Mittunt ergo qui idoneas ad hoc personas undique convocent, ut ex omnibus is eligeretur, qui ad tantum onus subeundum caeteris aptior esset. Convenientes ergo ad Abbatem nostrum Episcopi, & Cardinales, coeperunt eum de praefati Pontificis appellare judicio, utque in tanta temporis necessitate periclitanti subveniret Ecclesiae, pastorale subeundo onus instantissime flagitare. Ad haec ille Papatum quidem renuere obstinatissima responsione perrexit; se tamen in quibus posset aliis, ad Romanae Ecclesiae servitium paratum esse respondit. Die vero Pentecostes Sabinensi Episcopo, & Gratiano Roma venientibus occurrit: eisque verba, quae cum Papa Gregorio de ordinatione Ecclesiae habuerat, retulit; pariterque cum eis Jordanem Principem, & Rainulphum Comitem adiit, eosque ad servitium & adjutorium Ecclesiae Romanae adhortatus; ad omnia promptos, ac paratos invenit. Coepit deinde Cardinalibus vehementer insistere, ut de Pontificis eligendi persona quamprimum deliberarent, & quotquot ad hoc officium idoneos nossent, litteris convenire satagerent.* Cumque eligentium vota in unum Desiderium Cardinalem, & Casinensis Monasterii Abbatem convenirent, ne invitus onus subire cogeretur, Romam cum Capuano Principe, & Episcopis ire renuit. *Nisi Princeps, & Comes, & Episcopi fide sibi data pollicerentur, nullam huc de re sibi vim illaturos, neque alios inferre passuros, renuentibus facere, res tunc infecta remansit*, usque ad annum proximum, quo tandem Desiderius electus fuit.

Robertii Apuliae, & Calabriae Ducis obitus. *Murat. tom. 5. p. 278. lib. 3. 57.*

18. Interea Robertus Apuliae, & Calabriae Dux intertumultus bellicos, seu etiam triumphos, hoc eodem anno, cum Cephaloniam invasisset, febre ibidem correptus obiit. *Ipse Dux moritur*, ait auctor chronici Normannici, *in Cassiopi* Cephaloniae *mense Julio, corpus ejus reportatum est Brundusii mense Septembri, & fuit sepultum in ecclesia S. Sabini in civitate Venusia*, ut Leo Ostiensis, & Anna adnotant. Nam in expeditione contra Imperatorem CPolitanum suscepta, cum mul-

multas occupaſſet urbes, ait Anna, *obiit, corpuſque ejus Italiæ relatum, & in Venuſia civitate Apuliæ conditum eſt. Supremum ſpiritum ſpirantem aſſecuta uxor ejus Gaita offendit, & filium, ut in tali ſpectaculo ac caſu flentem*, addit Rogerium poſt patris obitum copias in Apuliam deportaſſe, ac patris corpus ſecum in navi detuliſſe. Deinde *exceſſit e vivis*, Robertus, *anno vigeſimo ſexto Ducatus ſui, ætatis ſeptuageſimo*, quem licet patri ſuo infenſus fuerit, digno tamen non fraudavit elogio, at ejus laudes præceteris proſequutus eſt Gulielmus Apulienſis, qui Normannorum geſta in Apulia, Calabria, & Sicilia, ab eorum adventu in eas regiones, uſque ad hunc annum, quo Robertus obiit, verſibus deſcripſit, opuſque ſuum, Filio ejus Rogerio dicavit, atque his verſibus clauſit.

Jesu Chr. an. 1085.

Anna Comn. l. 6 p. 162. ſeqq.

Noſtra Rogere, tibi cognoſcis carmina ſcribi
Mente tibi læta fluduit parere Poeta,
Semper & auctores hilares meruere datores,
Tu Duce Romano, Dux dignior Octaviano
Sis mihi, quæſo, boni ſpes, ut fuit ille Maroni

De ejuſdem quoque obitu agens Protoſpata ad hunc annum. *Hoc anno*, ait, *menſe Maii prædictus Papa Gregorius dum Salerni moraretur, diem clauſit extremum*, poſt aliqua *Menſe Julii, dum jam dictus Dux*, Robertus ſcilicet, *moraretur in loco, qui dicitur Veneti victi*, a devictis Venetis, *exercituſque ejus ob quamdam civitatem capiendam in Cephalonia moraretur inſula*, dum CPolim uſque expeditionem pararet, *profluvio ventris extinctus eſt*, ait is autor. De quibus alia ex Romualdo Salernitano, Malaterra, aliiſque chronologis addere ſuperfluum judicamus; Filios poſt ſe Ducatus hæredes reliquit Robertus Rogerium, & Bohamundum. Fratrem vero Rogerium Siciliæ Ducem, cujus opera pax inter Roberti filios compoſita fuit, ut ſuo loco videbimus.

Murat. tom. 5 p. 278. p. 46.

19. Oblationes vero plurimas ab eodem Rogero, ejuſque prima uxore Sidelgaita Caſſinenſi Monaſterio factas commemorat Leonis Oſtienſis continuator, quæ ſane tam in auro, quam in vaſis, & utenſilibus ſacris maximam efficiunt ſummam, nec Caſſinenſe tantum monaſterium liberalitatis ejus particeps fuit, ſed quælibet pene in tota

Oblationes plurimæ ab Roberto, & uxore ejus Monaſt. Caſſin. aliiſque factæ. *Lib. 3. cap. 58.*

JESU CHR. AN. 1086.

Apulia, Calabria, & Campania monasteria erant, ut idem auctor prosequitur. Inter cetera. *Super hæc omnia misit Beato Benedicto per Desiderium altare aureum prætiosissimum gemmis, & margaritis, & quod multo prætiosius est Beatissimi Apostoli, & Evangelistæ Matthæi reliquiis mirifice decoratum*, ait is auctor, quæ cum Roberti pietatem exprimant, sic Epitaphii loco sint.

Toletum ab Alphonso Rege captum. *Marian. lib. 9. cap. 16. tom. 1. pag. 373. Pag. not. 5. an. 888.*

20. Cum Maurorum in Hispania vires quotidie exciderent, Alphonsus Legionis, & Castellæ Rex ea occasione atens, Toletum firmissimum eorumdem propugnaculum, longa obsidione cinctum, hoc anno tandem obtinuit; ut post Marianam adnotat Pagius; Longæ obsidionis incommoda ex utraque parte tolerata, ac initas de urbe tradenda legationes, & conditiones Mariana describit, quibus firmatis Rex triumphantis more, *octavo Kal. Junii, qui dies Urbani Pontificis, & martyris memoria sacer est anno salutis* 1085. in Arcem, seu oppidum intravit, cum ibidem trecentis sexaginta circiter annis sub Maurica potestate fuisset, quo factum est, ut de antiqua urbis elegantia vix vestigia supererent, totis tamen viribus in restaurandis sacris, prophanisque ædificiis Alphonsus incubuit, & ut illustrem ecclesiam, Maurorum captivitate diuturna oppressam erigeret, Episcopum ibidem eligi, & ordinari postea curavit.

JESU CHRISTI AN. 1086. VICTORIS TERTII PAPÆ I. HENRICI IMP. 3. ALEXII COMNENI IMP. 6.

Desiderius Rom. Pontificatum recusat. *Lib. 3. cap. 66. 67.*

1. Annum fere integrum ab Gregorii septimi obitu transierat, ex quo Apostolica sedes pastore viduata remanserat, eo quod Desiderius electioni suæ obstinato animo restitisset. Circa Paschalem vero solemnitatem, *Episcopi & Cardinales Rom. Ecclesiæ*, ut narrat auctor chronici Cassinensis, *ex diversis partibus Romam confluentes mandaverant Abbati*, Desiderio scilicet Cardinali, & Abbati Cassinensium, *ut una cum Episcopis, & Cardinalibus Romanis, qui tunc secum morabantur, & cum Gisulpho Salernitano Principe, qui tunc a Cisalpinis partibus venerat, ad eos quantocius pergerent, ut simul de Romanæ Ecclesiæ ordinatione tractarent. Ille nihil suspicans de se illo cogitare, cum jam nulla de eo mentio fieret, assumptis omnibus, Romanam tendit ad Urbem.*

rem. *Quo autem applicuit die, id est, in vigiliis Pentecostes instante Desiderio, ut Pontificatus apex alicui injungeretur, qui vel sibi, vel ipsis, videretur idoneus. Romani prorsus omnes, tam Clerus, quam populus assentiri renuerunt. Per totam ergo illam diem fautores omnes Catholicæ partis, & clerici, & laici frequentes eum adeunt. Jam vero circa vesperam congregati pariter Episcopi, & Cardinales, & Romani omnes, qui in fide Catholici gregis perdurabant, in Diaconia S. Luciæ omnes unanimiter Desiderium multis precibus orare cœperunt, ut Romanum Pontificatum suscipere non recusaret, eumque per divina omnia, & humana obtestari, ut subveniret Ecclesiæ periclitanti, & in naufragio pene constitutæ, sæpius ad ejus genua, plerisque lacrymantibus, corruentes. Desiderius, qui jamdudum instituerat vitam quietam transigere, tempusque suum optabat in divina peregrinatione finire, omnimodis renuere cœpit, & hoc se nunquam facturum protestari. Instare illi vehementer, perseveranter insistere; ipse vehementius reniti, resistere perseverantius, dicens, si se invitum, ac per vim ordinarent, ad monasterium quamprimum rediturum, nullamque Pontificatus rationem habiturum: eosque propterea, & Ecclesiam Romanam ludibrio fore exponendam. Et quia tardior jam hora processerat, imminente jam nocte, ad sua quique reversi sunt,*

Jasu Chr. An. 1086.

2. *Postridie vero, id est Dominica Pentecostes, omnes ad eum summo mane conveniunt, eadem repetunt. Sed ipse nihilo segnius in sententia perstat. Cumque se nil proficere cernerent; omnes unanimiter Desiderium flagitant, ut ipse illis Antistitem nominet: electuros se quem ille dixisset. Habito vero cum Cincio Romano Consule secreto consilio Ostiensem Episcopum nominat. Rogant post hæc, ut quem ipsi eligerent, ille in Casinensi monasterio susciperet: ac sicuti Gregorio fecerat, donec pax daretur Ecclesiæ, foveret. Id se Desiderius libentissime facturum repromisit, atque ut fide sua agerent, protensa quam manu tenebat ferula, momit: Jam de Ostiense eligendo decernebant: cum repente ex Cardinalibus quidam eam electionem esse contra canones asserens, nunquam se consensurum affirmavit.* Hanc præceteris caussam afferens contra canones esse Episcopum, qualis erat Otto Ostiensis, in Romanam sedem transferri, at Episcopi, & Cardinales, hunc spernentes scrupulum, cum precibus Desiderii pertinaciam

Desiderius Rom. Pontifex eligitur, Victor tertius dictus.

JESU CHR. AN. 1086.

ciam vincere nequiverint, neceſſitate adacti, vim intulerunt, ac *uno animo parique conſenſu* Deſiderium *captum, invitum ad Eccleſiam Chriſti martyris Luciæ perducunt; ibique juxta Eccleſiam, electo Victoris nomen imponunt. Sed quoniam hæc omnia, ut diximus, contra ejus animum fiebant, cappam quidem rubeam induit. Alba vero induere eum nunquam potuerunt. Eo igitur tempore Præfectus Imperatoris a Duce*, Rogerio ſcilicet, *& ejus matre dimiſſus, ob id videlicet, quod Epiſcopi, & Cardinales, agente tamen Salernitano Principe Salernitanum Archiepiſcopum ſacrare noluerant, die noctuque militibus iniqua ſtipe conductis, adverſus electum in Capitolium pergens, perſecutiones ei maximas intulit. Poſt dies quatuor idem electus egreſſus Roma, Ardeam venit; ibique triduo remoratus, Tarracinam perrexit, ubi Crucem & chlamydem, & cetera Pontificatus inſignia ita dimiſit, ut eis uti nulla jam ei ratione perſuaderi poſſet, malens omni vitæ ſuæ tempore in humiliori habitu vivere, quam tanti ordinis oneri colla ſubmittere. Inſtabant ei quotidianis precibus, lacrymiſque creberrimis, objiciebantur Eccleſiæ magna diſcrimina, ingerebatur animarum perditio, quibus ei manifeſtiſſime divina indignatio imputabatur. Cum inter hæc omnia rigidus ille perſiſtens Caſſinum revertitur. Sicque anno fere integro flecti nullis precibus, nullis rationibus potuit. Non tamen ideo Cardinales & Epiſcopi qui aderant, ſegnius inſtabant, Jordanem Principem* Capuæ, *urgentes, ut Romam ad electum conſecrandum una pergeret. Qui magno cum exercitu ad monaſterium veniens, partim electi monitis, partim fervore æſtatis nimio ulterius progredi noluit.* Hinc factum eſt, ut Deſiderii conſecratio ad annum ſequentem differretur, de qua ibidem agemus. Quare Bernardus Guido in ejus vita. *Victor tertius*, ait *elapſo biennio* a morte Gregorii prædeceſſoris, ſicut in quadam chronica invenitur cœpit anno *Domini* 1086., in altera 1088. ſeu potius 1087. quo ordinatus fuit.

Murat. tom. 3. rer. Ital. p. 351.

Hugo Lugdun. Arch. Victoris tertii electioni reſiſtit. *Labb. Bibliotb. tom. 1. p. 253.*

3. In tanto electorum conſenſu, unus fere reſtitit Hugo Lugdunenſis Archiepiſc., Deſiderium ſibi prælatum fuiſſe ægerrime ſuſtinens, ut ejuſdem epiſtola ad Mathildem Comitiſſam data, & ab Hugone Flaviacenſi Abbate in chronico Verdunenſi relata, teſtatur, quæ cum Baronio ignota fuerit, hoc loco eam ex parte ſaltem inferere juvabit. Narrat primo Deſiderium ſe abſente electum fuiſſe, ejuſque electioni ſe

se, fratresque suos, *hominum magis, quam Dei respectu* consensum præbuisse, dein subdit. *Postquam autem ad montem Casinum, quo ipse jam præcesserat, Romæ aliquandiu morati ipsius ducatu pervenimus, ex ejusdem familiaribus nobiscum colloquiis dum videlicet nefandissimos actus suos in auribus Episcopor., & Cardinalium jactanter recitare non erubesceret, copiosius necessario deprehendimus, quam intolerabiliter Deum in ipsius electione offenderimus. Quis enim, nisi ex ipsius ore audisset, unquam crederet, Heinrico dicto Regi fidem eum dedisse, ut de obtinenda Rom. Imperii corona fideliter eum adjuvaret? Aut cujus accusatio contra talem virum reciperetur, nisi ipse quasi ad cumulum gloriæ suæ adscribendo nobis narrasset, prædictum Regem ad invadendas terras Beati Petri nunquam, nisi suo consilio & persuasione animaretur, Romam transisse? Numquid non delirans videretur, si quis Romanum electum post absolutionem a beatissimo Papa Gregorio susceptam, excommunicatum garriret nisi ipse Attonem Cardinalem Mediolanensem electum a prædicto Papa eodem Abbate subscribente publice excommunicatum, & sine pœnitentia defunctum, non solum beatum in communi nostra audientia prædicare præsumeret, verum etiam seipsum non in alia, nisi in qua ipse est, gloria futurum oraret? in quibus omnibus dilectissimos fratres nostros SS. & B. Cardinales, quos vobiscum esse putamus, testes advocamus, qui vel ipsi de ejus ore audierunt, vel bonis viris, quibus indubitanter credunt, referentibus, se audisse dixerunt. Quotiens decreta Domini sui Papæ Gregorii, aliorumque sanctorum patrum, non solum verbo aperte improbaverit, verumetiam manifestis operibus postea destruxerit, in quot & quibus locis electionem suam non secundum Deum, sed tumultuarie factam asseverans, publice refutaverit, & nunquam se acquievisse, vel in perpetuum adquieturum sub terribili attestatione affirmaverit &c.*

Jesu Chr. an. 1086.

4. Et iterum post aliqua. *Cum electionem toties refutatam, & ecclesiæ redditam libere facere sperabamus,* subdit. *Sub occasione eligendi Romanum Pontificem concilium in Capua sicut illarum partium Apostolicus Vicarius congregavit. Ad quod ego, & Abbas Masilienſis, atque Archiepiscopus Aquensis apud Salernum commorantes, ab Episcopo Ostiensi, & Principe Salernitano, & Conciano R. ex parte Vicarii, & R. Ecclesiæ invitati, ut communi consilio R. Pontificem eligeremus,*

De altero eligendo consilium ineunt.

JESU CHR. AN. 1086.

mus, veniendo obedivimus. Dux etiam quibuſdam circumventionibus a Jordano Principe juveniliter illectus, illuc venit. Cum ergo de propoſito negotio tractare diſponeremus, Abbas quibuſdam mollibus & geſtuoſis repulſionibus fautores ſuos Epiſcopos, & Principem ad compellendum ſe provocare cœpit. Comperta autem verſutia ſua cum prædicti ad reſtitutionem ſui quaſi invitum eum compellerent, nos prænominati cum Oſtienſi Epiſcopo, & Virmundo Monacho, & quibuſdam aliis conſilium habuimus, qualiter aſtuciæ illius contrairemus. Poſtquam ergo ipſe jam paratus erat inſignia Pontificatus reſumere, & electionem etiam in ipſo conventu multoties refutatam iterum in ſe retorquere, prædictorum conſilio, nos tantam hominis levitatem & propoſiti ſui mutabilitatem improbantes, in audientia omnium nos nequaquam aſſenſum præbituros diximus, niſi de quibuſdam contra famam ſuam, & tanti ordinis dignitatem, quæ poſt electionem ſuam nobis de eo innotuerant, primum canonice examinatio fieret. Quod ipſe indigne ferens, neque ad examinationem venturum, neque electionem unquam ſuſcepturum ſe publice affirmavit. Sicque data nobis iterum licentia ab eo quem vellemus eligere, excutiens ſua, cœpit a nobis recedere, cum Virtmundus ex conſilio Oſtienſis Epiſcopi, publice exclamavit, infamem perſonam non debere in Romanum Pontificem eligi, vel ordinari, cum conſtanter eum indubitanter infamiam incurriſſe, quoniam quidem excommunicationem Domni Papæ Gregorii per annum integrum & continuum, & eo plus ſine canonica pœnitentia juſtinuiſſet. Taliter itaque diſſoluto conventu, & quia non imminebat, nobis recedentibus remanſit Dux cum eo, retento ſecum Oſtienſi cum ceteris Rom. eccleſiæ Epiſcopis, & Cardinalibus. His addit Alphanum quemdam ambitus, & ſimoniæ ſuſpectum juſſu ſeu precibus Salernitani Principis in Salernitanum Epiſcopum conſecraſſe, ſicque Principis gratiam ſibi promeruiſſe, ut Pontifex fieret, & *Dux quod quærebat obtinuit apud Abatem, ut Alfanus conſecraretur die ſequenti, videlicet Dominica in palmis, ex præcepto Abbatis id ſe cunctis facere reſpondentibus. Eadem itaque die cum poſt prandium Abbas, Dux, & Principes, uterque a ſomno meridiano ſurrexiſſent, ſole declinante ad inferiora, ſed vino obtinente ſuperiora, heu! prob dolor! Abbas pro mercede nefandiſſimæ conſecrationis, fultus auctoritate Ducis, pluviale ſibi*

Apud Labbeum ut ſupra.

JESU CHR. AN. 1086.

fibi ipſe impoſuit, Oſtienſi, & nobis inconſultis, & prorſus ignorantibus. His ita geſtis, cum Oſtienſis Epiſcopus nobiſcum bene per omnia cucurriſſet, ut vidit quod Abbas per potentiam principis Jordani ad conſecrandum ſe Romam ire intendebat, timens forte ne ſui dignitate privaretur, ſi ab alio primo manus conſecratio ei imponeretur, converſus eſt in die belli, & immemor factus propoſiti, & factæ nobis ſponſionis quod dicere pudet, cum Abbate pacem faciens, reverentiam ei per omnia ſicut Papæ perſolvit. Qualiter autem vel quomodo Romam ire diſponat, quoniam præſentium lator, & peregrini, quidquid poſtquam a nobis receſſerunt per Capuam tranſeuntes de hujuſmodi apparatu fieri viderunt, vel aliis referentibus dicerunt, plenius vobis referre potuerunt, inutile judicavimus ſcribere. Hanc epiſtolam ſcripſit Hugo hoc anno, cum jam Anſelmus Lucenſis Epiſcopus obiiſſet, cujus cum laude in epiſtolæ initio meminit, ac ſe tam Rom. eccleſiæ, tum *reverentiſſimæ memoriæ Anſelmi*, in urbem vocatum fuiſſe adnotat, quo vero animo Deſiderii electioni reſtiterit, in epiſtola altera ad eamdem Comitiſſam, poſt Deſiderii, ſeu Victoris Papæ obitum data iterum indicat, ſe tamen ab ſchismate faciendo alienum fuiſſe his verbis teſtatur. *Nos quidem licet de recuperatione electionis Domni Abbatis Montis Caſſini a quibuſdam Sanctæ Eccleſiæ Romanæ Epiſcopis & Cardinalibus Presbyteris diſſenſerimus, unde aliquibus illorum tur nobis aliter videretur, etiam apud Capuam palam rationes reddidimus: tamen ſcire vos volumus ab unitate eorum, qua in corpore ſanctæ Eccleſiæ ad ſerviendum Beato Petro divina dignatione compacti ſumus, nec diſceſſiſſe, nec in perpetuum Deo miſerante, diſceſſuros, immo habere propoſitum Apoſtolicæ Sedis profectibus, modis omnibus deſervire &c.* Animo nihilominus invidia exulcerato, eam epiſtolam, ab viro alioquin probo, multiſque legationibus, laboribuſque pro Romana eccleſia perfunctis benemerito, ſcriptam fuiſſe patet, ut Mabillonius, Pagius, Nat. Alexander adnotant, eaque de cauſa ab Victore Papa excommunicatus fuit, ut anno ſequenti dicturi ſumus.

Bacheri ſpicil. tom. 2. pag. 406.

Mabill. Annal. lib. 67. num. 2. pag. an. 1077. not. 4 5. Alexander ſecul. 11. & 12.

5. Cum ad Mathildem de Deſiderii electione in Rom. Pontif. ſcripſit hoc anno Hugo Lugdunenſis Archiepiſcopus, ad æternam vitam jam abierat Anſelmus Lucenſis Epiſcopus, quem ideo *Reverentiſſimæ memoriæ* dixit, *Poſt menſes*

Anſelmi Lucenſis Epiſc. obitus.

JESU CHR. AN. 1086.

novem, *& dies 23. a tranſitu Gregorii Papæ obdormivit in Domino*, ait auctor vitæ ejus, hiſque hæc addit. *Teſtamentum non fecit, quia unde faceret non habebat, Mantuæ verſabatur cum extremo correptus eſt morbo. Diſcipulos in primis monuit, ut in fide beatiſſimi Papæ Gregorii conſtanter permanerent, rogavitque, ut in capitulo monaſterii S. Benedicti ad Padum, ideſt Padolironenſis, ubi monachum profeſſus erat, ſepulturæ mandaretur, quod tamen ſecus accidit, agente Bonizone Sutrinenſi Epiſcopo, & clamante, omnino decere, ut vir ſanctiſſimus & humillimus in Epiſcopali Mantuæ eccleſia perquam honorifice ſepeliretur. Illic obiit XV. Kalendas Aprilis, eidem eccleſiæ præſidente Ubaldo Epiſcopo, ibique dominante nobiliſſima Duce Mathilde, quæ a Sancti Anſelmi conſiliis tota pendebat. Funus ejus ſolemni pompa curatum, præſentibus præter Ubaldum Mantuanum, nonnullis Epiſcopis, ſcilicet Godefrido Magalonenſi, Benedicto Mutinenſi, Ariberto Regienſi, & Damiano cardinali Romanæ eccleſiæ, qui & ipſe Nonantulenſis cœnobii abbas erat. Libellum de Anſelmi vita & miraculis ſcripſit ejus* presbyter in pœnitentia, *ut ſe ipſe dicit*. Cujus nomen a littera B. incipiebat, cui alterum poſtea *de miraculis* poſt obitum ad ejus tumulum patratis adjecit, quæ tertia ab obitu die fieri cœpta, uſque ad quinquageſimam, qua ſcribebat, octoginta circiter facta fuiſſe adnotat, in cujus rei confirmationem extat epiſtola Ubaldi Mantuani Epiſcopi ad Mathildem Comitiſſam, qua miracula ibidem uſque ad diem Aſcenſionis Jeſu Chriſti patrata commemorat; inter ea duos lumen recepiſſe ſcribit, plures vero; quorum membra contracta, vel arida erant, quorum patriam indicat, repente ſe ſanatos fuiſſe narrat, atque ex his quemdam, cui Calcanei natibus *indiſſolubiter adhærebant, quem Lugdunenſi Epiſcopo oſtendimus, & locum denotavimus ubi calcanei junctis fuerant* &c. Hæc omnia in vigilia Aſcenſionis Domini, & in ſequenti nocte facta ſunt, ſubdit, cum *Multi de Epiſcopatu Brixiæ, & Veronæ, diverſiſque aliis partibus advenirent, & multa alia quæ præ multitudine invenire non potuimus*, ait is auctor, cujus epiſtolam Baronius refert. Hæc autem in Henricianæ factionis, & ſchiſmatis Gniberti Antipapæ condemnationem acciderunt animadvertit Bertoldus Conſtantienſis in chronico ad hunc annum. *Beatus Anſelmus quondam Lucenſis Epiſcopus, ipſo eodem ſuæ depoſitionis anno, inmi-*

me-

JESU CHR. AN. 1086.

merabilibus cœpit miraculis coruscare, qui post obitum venerabilis Papæ Gregorii Septimi fidelem S. Petri contra tyrannidem Henrici adhuc in carne vivens multum incitavit, sed multo plus post obitum suum miraculis coruscans, eosdem contra eumdem persistere confortavit: unde & pars Henrici de die in diem cœpit deficere, Catholici autem in fidelitate. S. Petri non cessaverunt proficere. Hæc ipse. Et in eandem sententiam Dompizo in vita Mathildis versibus istis.

Artus Anselmi condivit Mantua terris,
De quo quod gliscit monstrasti, Christe, Mathildi.
Nam virtute tua fecit miracula plura,
Servulus ipse tuis de sanctis extitit unus.
Catholicæ parti favet indicium probitatis,
Schismaticæ parti signum quasi debilitatis.
Inde triumphando gaudet Comitissa precando.
Hujus enim Patris precibus putat auxiliari, &c.

Porro Mathildem curasse, ut vita Anselmi scriberetur, idem auctor paulo inferius his docet versibus.

Tertius existens ab eo Lucensis, & ille
Rangerius rector dictavit eam sibi metro.
Dictavit pulchrum nuper librumque secundum &c.

De Anselmi Lucensis, Episc. scriptis. *Biblioth. PP. tom.* 27.

6. Scriptis quoque Anselmus Lucensis Episcopus claruit, quorum auctor vitæ ejus his verbis meminit. *Ex multis, & diversis sanctissimorum Patrum voluminibus unum compilavit canonicarum scripturarum non modicum corpus*, idest, collectanea ex variis auctoribus collecta, quibus probat ecclesiæ patrimonia non esse sub potestate Regum, vel Imperatorum, Apologeticum duobus libris distinctum pro defensione S. Gregorii septimi contra Guibertum Antipapam deinde subdit auctor. *Multos libellos propriis manibus conscripsit; In lamentationes Hieremiæ dulcissimam fecit expositionem. Psalterium quoque rogatu benedictiss. Dei Mathildæ exposuit luculentissime breviter quidem, sed utiliter usque ad illum locum, Benediximus vobis in nomine Domini. Ibi siquidem expositionem finivit, nobisque omnibus, ut alter Patriarcha Jacob benedixit, cujus (ut notum est) in universam*

JESU CHR. AN. 1086.

jam Italiam benedictio deſcendit. In ipſo etenim, & per ipſum hæretici, & ſchiſmatici alii convertuntur, alii confunduntur. Collectio quoque eccleſiaſticorum canonum eidem Anſelmo paſſim inſcribitur, extantque ejuſdem operis in bibliothecis varia manuſcripta exempla; At an eidem tribuenda ſit eruditi diſſident, de quibus plura videri poſſunt apud Balutium de emendatione Gratiani, tam in præfatione ad lectorem num. 19., quam in notis pag. 641. Hanc collectionem Hildeberto Matiſconenſi Epiſcopo adſcribit Antonius Auguſtinus, de quibus plura dabunt Cellierius, Dupinius, Oudinius, Fabricius, aliique qui commentaria in eccleſiaſticos ſcriptores vulgarunt, nam pro inſtituto noſtro haſtenus dicta ſufficiunt.

Synodus Moguntina Bohemiæ Ducem Regem dicit, aliaque geſta.

7. Hoc anno 1086. *Jubente, & peragente Romanorum Imperatore III. Henrico auguſto celebrata eſt ſynodus magna in Urbe Moguncia, ubi quatuor Archiepiſcopi, &* XXII. *Præſules ſimul cum Abbatibus Monaſteriorum, & cæteris fidelibus reſidentes plurima decreta ſuper ſtatu Eccleſiæ ſcriptis roboraverunt*, inquit Coſmas Pragenſis Decanus hujus temporis ſcriptor in Chron. Bohem. In eo Conventu, ſubdit auctor, Uratislaus Dux Bohemorum tam Bohemiæ, quam Poloniæ præfectus eſt, & *Egilbertus* Archiep. Trevirenſis juſſus eum Pragæ in Regem ungere. Eadem ſynodo Epiſcopatus Maravienſis ſuppreſſus eſt, & mortuo anno ſuperiori Joanne Maravienſi Epiſcopo, parochia illa, ut ſemper fuerat, Pragenſi Epiſcopatui conjuncta; ſupracitatus Coſmas refert Diploma Henrici III. Imp. quo unio illa confirmatur, in cujus fine legitur: *Dat. III. Kal. Maii, anno ab Incarn. Domini* 1086. *indict.* 8. *Anno autem Domini Heinrici, regni quidem* XXII. *Imperii vero III.* In eo Diplomate dicitur, Epiſcopatum Pragenſem ab initio Bohemiam, ac Moraviam complexum eſſe, & tam a Benedicto Papa, quam a primo Ottone Imp. ſic confirmatum fuiſſe, ſed poſtea diviſum eſſe, & imminutum ſola Dominantium poteſtate. *Egilbertus* Trevirenſis Archiep. venit Pragam XVII. *Kalend. Julii*, ſubjungit Coſmas, & inter ſacra Miſſarum ſolemnia *Uratislaum, & Zuvatavam ejus conjugem coronavit*; Moguntinæ huic ſynodo Clementis Antipapæ legatos interfuiſſe adnotat idem Coſmas, quare abſchiſmaticis ibidem geſta nullam pene auctoritatem conſecuta ſunt. Unde Uradislai ſucceſſores, & filii in ducatu Bohe-

Bohemico Ducum tantum insignia, & nomen habuerunt, quod ideo accidisse suspicatur Æneas Silvius, *Quod Imperatoris Romani indultum fumendæ coronæ more majorum obtinere non valuerunt.* Jesu Chr. an. 1086.

8. Dum Romanæ Ecclesiæ res turbatæ essent, ac Desiderius Romanus electus Ponrisex nondum ordinatus esset, inter catholicos, & schismaticosatrox in Germania gerebatur bellum, quo vigente ingentem cladem Henricus cum schismaticis suis tulit, ut Bertoldus Constantiensis his gestis præsens narrat. *His temporibus*, idest anno 1086. *Fideles S. Petri principes Svevorum cum Saxonibus, & Bujoariis generale colloquium post festum Apostolorum prope Vuircheburg. condixerunt. Quod Henricus congregato multitudine schismaticorum interturbare voluit: sed Svevis supervenientibus resistere non valens, ad tempus eis locum dedit. Ipsi autem Herbipolim ad obsidendos fautores Henrici processerunt, & adiunctis Saxonibus, eamdem sepe circumdederunt. Interim Henricus exercitum viginti pene millium, pedites, & equites congregavit, & ad civitatem liberandam jam quinque septimanis obsessam aciem direxerunt. Quo audito fideles sancti Petri, soluta obsidione, obviam ei duobus milliaribus, non tam multitudine sua, quam misericordia Dei, & justitia sancti Petri non tam armis, quam virtute sanctæ Crucis confisi processerunt Unde & Crucem altissimam in quodam plaustro erectam, & rubro vexillo decoratam usque ad locum certaminis secum duci fecerunt. Vvelp quoque Dux cum sua legione, & Magdeburgensis legio, relictis equis, pedites incedebant. Cum autem jamjam congressuri essent, omnes in terram prostrati, cœlum oratione penetraverunt, quam pro eis ibidem reverendissimus Magdeburgensis Archiepiscopus cum multis lacrymis, & gemitibus effudit. Igitur in nomine Domini congressi, incredibilem hostium stragem fecerunt, ita ut novem nimium altæ congeries cadaverum ibi viderentur, præter illos, qui per campos, & silvas fugitantes occubuerunt.* Inter primos, qui fugæ salutem quæsierunt ipsum Henricum fuisse addit, unde victores magna præda, cum Imperatoris seriniis, regiisque vestibus potiti sunt. Atque *in illa congressione quot millia adversariorum occubuerint, nondum explorare potuimus. Ex parte autem fidelium sancti Petri nonnisi quindecim homines mortuos invenire potuimus, licet diligentissime perquireremus.* Et

Henricus Imp. cladem ab adversariis accipit.

JESU CHR. AN. 1086. *Et de ipſis quindecim nonniſi tres in loco certaminis obiere reliqui aliquot diebus poſtea vixerunt. Inter mortuos, & vulneratos nonniſi triginta reperire potuimus ex noſtris.* Quod ſane divina magis, quam humana virtute contigiſſe adnotat, cum præcipue Henrici exercitus duplo major, ſeu viginti millium eſſet, catholicorum vero decem millium circiter, tandem ſubdit. *Factum eſt hoc prælium in ſequenti die poſt feſtum S. Laurentii, videlicet in anniverſaria die, quando Hermannus Rex cum Saevis Bojoariis devicit. Ego quoque ipſe, qui hæc chronica a milleſimo quinquageſimo quarto Anno Domin. Incarn. hucuſque perduxi, de prædicto prælio non jam aliorum relatu, quam quæ ipſe vidi, & audivi, ad laudem & gloriam Dei fideliter annunciare curavi.*

Almoravidum in Hiſpaniam Imperium. *Pag. not. ult. an. 1086. & not. 12. an. 1091.*

9. Dum inter ſe mutuis cladibus Germani certarent, Saraceni quoque adverſus Saracenos, ſeu Arabes Africani adverſus eos, qui Hiſpaniarium provincias obtinebant bellum geſſerunt, nam ut narrat Pagius ad annum 1091. Suffetus Marochii Rex, & Almorabitarum ſeu Almoravidum Imperator, anno poſt captum a chriſtianis Toletum, ex Africa in Hiſpaniam tranſiit, uti refert Noveirius Scriptor Arabs, magnæ auctoritatis, adhuc ineditus, & Ceſarauguſtam, Granatam, aliaſque Urbes occupavit in bello, quod adverſus *Alfonſum* VI. Caſtellæ, & Legionis Regem geſſit. *Almorabitæ* autem ex Africa interiori, & magno Deſerto, Arabice *Sahra*, ac regione *Lemta*, aut *Lemtuna*, cujus Leo Africanus mentionem facit, oriundi, religionem ſuam reformare volentes, Calipharum Abaſinorum Bagdadum incolentium partes ſecuti ſunt, nihilque omiſerat, ut Caliphas a *Fatemida* deſcendentes, & Caitum habitantes, exterminarent. Sed de Almorabitis ſeu Almoravidibus fuſius infra ait Pagius, qui ſubdit, Arſit hoc bellum uſque ad annum 1091., miſitque Suffetus exercitum ſuum, qui Havenabet Arabem Hiſpalis Regnantem cœpit, & Hiſpaniam Saraceniam debellavit. *Cumque Vendalutii* ſeu Hiſpani Saraceni, ait Rodericus lib. 6. cap. 31 *Eorum potentiam* (nempe Almoravidum ex Africa adventantium), *qui in gente Arabum tenebant tunc temporis Principatum, adinvicem tractaverunt, quid eſſet gratius, aut Chriſtianorum porcos, aut camelos Almoravidum cuſtodire, & ſectæ ſuæ zelo commoti ſervire Almoravidibus elegerant.* Et ex tunc, nempe ex anno Chriſti 1091., *Ultra-*

tramarini, *Cismarini*, Saraceni, ex Africa, & Hispania, *sub unius Regis regimine servierunt*. Hæc porro adnotanda fuere, cum inde christianorum res in Hispania longo temporis tractu, ex mutuis Saracenorum dissidiis afflictæ fuerint, ut ex dicendis constabit. Jesu Chr. an. 1086.

10. Ad hæc etiam tempora pertinet altera Francorum expeditio in Mauros Hispaniæ, cujus meminit auctor fragmenti historiæ Franciæ a Roberto ad mortem Philippi primi Francorum Regum apud Ducheſnium tomo 4. rerum Francicarum, ubi hæc leguntur. *Tertiam expeditionem in Hispanos Galli faciunt. Quippe unus ex Sarracenorum Regibus nomine Suffetus* (seu Joſephus primus Marochii Rex) *cum multis tam Maurorum, quam Sarracenorum legionibus Hispaniam occupaverat citeriorem, mari transito. Quod audiens Adefonſus Rex Galliciæ & Aſturiæ, congregatis undecumque bellorum copiis ei obviam properavit. Tandem in locum unum utriuſque concurrentibus turmis, ſigno dato prælium commiſsum eſt. Porro Andelfonſus Sarracenos ſuſtinere non valens terga vertit, multis ſuorum oppreſſis. Quo infortunio exterritus mittit per Gallias ut ei ſubveniatur; alioquin ſe fœdus cum Sarracenis inire, & aditum præbere, quo in Gallias tranſirent minatur.* Eo accepto nuncio, ſubdit auctor, hilari promptoque animo Galli exercitum parant, ac in Hiſpaniam pergunt, adventuque ſuo effecerunt, ut Arabes territi, terga verterent. *Quorum fugam Rex Adelphonſus, cum jam prope fines Hiſpaniarum Franci eſſent, eis notam fecit*, & gratias agens, quod ſibi auxilio adveniſſent, ut ad ſua redirent, rogavit. Franci tamen Hiſpaniam ingreſſi, *crebras agentes depræda tiones, & plura devaſtantes loca, domum reverſi ſunt*, ait is auctor: de eadem expeditione hæc etiam refert Chronographus Malleacenſis ad annum 1087. *Ipſo anno Adelphonſus*, Caſtellæ, & Legionis Rex *mandavit per omnes partes Franciæ, ut ſibi, & ſuis juvarent; quade cauſa multi perrexerunt in Hiſpaniam, & adunati ſunt Tutelam civitatem, & Caſtellum Stelle cœperunt &c.* De quibus in hiſtoria Hiſpanica agit Mariana lib. 10. cap. 1. Gallorum expeditio in Mauros Hiſpaniæ.

JESU

Jesu Chr. an. 1087.

JESU CHRISTI an. 1087. Victoris III. Papæ an. 2. Henrici Imp. an. 4. Alexii Comneni Imp. 7.

Victor tertius Rom. Pontifex ordinatur. *Leo Ostien. chron. Cassin. lib. 3. 68.*

1. Hoc anno 1087. Desiderius in Romanum Pontificem reluctans electus, precibus Cardinalium, & Episcoporum flexus, ac a Jordane Capuæ Principe, & Rugerio Duce Apuliæ, ac Calabriæ animatus, in urbem reversus, ibidem pro more solemniter ordinatus est. Rem gestam his verbis narrat auctor chronici Cassinensis. *Sequenti anno meditate Quadragesimæ apud Capuam Episcoporum congregato concilio, cum ipse electus una cum Episcopis, Cardinalibusque concilio præsideret, Cincius etiam Romanus Consul cum nobilibus, plerisque Romanis, Jordanusque princeps Capuæ, & Rogerius Dux cum omnibus fere suis optimatibus adesset: finito Concilio, rursus ex insperato illum clerici, & laici precibus lacrymisque multis fatigant. Sicque biduo immobilis perstitit. Tandem Duce, ac Principe, Episcopisque, & fidelibus cæteris ad ejus vestigia flentibus, victus precibus, ac rationibus cessit. Electionemque præteritam, Crucem ac purpuram resumendo, firmavit duodecimo Kal. Aprilis, Dominica in ramis Palmarum: Inde Cassinum reversus, ibi Pascha celebravit. Solemnitate peracta, cum Capuano, ac Salernitano Principe Romam perrexit, ac juxta Ostiensem urbem Tyberim cum omnibus transiens, gravi languore comprehensus, extra portam sancti Petri tentoria fixit. Et quia Ravennas hæresiarcha, qui vivente Gregorio Papatum invaserat, sancti Petri Ecclesiam armis tenebat; instantibus militibus Principis, eadem die recuperata Ecclesia est. Dominica vero Ascensionis subsequente Romanis fere omnibus trans Tyberim magna cum frequentia celebritate occurrentibus, electus ipse, ab Episcopis Ostiensi, Tusculano, Portuensi, & Albanensi, Cardinalibusque, & Episcopis, & Abbatibus assistentibus plurimis, Ecclesiastico more sacratus, & in Apostolica Sede locatus est septimo Idus Maii.* Et paulo inferius. *Prædictas autem Pontifex Romæ diebus octo remoratus una cum memoratis Principibus ad hoc monasterium rediit*, idest Cassinum.

Mathildis Comitissæ & Victoris Papæ ad urbem adventus.

2. Vix tamen Victor Papa inde discesserat, cum Comitissa Mathildis ad urbem adveniens, missa ad eum legatione rogavit, ut in urbem rediret. *Iter itaque per mare festi-*

festivus aggreditur: cumque ad urbem perveniſſet, a Comitiſſa, & ejus exercitu, ac cæteris beati Petri fidelibus devotiſſime, officioſiſmeque ſuſcipitur, atque in Eccleſia beati Petri octo diebus remoratus eſt. Poſtmodum in die ſancti Barnabæ ſuper altare Sancti Petri Miſſam ſolemniter celebrans, eadem die auxilio atque ope Comitiſſæ trajecto Tyberi, ingreditur Romam trans Tyberim Urbem totam, Romanorumque maximam partem, & omnem pene nobilium cœtum; caſtrumque ſancti Angeli, Beati Petri Baſilicam, urbem Oſtienſem, ac Portuenſem habebat ſub ditione ſua. Morabatur autem apud inſulam Romæ, quæ & ipſa ſui juris erat. Die igitur qui Apoſtolorum præibat natalitia, nuntius quidam quaſi ab Imperatore veniens, Conſules, ac Senatores, populumque Romanum, nili a Victore deficerent, a corona ſubmovit Imperii. Cum ſubito Romani ſupervenientes, præter Eccleſiam beati Petri, univerſa ceperunt, ipſamque vero Eccleſiam, quam Pontificis homines deſuper tuebantur, ingredi nullo pacto potuerunt. Verum quia hæreſiarchæ Guiberti infinita erat multitudo; hi qui ex parte Pontificis erant, adverſus tantam hoſtium manum obſiſtere non valentes, trans Tyberim, ſive in caſtrum Sancti Angeli ſe receperunt. Jam vero die media in Eccleſia Sanctæ Mariæ in Turribus Miſſam Ravennas hæreſiarcha cantavit. Sole autem ad occaſum vergente, qui in Eccleſia ſteterant, palam armati diſceſſere. Ita prob dolor! beati Petri eccleſia, eo potiſſimum die, quo toto orbe ejus feſtivitas colitur, tam nocturno, quam diurno officio caruit. Sic ſpes Guiberti eluſa, qui in Apoſtolorum ſolemnitate Miſſas ibi celebrare cupiebat. Die altera ab hæreticis, Apoſtolico altare locato, Miſſa ibi peracta eſt. Poſtera die cunctis ad ſua redeuntibus, eadem eccleſia in jus Victoris Papæ remeavit. Eccleſia autem *in Turribus* dicta, ubi in pervigilio Apoſtolorum Guibertum miſſam celebraſſe narrat Leo Oſtienſis, S. Mariæ ad Martyres, quam Rotundam dicunt, fuiſſe, ait Baronius, Bertoldi Conſtantienſis verbis deceptus, dum ait. *Guibertus vero hæreſiarcha non magis ab incepta perverſitate ceſſavit, immo ſe apud S. Mariam ad Martyres, quam Rotundam dicunt, incaſtellavit. Dominus autem Papa in inſulam, quæ inter duos pontes ſita eſt ſe recepit.* In tanta quippe rerum perturbatione, animorumque contentione utriuſque partis Principes munita loca te-

JESU CHR. AN. 1087.

Leo Oſtien. cap. 69.

JESU CHR. AN. 1087.

nebant. At etsi Rotundam tenuisse Guibertum narrat Bertholdus, Missam tamen ibidem celebrasse non indicat, quare diversam omnino fuisse ecclesiam B. Mariæ in Turribus ab ecclesia S. Mariæ ad Martyres, quæ Rotunda dicebatur, Mabillonius observat, ac ecclesia S. Mariæ in Turribus prope Basilicam Apostolorum Petri, & Pauli erat, ac ad Basilicæ Turres posita, quod etiam confirmat Joannis 19. Papæ diploma tomo primo Bullarii Vaticani pag. 18. ubi ecclesiæ S. Mariæ de Turri in Vaticano occurrit mentio, eoque Joannes Papa Episcopo Silvæ Candidæ ejusque successoribus potestatem tribuens Episcopalia officia, in vaticana basilica exercendi. Inter cetera jubet, *ut die Dominica Palmarum cum processione ab ecclesia S. Mariæ in Turri exeatis, & venientes ad magnum altare S. Petri, missam celebretis &c.*

Tom. 2 Musei Ital. pag. 514.

Victor Papa synodum Beneventi celebrat.

3. His in urbe gestis cum Mathildis in Thusciam, seu Longobardiam rediisset, Victor etiam urbe relicta Casinum rediit, ac inde Beneventum se contulit, ubi synodum celebravit, ut iterum narrat auctor chronici Casinensis. *Victor autem tertius egressus urbem ad monasterium venit. sociatisque sibi Episcopis & Cardinalibus, Ecclesiam S. Nicolai in Pica solemniter dedicavit. Mense vero Augusto Synodum celebrare cum Apuliæ, & Calabriæ Episcopis statuens Beneventum perrexit. In qua idem Apostolicus præsidens, ait: Novit vestra dilectio, charissimi fratres Coepiscopi (neque latet orbem universum) sancta Romana & Apostolica Sedes, cui Deo auctore deservio, quot adversa pertulerit, quot denique per simoniacæ hæreses trapezitas malleis, tunsionibusque perfracta sit, adeo ut columna Dei vivi videretur jam pene concussa nutare, & sagena Summi piscatoris intumescentibus fluctibus disrumpi, ac naufragii sorte perire. Guibertus enim hæresiarcha, qui vivente sanctæ memoriæ prædecessore meo Gregorio Papa Romanam invasit Ecclesiam, Antichristi præcursor, & satanæ signifer oves Christi dispergere, maclare, laniareque non desinit,* deinde quot, quantaque flagitia Guibertus perjurius, ac simoniacus Antipapa in urbe hactenus gessisset, longa oratione prosequens, excommunicationis sententiam in eum his verbis tulit.

Victoris sententia excommunicationis

4. *Idcirco auctoritate Dei, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, omniumque sanctorum; omni illum Sacerdotali officio & honore privamus, & a liminibus ecclesiæ separantes ana-*

anathematis vinculo innodamus. Deinde de Hugone Lugdunenſi Epiſcopo, & Riccardo Abbate hæc addidit. *Noſtis præterea & bene noſtis quos dolos machinati ſint, quantaſque mihi preſſuras intulerint Hugo Lugdunenſis Archiepiſcopus. & Richardus Maſſilienſis Abbas, qui pro faſtu & ambitione Sedis Apoſtolicæ, ad quam dudum clam inhiabant, ubi votis ſuis potiti non ſunt, ſchiſmata in ſancta Eccleſia fecerunt. Et Ricardus quidem Romæ noſtram electionem cum Cardinalibus & Epiſcopis egerat, Hugo autem ad nos poſt paululum veniens aſſuſus veſtigiis, dum obſequium nobis ſummo Pontifici debitum invitis ac retractantibus exhiberet, legationem a nobis in partibus Galliarum poſtulaverat & acceperat. Itaque donec parvitatem noſtram electioni faveret, a ſe approbatæ repugnare conſpexerant, ipſi modis omnibus inſiſtebant, ne onus pro utilitate Eccleſiæ nobis impoſitum abjiceremus. Ubi vero tandem cedere perviderunt, conceptam diu flammam clibanus exaturatus evomuit: Quapropter cernentes ſibi fratrum omnium unanimitatem conſtanter obluctari, ab eorum & noſtra ſunt continuo communione ſejuncti. Unde vobis Apoſtolica auctoritate præcipimus, ut ab eis abſtinere curetis, neque illis omnino communicetis, quia Eccleſiæ Romanæ communione ſua ſe ſponte privarunt*. Canones deinde aliquot ibidem vulgati ſunt, quorum primo Gregorii ſeptimi decretum de Epiſcopatibus, vel Abbatiis a poteſtate qualibet laicali, Imperatoria ſcilicet, vel Regia, Ducali &c. accipiendis, vel dandis ſub anathematis pœna prohibetur, canone altero cautum eſt, ne pœnitentia nonniſi ab Catholico Epiſcopo, vel Presbytero petatur, vel accipiatur.

Jesu Chr. an. 1087. in Guibertum & alios.

Labb. tom. 10 pag. 418.

5. His pro eccleſiæ utilitate conſtitutis, & undique per orbem vulgatis, ut ait auctor chronici, mox ſubdit. *In eodem concilio Pontifex infirmatus graviter poſt triduum, peractis omnibus, feſtinus ad monaſterium rediit comitantibus Epiſcopis, & Cardinalibus, & in Capitulum Fratrum ſe ferri præcepit. Ubi ſub diſtricto anathemate prohibuit, ne quis ex ſucceſſoribus ſuis auderet vendere fundos, Eccleſias, villas, vel quaſcunque poſſeſſiones ad monaſterium Caſſinenſe pertinentes. Simili modo interdixit, ne quis monachorum abſque conſcientia Abbatis ſui libellum facere auderet, quod ſi fieret, irritum eſſe. Conſtituit etiam, ut omnia monaſteria, quæ ſub ditione noſtri hujus Caſſinenſis cœnobii ſunt, ſingulis annis huic noſtræ*

Victoris Papæ ultima geſta.

JESU CHR. AN. 1087.

Congregationi prandium faciant. Hoc ſtatuto, omnium monachorum unanimi conſenſu, præfatis etiam Epiſcopis aſtantibus, atque approbantibus, dominum Odericſium religioſum valde virum, romanumque diaconum, qui tunc erat noſtri monaſterii præpoſitus, Abbatem conſtituit.

Victoris Papæ obitus.

6. Convocatis ad ſe deinde Epiſcopis, & Cardinalibus monuit, ac juſſit, ut juxta Gregorii Papæ ſtatutum Ottonem Oſtienſium Epiſcopum quamprimum eligerent; *Quem, quia præſens erat manu apprehenſum ceteris Epiſcopis tradidit, dicens, accipite eum, & in Romana ſede locate*, atque his *ita diſpoſitis* ſubdit auctor, *atque decretis, ſepulchrum ſibi in ipſa capituli abſide parari juſſit, atque poſt diem tertium feliciter migravit ad Dominum ſextodecimo Kal. Octob. Anno Domin. Incarn.* 1087. *a Patris autem Benedicti tranſitu anno* 579: ſeu potius ut adnotat editor in nota, anno 543. *cum præfuiſſet in hujus monaſterii regimine annis* 29. *menſibus quatuor, dies* 16. *In ſede vero Apoſtolica* ab ipſo ſuæ electionis exordio anno uno, ab die conſecrationis menſes quatuor cum diebus ſeptem; capite autem ſequenti, & ultimo libri tertii catalogum inſeruit variæ ſupellectilis ſacræ, veſtimentorum ſcilicet, ſeu planetarum, Calicum, Cereorum, Candelabrorum &c., fumigatoriorum, fiſtularum &c. ex auro, & argento, quibus Caſſinatenſis Monaſterii Eccleſiam ditavit; ut ibidem videre eſt; Quamdiu autem vacaverit ſedes, & de Urbani ſecundi electione anno ſequenti occurret ſermo.

Chron. Caſſin. lib. 3. 73.

Victor tertius exercitum contra Saracenos in Africam mittit.

7. Inter Victoris geſta, ac breviſſimi Pontificatus egregia facinora, hæc etiam adnotat auctor chronici Caſſinenſis. *Æſtuabat idem Apoſtolicus Victor Sarracenorum in Africa morantium ſuperbiam frangere, perfidiamque conterere. Conſilio itaque cum Epiſcopis, & Cardinalibus habito, ex omnibus fere Italiæ populis exercitum congregans, illiſque vexillum B. Petri Apoſtoli tradens, ſub remiſſione peccatorum omnium contra Infideles impioſque in Africam dirigit. Chriſtio itaque duce ingreſſi Africam, centum millia pugnatorum occiderunt, urbe illorum præcipua capta & exciſa. Porro ne quis ambigat, hoc Dei nutu contigiſſe, quo die Chriſtiani victores evaſere, eo etiam in Italiæ nuntiata eſt victoria.* Hæc is auctor, quem interfectorum numerum pro more exageraſſe adnotat Muratorius anno ſequenti, atque is primus auctor dici poteſt

Chron. Caſſin. lib. 3. cap. 71.

potest, qui Christianos ad arma contra Saracenos ferrenda excitavit; ac Cruces natorum exercitibus exemplar fuit, nam etsi Cruce milites signari non præcepit; Indulgentia tamen peccatorum ad bellum milites incitavit: libros etiam quatuor Gregorii M. exemplo scripsit Victor Papa; de miraculis S. Benedicti, aliorumque, tertii libri finis, & quartus deperditi sunt, ac tres in Bibliotheca Patrum primum, deinde ab aliis passim editi sunt. Jesu Chr. an. 1057. *Biblioth. Patr. tom. 18.*

8. In Africana autem expeditione ab Victore Papa susceptа Pisanos, & Jenuenses socios adjutoresque habuisse his verbis narrat Bertholdus Constantiensis in chronico ad annum sequentem. *His temporibus Pisani, & Genuenses, & alii multi ex Italia Africanum Regem Paganorum hostiliter invaserunt, & deprædata ejus terra, ipsum in quamdam munitionem impulerunt, & eam deinceps Apostolicæ sedis tributarium effecerunt.* Pisani, & Jenuenses in Africana expeditione sociantur.

9. Pisanorum victoriam his verbis celebrant Annales Pisani ad annum proximum; *Fecerunt Pisani, & Genuenses stolum in Africam, & ceperunt duas munitissimas civitates Almadiam, & Sibiliam in die S. Sixti, in quo bello Vgo Vicecomes filius Vgonis vicecomitis mortuus est. Ex quibus civitatibus Saracenis fere omnibus interfectis maximam prædam auri, & argenti, palliorum, & ornamentorum abstraxerunt. De qua præda Pisanam ecclesiam mirabiliter in diversis ornamentis amplificaverunt, & ecclesiam B. Sixti in curte veteri ædificaverunt*; In eamdem rem, hæc etiam adnotat Monachus Malaterra libro 4. historiæ Siculæ. *Pisani apud Africam navigando proficiscebantur, quasdam injuria passis exercitu congregato Urbem regiam Regis Tunicii oppugnantes, usque ad mojorem turrim, qua Rex defendebatur capiunt*, ac Tunitanum oppidum vi captum Rogerio Calabriæ Duci obtulerunt Pisani, at is ne pacem cum Tunetano Rege firmatam violaret, oblatum munus recusavit; Princeps autem Tunitanus pacem ab Pisanis pecunia redemit, & captivos Christianos absolvit, seque ab Italiæ finibus abstenturum promisit, ut ait Malaterra. Pisanorum victoriæ in Africa. *Apud Murat. rer. Ital. tom. 6.* *Apud Murat. rer. Ital. tom. 5. pag. 590.*

10. De componendis interea dissidiis sollicite Germaniæ Princeps, belloque civili sopiendo *Principes Theutonicorum fideles S. Petri generale colloquium cum Henrico prope Nametensem civitatem habuerunt*, ait Bertholdus in chronico Nementenses, seu Spirenses conventus Principum Germaniæ.

JESU CHR. AN. 1087.

co ad hunc annum, *atque adjutorium suum ad obtinendum Regnum, si de excommunicatione exire vellet, fideliter promiserunt*; ideſt ſi ſatisfactione data ſe ab excommunicationis vinculo abſolvi petiiſſet; at cum oblatam conditionem rejeciſſet; *Noſtri nullam pacem, & concordiam cum eo habere voluerunt*; unde ad arma iterum utraque pars rediit, ac pugna inita, vix ſalvus Henricus abiit, ut idem Bertholdus narrat, ac ſubdit. *In prædicto colloquio litteræ Domini Papæ recitatæ ſunt*, ideſt Victoris tertii, *in quibus, & ſuam promotionem Principibus Regni denunciavit, & judicium ſui anteceſſoris piæ memoriæ Gregorii Papæ ſuper Henricum, & ſautores ejus apertiſſime confirmavit*; atque ad conventum Principum Germaniæ, ab Ladislao Hungarorum Rege coactum legationem miſſam fuiſſe addit; qua contra ſchiſmaticos ſe pugnaturum, & viginti millia equitum, ſi neceſſitas poſtulaſſet, miſſurum promittebat.

Patavienſis Epiſc. ſchiſmatici infelix exitus.

11. De infelici Patavienſis Epiſcopi ſchiſmatici exitu, qui ejecto catholico Epiſcopo Henrici opera eam ſedem invaſerat, hæc idem Bertholdus adnotat. *Eodem quoque tempore quidam ſchiſmaticus, qui Patavienſem Epiſcopatum, vivente adhuc legitimo paſtore, jamdudum invaſit, de hac vita diſcedens, certiſſimum ſuæ damnationis exemplum reliquis ſchiſmaticis dereliquit. Cum jam in extremis jaceret, ſeque ad æternam damnationem jamjam abiturum non dubitaret, apparuit ei ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopus, ut tanto evidentius culpam ſciret, quam apud inferos luere deberet. Rogavit tamen eum, ut ei culpam indulgeret, ipſumque ab excommunicatione ſolveret. Rogavit itaque circumſtantes, ut eum de Epiſcopatu eveherent, nec eum in Epiſcopatu ſepelirent. Sed hæc verba adſtantibus quaſi deliramenta videbantur. Ipſe autem ſanæ mentis proteſtatus, itidem rogitare non ceſſavit, ſed incaſſum; nam ante eccleſiaſticam abſolutionem morte præventus eſt, Nonnulli tamen, qui tam periculoſæ morti ejuſdem ſchiſmatici aderant, compuncti ſunt, qui & poſtea ad legitimum paſtorem redeuntes veniam, & abſolutionem conſecuti ſunt.* Hæc de ſchiſmatici infauſto interitu Bertoldus.

Corpus S. Nicolai Barium transfertur.

12. Eadem die, qua Victor tertius Romanus Pontifex hoc anno Romæ ordinetus eſt; *Corpus Sancti confeſſoris Chriſti Nicolai a civitate Myrrenſi, in qua per annos 775. quieverat, Barim delatum eſt*; ait auctor chronici Caſſineuſis eademque

demque narrat auctor brevis chronici quod præmittitur regesto Monasterii Beneventani Sanctæ Sophiæ in Vaticana Bibliotheca adservato, & res continet ab Augusti Imperio usque ad annum millesimum centesimum trigesimum septimum; & recens publico bono vulgavit eruditissimus Præsul inter Rom, Ecclesiæ purpuratos patres merito adscriptus Borgia in appendice ad opus; *Breve Istoria del dominio temporale della Sede Apostolica nelle due Sicilie*, Romæ editum anno 1788., ubi de Victoris Papæ electione, ordinatione, & obitu, deque translatione reliquiarum S. Nicolai Barium, ad hunc annum; hæc eo in chronico leguntur. *Corpus S. Nicolai Barii translatum est, Desiderius Casinensis Abbas Beneventanus civis electus est in Papam*; anno proximo, impositio ei *nomine Victor, Beneventum venit menſe Augusto*, hujus anni, *Synodum celebravit, & menſe Septembrio obiit*; de eadem S. Nicolai translatione hæc etiam Sigebertus ad hunc annum narrat *Venetianis meditantibus auferre Corpus S Nicolai a Myrrhea Lyciæ a Turcis desolata: præoccupaverant eos Barenses cives quadraginta septem ab Antiochia Myrrham convenientes, qui a quatuor tantum monachis ibi inventis extorserunt, ostendi sibi tumbam Sancti, qua effracta, ossa Sancti Nicolai in olei liquore natantia integro numero extraxerunt, & Barim cum gloria detulerunt. Facta est autem hæc translatio anno septingesimo quadragesimo quinto a depositione Sancti Nicolai.* Hæc Sigebertus, cui suffragatur Romanum Martyrologium, in quo dicta die ex Myrra Barim translatum asseritur. Quod etiam expressius liquet ex litteris Urbani Papæ anno sequenti datis, cum Barim profectus est, & venerandum corpus in præparato adyto collocavit. Venetias nihilominus paucis ab hinc annis, idem Nicolai corpus translatum fuisse Veneti scriptores tradunt, *ac in Cœnobio S. Nicolai de littore sacra Nicolai lypsana requiescere Veneti non dubitant*; ait auctor notarum chronici Casinatis; de quibus plura videri possunt, apud Bollandos, ad diem 15. Augusti. Translationis historiam ex Joanne Barensi Archidiacono fusiori stilo narrat Odericus lib. 7., eamque anno labenti contigisse ait, sub Imperio Alexii Comneni Imp. cum Turci Orientales provincias excurrentes; *Lyciam, aliasque regiones Christianorum depopulati sunt, ecclesias propter peccata christianæ plebis destruxerunt, Cruces, & imagines Christi, atque sanctuaria multis modis violarunt, & multas urbes cum civi-*

JESU CHR. AN. 1087. *Cron. Casin. lib. 3. c. 68.*

PAG. 37.

AN. 1087. JESU CHR. *civibus suis incendio tradiderunt, sic per multos annos debacchati sunt, & innumeras strages christianorum peregerunt, Myrrea itaque Metropolis Lyciæ Turcorum dominio subacta est, propriisque civibus peccatis eorum exigentibus, evacuata est*: Quo tempore Barenses cum navibus negotiorum causa Myrram appulsi, corpus S. Nicolai precibus impetrarunt, seu potius abstulerunt, ut idem Ordericus in relatione narrat, apud Surium die nona Maii.

Opus Quadripartitum Card. Deusdedit.

13. Hoc anno dum adhuc Victor Papa viveret, Deusdedit Presbyter Cardinalis tituli Eudoxiæ commentarium elaboravit, his temporibus peropportunum pro Ecclesia Catholica contra Schismaticos, quem & dedicavit eidem Victori Papæ, ad quem præfixa operi data extat epistola nuncupatoria cum hoc titulo. Beatissimo atque Apostolico viro Pontifici domno Papæ Victori Tertio, & Clero sanctæ Romanæ Ecclesiæ Deusdedit exiguus Presbyter tituli Apost. in Eudoxia. *Epistola sic incipit. Novit beatitudo vestra, quod sancta Romana Ecclesia idcirco omnium Ecclesiarum mater scribitur, & creditur &c.* In eaque de primatu Ecclesiæ Romanæ attingens aliqua, appositе ostendit auctoritate sancti Cypriani martyris, non solum viventem Pontificem Romanum præscribere leges universo Christiano orbi, sed etiam eo defuncto, vacante Sede, Romanum Clerum pariter in Catholica Ecclesia cognitum esse supremum, cujus litteris universi parerent Episcopi, quod sciretur ab omnibus Orthodoxis in Romana Ecclesia, eidem præsidere beatos Apostolorum principes Petrum & Paulum. His adnotatis totius suæ scriptionis argumentum ostendit, & divisionem operis ita declarat. Itaque ego auctoritatis ipsius Romanæ Ecclesiæ privilegium, quo omni Christiano orbi præeminet, ignorantibus patefacere cupiens, Domino mihi opem ferente, ex variis sanctorum Patrum, & Christianorum Principum auctoritatibus potioribus, quibusque in unum congestis, præsens desloravi opusculum, quadrisariam dipartitum partitione. Nam primus liber continet privilegium auctoritatis ejusdem Romanæ Ecclesiæ, & quoniam sine Clero Ecclesia esse non potest, nec Clerus absque rebus, quibus temporalibus subsistat: huic subjunxi secundum, & tertium de Clero, & rebus ejusdem Ecclesiæ. Quia vero seculi potestas Dei Ecclesiam subjugare nititur, libertas ipsius Ecclesiæ, & Cleri, & rerum ejus tertio, & maxime quarto libro

bro evidenter ostenditur. Hæc ejus instituti ratio, operisque partitio. Extat ejusmodi Deusdedit lucubratio, canonum collectio nominata in Vaticana Bibliotheca, ut adnotat Baronius, adversus etiam invasores, Simoniacos, & Schismaticos tempore Urbani secundi Victoris successoris, opusculum alterum edidit, cujus infra sermo occurret. JESU CHR. AN. 1087.

Arnulphi Sessionen. Episc. obitus.

14. Hoc quoque anno S. Arnulphus Sessionensis Episcopus, diem extremum obiit, 18. Kal. Septembris, cujus præclara gesta duobus libris descripsit Hariulphus Aldemburgensis tertius Abbas, eamque anno 1114. absolvit. His præmissæ sunt tres ejusdem Hariulphi epistolæ, prima ad Lambertum Tornacensium Episcopum, quem rogat, ut hanc vitam ab Lisiardo ejusdem successore probatam, Remorum Archiepiscopo offerat, altera ad ipsum Lisardum a quo idipsum postulat, tertia ad Rodulphum Remensem Archiepiscopum, cui eamdem vitam offert; Hariulphi vitæ præmittitur Lisiardi prologus; cui etiam librum tertium de Arnulphi miraculis, idem Lisiardus addidit. Unde factum est, ut adnotat Mabillonius, ut eadem vita ab Hariulpho scripta, ab Surio, & Baronio Lisiardo inscriberetur, quem sane cum multis pietatis indiciis oleo injunctum, sacraque Eucharistia munitum, & supra cinerem, & cilicium stratum obiisse narrat, ac instante obitu cellam ubi jacebat, totamque domum contremuisse atque hæc, ut idem Arnulphus ab Everolpho Presbytero interrogatus respondit, divinæ majestatis signa ait fuisse, ac sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, Michaelis Archangeli, sanctæque Dei Genitricis, sanctarum Virginum agmine stipatæ, visitatione, & apparitione dignatum, ut idem auctor pluribus ibidem prosequitur. *Mabil. lib. 67. 37.*

Villelmi Anglorum Regis obitus.

15. Hoc quoque anno Villelmus, seu Gulielmus Anglorum Rex, ineunte Augusto mense in Galliam, infesto cum exercitu profectus, in Philippum Francorum Regem exacerbatus, omnia undequaque vastans Meduntam oppidum ad Sequanam positum ignibus incendit, nec ecclesiis parcens, ecclesiam B. Mariæ cum duobus reclusis, & recluſa una, quæ cellam suam deserere noluit, ut ait Malesburiensis igne consumpsit: cumque ab infausta hac expeditione regrederetur viscerum dolore correptus, Rhotomagi decubuit, morboque ingravescente vinctos omnes relaxari, ecclesiasque combustas restaurari jussit; deinde Filio suo Villelmo cognomento Russo Angliæ Re-

JESU CHR. AN. 1087. gnum tradidit, Roberto primogenito, qui tunc in Gallia exulabat, Normanniæ ducatum; possessiones vero maternas cum thesauris suis Henrico filiorum tertio legavit; ac rebus suis sic ordinatis; multis pœnitentiæ signis editis, ecclesiasticisque sacramentis munitus, quinto idus Septembris hoc anno e vivis abiit. Morienti Guntardus Gemeticensis Abbas, cum Gisleberto Semovicensi Episcopo adfuit; eique salutaria dederunt monita, ut Ordericus enarrat; ab expeditione Gallica vix reversus, morboque correptus *querimonia domum replevit*, seu pœnitentia, *resumpto animo, quæ christiani sunt executus est in confessione & Viatico*, & de reparatione damnorum facta hæc subdit: *In futurum sibi multisque commoda facere non distulit, omnesque thesauros suos Ecclesiis, & pauperibus, Deique ministris distribui præcepit. Quantum vero singulis dari voluit, calide taxavit, & coram se describi a Notariis impetravit. Clero quoque Mutunensi supplex ingentia dona misit, ut inde restaurarentur ecclesiæ, quas combusserat. De fide, & justitia servanda, de lege Dei, & pace tenenda, de privilegiis ecclesiarum, & statutis Patrum observandis omnes qui præsentes erant, admonuit; & allocutionem per eum memoria dignam, admixtis interdum lacrymis, eloquenter sic edidit. Multis* inquit, *o amici, gravibusque peccatis onustus contremisco. Et mox ad tremendum Dei examen rapiendus, quid faciam, ignoro. In armis enim ab infantia nutritus sum, & multa sanguinis effusione admodum pollutus sum. Nullatenus enumerare possum mala quæ feci per sexaginta quatuor annos, quibus in hac ærumnosa vita vixi; pro quibus absque mora rationem reddere nunc cogor altissimo Judici. Dum pater meus &c.* Exorditur enim sua flere delicta ab eo tempore, quo adhuc impubes moderandum Northmaniæ Ducatum accepit; post hæc autem, eo quo sunt gesta ordine, recensitis, conversus ad eos, qui aderant sacerdotes addidit: *Unde vos o sacerdotes, & ministri Christi suppliciter obsecro, ut orationibus vestris me commendetis omnipotenti Deo, ut peccata, quibus admodum premor, ipse remittat, & per suam infatigabilem clementiam inter suos me salvum faciat. Thesauros quoque meos jubeo dare Ecclesiis, & pauperibus, ut quæ congesta sunt ex facinoribus, dispergantur in sanctis Sanctorum usibus. Debetis enim recolere, quam dulciter vos amavi, & quam fortiter contra omnes emulos defensavi ecclesiam, Dei matrem scilicet, naturam*

Order. lib. 7.

JESU CHR. AN. 1087.

ram, nunquam violavi, sed ubique (ut ratio exegit) defideranter honoravi. Ecclesiasticas dignitates non venumdedi, simoniam detestatus semper refutavi. In electione personarum vitæ meritum, & sapientiæ doctrinam investigavi, & quantum in me fuit, animum dignissimo ecclesiæ regimen commendavi. Hoc nimirum probari potest veraciter in Lanfranco Cantuariensium Archipræsule, hoc in Anselmo Beccensium Abbate, hoc in Gerberto Fontanallensi, & Durando Troarnensi, & in aliis multis regni mei doctoribus, quorum celebris latus personat in ultimis, ut credo, terræ finibus, ac Monachorum se utriusque sexus patronum, protectoremque fuisse addidit, quorum aliqua etiam fundaverat, exitum deinde ejus Odericus narrat; cujus cadaver pene nudum domestici in arca domus reliquerunt; cum jam omnem regiam suppellectilem arma, vestes, linteamina rapuissent; *Translatum est corpus ejus*, ex Rothomago, ait Gemmadetensis Abbas, *sicut ordinaverat Cadomum, & in Ecclesia Sancti Stephani, quam ipse a fundamentis ædificaverat, ante majus altare regaliter tumulatum. Solus autem filiorum suorum Henricus exequias patris persecutus est, dignus qui paternam hæreditatem aliquando solus obtineret, quam fratres sui particulatim post mortem patris sui possederunt. Decessit autem idem Rex fere sexagenarius, anno Ducatus in Normannia LII. porro regni sui in Anglia XX. Incarnationis autem Domini* 1087.

Villelmus secundus patri successor in Angliæ regno.

16. In Angliæ regno Villelmum successorem fuisse diximus, ac Roberto filiorum maximo, Northmanniæ Ducatum tantum reliquisse Villelmum patrem in eum exacerbatum eo quod ad Philippum Francorum Regem aufugerat; eumdemque adversus se excitasset; At hæc Regni divisio, post patris obitum inter filios ejus graves excitavit turbas, cum Robertus natu major, minorem fratrem Gulielmum Russum, ob flavam cæsariem dictum, prælatum sibi fuisse ægre tulit; cui Nobilium pars maxima favebat, de quibus hæc summatim. Vestmonasteriensis narrat. *Omnes nobiliores Regni, quos Gulielmus magnus promoverat, superbi effecti, indignantes, quod regnaret super eos junior, spreto Roberto primogenito nobili, & magnanimo, non sine perjurio bella moverunt in Gulielmum, sed infra tertium annum confusi sunt omnes.*

JESU CHR. AN. 1088.

JESU CHRISTI AN. 1088. URBANI II. PAPÆ AN. 1. HENRICI IMP. AN. 5. ALEXII COMNENI IMP. 8.

Terracinæ Conventus pro electione Pontificis celebratur. *Chron. Cassin. lib. 4. cap. 2.*

1. Jam sextus effluxerat mensis, ex quo post Victoris tertii Papæ obitum Romana Sedes pastore viduata erat; quod cum ægre tum Romani, cum Mathildis, aliique ferrent; *Monebant ipsos Episcopos*, ait Petrus Diaconus, *& hortabantur, ut convenientes in unum eligerent, qui Romanam Ecclesiam regeret. Quare congregati Episcopi una cum Abbate nostro Oderisio, Romanos Clericos fidelesque litteris admonent, ut qui ex eis possent prima Quadragesimæ hebdomada Tarracinam pergerent, reliqui sententiam suam per litteras mitterent. Itidem & omnes per Campaniam, Principatum, & Apuliam Episcopos, & Abbates, ut ad eum locum, & eam diem convenirent, litteris admonuerunt: qui non possent, consensum suum per litteras, aut certe per idoneas personas aperirent. Quarta igitur feria primæ hebdomadæ Quadragesimæ, id est octavo Idus Martii, convenerunt apud Tarracinam Campaniæ oppidum cum Episcopis & Cardinalibus, nostroque Abbate Oderisio Episcopi, & Abbates ex diversis regionibus numero quadraginta. Ex Urbe vero Romana Joannes Portuensis omnium Cardinalium, & Catholicorum Catholicæ partis caput, Benedictus vero Præfectus omnium laicorum fidelium consensum per litteras attulerunt. Ex remotioribus quoque & Ultramontanis partibus Legati affuerunt una cum Mathildæ Comitissæ Nuntiis, orantes ut reformandæ ecclesiæ cum auxilio, & gratia S. Spiritus mature operam darent, ut lætos nuntios ad suos referre possent. Postera igitur die convenerunt in ecclesia B. Petri Apostoli, & S. Cæsarii Diaconi Episcopio ipsius civitatis. Et cum resedissent, Tusculanus Episcopus in medium surgens, cuncta per ordinem retulit, quæ de ordinatione ecclesiæ, & Gregorius primo, & postmodum Victor Papa mandasset, cum uterque Ottonem Pontificatu dignum declararunt.*

Urbanus secundus Pontifex ordinatur.

2. *Dehinc Portuensis Episcopus surgens, una cum Benedicto Præfecto, Cleri, populique Romani sententiam aperuerunt, ut quem omnes unanimiter eligerent, ipsi in Apostolica Sede susciperent. Quod cum Abbas noster, & Capuanus Archiepiscopus, cunctique qui aderant, adprobassent: omnipotentem Deum, ut miseriam, & afflictionem ecclesiæ suæ jam tandem dignaretur aspicere, multis precibus implorantes, statuerunt, ut per*

Jesu Chr. an. 1088.

per illud triduum spirituale jejunium fieret in abstinentia, orationibus & eleemosynis vacarent, peterentque ut persona tanto apici idonea sibi divinitus ostenderetur. Dominico igitur die summo mane in ecclesiam cuncti conveniunt: & cum inter se hac de re multa conferrent: exurgentes tres Episcopi Cardinales, qui Concilio præerant, Portuensis, Tusculanus, Albanensis, ambonem conscendunt, factoque silentio, uno simul ore pronunciant, Ottonem Episcopum Pontificem Romanum judicio suo eligendum. Tunc omnes repente mirabili summaque concordia, magnis vocibus, placere sibi, dignumque esse Pontificali solio conclamant. Pronunciante Albanensi Episcopo, placere sibi Urbanum illum appellari: ab omnibus rapitur, & lanea exutus veste, purpuream induit cappam. Et cum acclamatione & invocatione S. Spiritus ad altare B. Petri Apostoli pertrahitur, & in Pontificali solio collocatur quarto Idus Martii. Sicque Missa solemniter ab eodem Pontifice celebrata, gaudentes omnes, & Deo gratias agentes, in sua redierunt. Sed hæc hactenus Petrus. Ad hæc Bertoldus hoc anno: *Urbanus statim in sequenti die, missis litteris omnibus Catholicis, & suam ordinationem omnibus declaravit. & se in omnibus vestigia sui prædecessoris piæ memoriæ Gregorii Papæ observaturum denunciavit*; Is natione Gallus erat prope Remos natus, ejusdemque ecclesiæ primum Canonicus, deinde Monachus Cluniacensis, qui cum pietate, & doctrina fulgeret, Cardinalis, & Episcopus Ostiensis ab Gregorio septimo creatus fuerat; variisque legationibus perfunctus, Romanam Sedem tenere promeruit; ut teste Oderico lib. 10. his versibus indicat Petrus Leo

Canonicum Remis, tulerat Monachum Cluniacus Odonem
Roma vocat, facit hunc Hostia Pontificem
Cumque fit Urbanus mutato nomine Papa
Redditur expulsus inter Urbis honor,

3. Nam etsi Guibertus invasor Apostolicæ Sedis Ecclesiam Henrici factione munitus turbaret; Urbanus tamen ut ait Ordericus, *Confisus in Domino Cœlorum, qui non relinquit virgam peccatorum super justorum, misit Legatos, & Epistolas Romanæ auctoritatis Francis, & Græcis, aliisque gentibus per orbem constitutis, ut in fide catholica irrefragabiliter persisterent, & omnem scissuram a lege Dei & corpore Chri-*

Urbanus ab omnibus fere Pontifex agnoscitur.

JESU CHR. AN. 1088.

Christi, quod est ecclesia, calide præcaverent. Solus Henricus Teutonum Princeps, & pedissequi ejusdem Guiberto cohærebant. Galli vero, & Angli. aliæque gentes pene omnes per Orbem Urbano pie obsecundabant &c.

3. Terracina paulopost Cassinum Urbanus Papa transiens, laterum dolore S. Benedicti meritis sanatus est, ait Petrus Diaconus; atque ad eum advenerunt illuc Rugerius Apuliæ Dux, & Boamundus frater Roberti: & cum eis Urso Bontini Monasterii Abbas, quorum precibus rogatus in Apuliam Pontifex cum iis se contulit ad dedicationem Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, ubi etiam amplissimo diplomate Monasterium Bantinense, ecclesiamque unitam privilegiis exornavit; ita ut nullus bona, vel possessiones ejus usurpare, vel retinere auderet, aut hominibus Monasterii, seu Clericis, sive Laicis injuriam, vel molestiam inferre; ita tamen *ut chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium, seu Basilicarum, ordinationes clericorum suorum, & cetera spiritualia Sacramenta ab Episcopis diœcesanis, vel quibuscumque catholicis Bantini Monasterii fratres accipiant &c.* Integrum diploma longiori stilo exaratum exhibet Baronius; Labbeus vero illud pro Cassinensi Ecclesia datum refert; in quo erraſſe adnotat Mabillonius, quem errorem in novissima editione non correctum fuisse miramur, Urbanus interea sequenti ab ordinatione sua die, *Litteris missis omnibus catholicis ordinationem suam declaravit*, ait Bertholdus; has vel deperditas, vel adhuc manuscriptas latere Baronius dixit; Ex his tamen unam ad Hugonem Cluniacen. Abbatem datam recitat Mabilonius, in novissima etiam conciliorum editione præteritam; eaque electionis suæ seriem describit, ac Abbati, ejusque congregationi inscripta est; inter cetera.

Urbanus Papa Cassinum transit, gesta ibidem. *Chron. Cassin. lib. 4. 5.*

Labb. to. 10. pag. 422. to. 20. pag. 6. Mabill. lib. 67. num. 36. tom. 5. pag. 251.

4. *Notum facimus dilectioni vestræ*, inquit, *quod apud Tarracinam Campaniæ civitatem S. R. E. Episcopi, & Cardinales, Portuensis videlicet, Sabinensis, Tusculanus, Albanensis, & Signensis, cum aliis episcopis numero sexdecim, & Abbatibus quatuor, aliisque quamplurimis viris religiosis convenientes; cum Portuensis episcopus omnium Romanorum Clericorum catholicæ parti fauentium se Legatum diceret. Abbas vero Cassinensis Cardinalis Diaconus, ceterorum Diaconorum; P. quoque Cardinalis tituli S. Clementis omnium Cardinalium; præfectus autem Urbis laicorum omnium se ferre assereret legatio-*

Urbani Epist. ad Hugonem Cluniac.

JESU CHR. AN. 1083.

gationem, cumque post triduanum jejunium, supplicationibus multis, magnisque ad Deum precibus vehementer insisterent, quod ego quidem omnino dignus non fui, tandem me sibi quarto Idus Martii in Pontificem elegerunt. Quibus Deum testor, non ambitionis causa, nec alicujus dignitatis desiderio assensum præbui: sed quia tot tantisque viris inobediens esse verebar, talique quali tempore si quantum ad me periclitanti Ecclesiæ non subvenirem, Deum me offendere metuebam: præsertim cum prædecessores meos viros omni veneratione dignos, Gregorium scilicet, atque Victorem, hoc sibi divine præcepisse asserunt, Rogo igitur desideratissime nimiumque te deprecor, ut &c. ad Urbem adveniens præsentia sua recreare dignetur, aut ex suis aliquot ad se mittat; ac ut continuas pro se orationes Deo offerat præcatur. Huic simillis est altera in novissima conciliorum editione inserta, *Salisburgensi Archiepiscopo, ceterisque Episcopis Pataviensi, Virceburgensi, Vuormatiensi, Augustensi, Costantiensi, & venerandis Abbatibus, & gloriosissimis Vulphoni B. & B., atque omnibus majoribus & minoribus B. Petri fidelibus inscripta; eadem enim ferme de electione, & ordinatione sua scribit, quæ Hgoni scripserat*; Unde eamdem referre superfluum judicamus, ac ut in obedientia, quam Gregorio exhibuerant, perseverarent, hortatur, cujus ipse vestigiis inhærere statuerat, ac quæ probaverat, confirmare, damnaverat, reprobare, ut ibidem videre est.

Urbani Epist. ad Episcop. Germaniæ. *tom. 20. pag. 703.*

5. Post Roberti Ducis obitum de quo anno 1085. egimus, inter filios ejus Bohemundum, & Rogerium concordia diu non stetit; quin apertum inter eos bellum exarsit, cujus ad hunc annum meminit Lupus Protospata in chronico; *Tunc enim cæpta ut guerra*, ait, *inter Rogerium Ducem, & Bohamundum fratrem ejus*; Rem fusius narrat Monachus Malaterra adnotans Bohamundum, armata manu Oriam, Tarantum, & Hidruntum in Apulia invasisse, cui cum Rogerius fraterno amore commotus, Apuliæ partem cessisset; pax tandem inter eos, Rogerio patruo Roberti fratre, & Siciliæ Comite hortante, inita est, ut idem adnotat Malaterra. Rem gestam his verbis memorat Ordericus lib. 10. *In Apulia omnes Normanni catholico Papæ*, seu Urbano, *favebant*; *Verum inter se truculenter diffidebant, & fratres plusquam civilia bella vicissim conferebant. Rogerius cognomento Crumena, idest, Bursa, Ducatu Calabriæ solus cum matre* (Gaita nempe secunda

Normaniæ Princeps inter se dissident; *Murat. to. 5. rer. Ital. pag. 47. & 591.*

JESU CHR. AN. 1088.

cunda uxore Roberti Guiscardi) *poticbatur*. *Quod Buamundus frater ejus* (natus ex priori conjuge ejusdem Roberti) *apud Jordanum Principem Capuæ exulans ægre patiebatur. Unde auxilio ejusdem Jordani fratris sui, aliorumque parentum, amicorumque suorum, arma contra fratrem suum corripuit, partemque paterni honoris, quam ipse cum patre bello subegerat, viriliter repetere cœpit. Cujus guerram frater & noverca tolerare nequiverunt, commoditsque consilium ab amicis expetere coacti. Persuasione igitur Rogerii Siciliæ Comitis* (& fratris Roberti quondam Guiscardi) *aliorumque affinium pacem fecerunt*; *eisque Barum atque Tarentum, aliasque duas urbes, cum multis oppidis tradiderunt, &c. Connexione hujusmodi necessitudinis Normanni provide mutuo veligati sunt, & magnam Italiæ partem, quam Drogo & Unfridus atque Richardus, & super omnes Robertus Viscardus* (cujus hic nominati fratres erant) *obtinuerant, usque hodie possiderunt*. hæc de dissidiis filiorum Roberti; quæ hoc vel sequenti anno cum utrisque partis laude sopita sunt.

Rogerius Siracusam totamque Siciliam obtinet.

6. Eodem tempore, & anno, quo hæc in Apulia sunt gesta, ait Protospata, *Comprehensa est Siracusa, Siciliæ quondam caput a Rogerio Comite* Roberti fratre, & Rogerii junioris patruo, *in qua fertur homines comestos, & infantes ob diuturnitatem obsidionis*. Eadem ad hunc annum narrat Romualdus Salernitanus in chronico: susiori stilo rem prosequens monachus Malaterra in historia Sicula, adnotat, quod dum Rogerius Siciliæ Comes in Apulia, componendis nepotum dissidiis intentus esset; Bonavert Saracenorum in Sicilia Dux, navali exercitu ab Siracusis adducto Calabriæ oppida, Regnique confinia excurrendo vastavit, una simul sacra, & prophana violans, ecclesias scilicet destruxit, imagines deturpavit, suppellectiles sacras suis, suorumque usibus aptavit. *Sanctimoniales abductas turpi stupro dehonestatas abducit*. Quare ad vindictam accensus Rogerius, Dei implorato auxilio, classem instruit, exercitumque terrestrem parat, ac cum filio Jordano hostem persequitur, Siracusamque tendit, & prælio navali inito Bonavertum Saracenorum Ducem nullo negotio profligat. Bonavert vero, a *Lupino quodam jaculo confossus, dum a Comite, qui in navim ejus insiluerat minaci ense persequitur, ipse proximam navem de suis ad fugiendum saltu appetens, in mari*

Murat. to. 7. p. 176.

Murat. to. 5. p. 590. & seqq.

Lib. 4. cap. 1. ad 12.

cum

eum pondere ferri demergitur. Sic Duce Saracenico extincto ceteri fugati sunt. Rogerius vero a Majo usque ad Octobrem anni proximi obsidione Siracusas cinxit, quo tempore *Uxor Bonavert, cum filio, & melioribus urbis, navibus duabus de nocte per medias naves nostras rapidissimo remige evadentes, se se Notum recipiunt*; *Reliqui*, qui Siracusis remanserant, *fœdere composito deditione se, & urbem reddunt Anno Domini Incarn.* 1085. seu potius 1088. ut Protospata, & Romualdus adnotant; & sane cum hæc, auctore Malaterra, contigerint post Roberti obitum, uno, eodemque anno 1085., quo Robertus obiit, contingere nequaquam potuerunt; quare aut erravit auctor, aut in Malaterræ textu irrepsit error, & pro anno Incar. Dom. 1085. legendum est anno 1087., aut 1088.. Post hæc ut auctor prosequitur, totius Siciliæ possessionem facili negotio Rogerius iniit, ac primum Agrigentum cœpit. Castrum deinde Joannis, quod cum Chamut quidam Saracenorum Dux aliquamdiu defendisset, paulopost se Rogerio dedit, ac baptismate suscepto Christi fidem amplexus est, quem Rogerius in Calabriam misit, terram, ut honeste sustentaretur, eidem adtribuens. Ibique *longo tempore ab omni fraude versus nostram gentem se se irreprehensibilem Chamut exhibuit*, ait auctor, quæ etsi non omnia hoc anno contigerint; hoc tamen tempore, & circa annum 1090. facta sunt. *Videns* autem *Comes Rogerius propitiatione Dei omnem Siciliam excepta Butera, & Noto suæ ditioni cessisse, ne ingratum se tanti beneficii sibi a Deo collati gereret, cœpit* Deo devotus existere, ac omnibus pietatis officiis impensius vacare, ut idem auctor adnotat. Inter cetera, ut Episcopi ibidem ordinarentur, curavit, ac *in urbe Agrigentina Pontificalibus insulis cathedram sublimat, terris, decimis, & diversis copiis, quæ Pontifici, & Clero competenter designata sufficiant, hæreditaliter chirographis suis dotat, ornamentis, & sacri altaris utensilibus ad plenum consignatis. Huic ecclesiæ Gerlandum quemdam natione Allobrogum, virum, ut ajunt, magnæ charitatis, & Ecclesiasticis disciplinis eruditum Episcopum ordinans, præfecit. Haud secus apud Mazaram facere addens, omnibus quæ rite sufficerent Prælato, & Clericis ad plenum designatis, Stephanum quemdam Rothomagensem, honestæ vitæ virum Episcopum ordinavit. Apud Sy-*

Jesu Chr. an. 1088.

Cap. 6. 7.

Murat. to. 5. pag. 592.

Rogerius Episcopos in Sicilia ordinari curat.

JESU CHR. AN. 1088.

racusam vero idem adjiciens Rogerium Decanum Eccleſiæ Trainenſis honeſte eruditionis clericum, & boni moris, & affabilitatis virum in Provincia ortum Pontificalibus infulis ſublimavit: Trainenſibus non minimum de ejus amiſſione dolentibus, quippe cujus doctrina, & exemplo ad meliora ſemper hortabantur, & conſilio; & eloquentia etiam in ipſis ſæcularibus negotiis, quaſi pro baculo ſuſtentationis utebantur, nam & abſente Epiſcopo vices ſibi delegatas cum omni prudentia, & moderatione exequebatur. Apud S. Euphemiam vero Monachum quemdam, natione Britonem, virum religioſum, poſt Abbatem totam Eccleſiam prudenti moderamine audiens, ut hunc Eccleſiæ Catanenſi impetrare queat, Epiſcopum ordinare intendit. Quare & per ſemetipſum illuc accedens, vix tandem Monachis hoc carere nolentibus, ipſo etiam præ cæteris amplius reluctante, obtinuit. Sicque ſolemniter Epiſcopatum concedens, quod nulli Epiſcoporum feciſſe cognoſcitur, totam urbem ſedi ſuæ cum omnibus appendiciis ſuis ſub chirographo, & teſtibus hæreditatem poſſidendam aſſignavit. Porro ille Eccleſiam minus cultam, ut pote a faucibus incredulæ gentis erutam ſuſcipiens, juris ſtudiis primo ſtudioſius inhærens, brevi eccleſiam omnibus neceſſariis provehens, ad Mariæ vices cum Martha exequendum tranſiit: Monachorum turbam non modicam ſibi coadunans, diſtrictæ regulæ jugo, verbo, & exemplo ſubeſſe, ut fidelis paſtor coegit. Hactenus Malaterra, qui paulo poſt ſubdit Buteram, & Notum a Saracenorum poteſtate eripuiſſe, eoſque tota Inſula ejeciſſe, anno 1090. aut 1091. ut ibidem adnotat Pagius, & Muratorius.

Cap. 13. & 14.

Hermannus Germaniæ Rex moritur

7. Interea hoc anno Hermannus Germaniæ Rex, dum de Germanico Regno cum Henrico contenderet, vivere deſiit, ut narrat Bertoldus in chronico ad hunc annum; quo etiam tradit, Saxones in partes Henrici tranſiiſſe. *Saxones a fidelitate S. Petri diſcedentes, Henricum, quem multoties abjuraverant, receperunt. Unde Hermannus Rex catholicus ab eis in Lotharingiam feceſſit, ibique non multo poſt viam univerſæ terræ arripuit, anno Domin. Incarn.* 1088., *Regni vero ejus 7. Indict.* 12., *& in patria ſua Metis honorifice ſepelitur*; quem in obſidione cujuſdam oppidi ſaxo percuſſum obiiſſe narrat auctor chronici Auguſtani: *Hermannus pſeudo Rex regia dignitate privatus, urbem quamdam clam cupiens irrumpere, ſaxo deſuper miſſo, capite, quo temerarius coronam impoſuerat, percuſſus*

Apud Freherium rer. Germ. pag. 354.

cuſſus opprimitur; Hæc auctor Henricianæ factionis, qui adnotat, ante Hermanni obitum Auguſtanam urbem, ab Hermanni exercitu, ſeu ut ait *perfidis, & infandiſſimis* hominibus captam, direptamque fuiſſe 11. Kal. Aprilis, Sigefrido Epiſcopo in cuſtodiam tradito, *Vigoldus ad conficiendum chriſma*, in vigilia Paſchatis *adducitur*, ſed cum urbem deſtructam paulopoſt reliquiſſet, *ad fauces rediit, ibi citius gravi ægritudine correptus interiit, & ſepelitur*; Poſt Hermanni autem obitum Egbertus Miſniæ Marchio contra Henricum Imperator eligitur, qui bello reſtaurato; *In vigilia nativitatis Domini ex improviſo caſtra Imperatoris Henrici aggreditur*; ac atroci pugna inita, quamplurimi utriuſque partis vel occiduntur, vel ſauciantur, ex ſchiſmaticis *Lauſanenſis Epiſcopus interimitur*; *Imperator cum aliquantis ſuis de provincia ſeceſſit*: ſicque ob ſchiſma exortum mutuis cladibus Germania undique vexabatur; Quo etiam anno *Bertha Imperatrix*, Henrici uxor, *obiit, & Spiræ ſepelitur*.

Jesu Chr. an. 1088.

8. Cum Toletanam Urbem ab Maurorum captivitate eripuiſſet Alphonſus Legionis, & Caſtellæ Rex, ut anno 1085. diximus, chriſtianæ fidei, & eccleſiaſticæ diſciplinæ zelo animatus, quo Rogerius in Sicilia Saracenis ejectis Epiſcopos ibidem ordinari curaverat, eodem, inquam, zelo ductus Alphonſus, Toleti Bernardum quemdam Benedictini ordinis Monachum, ait Mabillonius, Epiſcopum ordinandum curavit; Is porro in Monaſterio Auxitano primum Monachus, deinde Cluniacum tranſiens, ac humanis, diviniſque litteris inſtructus cum Ugone Cluniacenſi cum Monachis aliquot miſſus fuerat, ut Saguntenſis Monaſterii præfecturam, jubente Alphonſo gereret; Mox Toleto in chriſtianorum poteſtatem redacto, eumdem Rex Alphonſus in frequenti Epiſcoporum, Abbatum, & Procerum apud Regiam urbem conſeſſu, Toletanum Epiſcopum ordinari curavit, qui ubi Toletanam ſedem accepit; Saracenorum fanum, quod Meſquitam appellabant Mauhemetani, hortante Conſtantia Regina expurgatum in chriſtianorum Templum ſolemniter conſecravit, quod ægerrime tunc Alphonſus Rex tulit, eo quod Saracenis promiſiſſet intactum ſe iis relicturum; Bernardus interea rebus Toletanæ Eccleſiæ compoſitis, Romanum ſuſcepit iter, ut ab Romano Pontifice Eccleſiæ ſibi traditæ Primatiam recuperaret; quem benigne excipiens Urbanus ſecundus, laudata ejus in Romanam ſedem reve-

Bernardus Toletanus Epiſcop. ordinatus, Romam pergit.

Mabil. Annal. lib. 66. n. 2. & 67. num. 54.

JESU CHR. AN. 1088. reverentia; Primatus honorem Toletanæ Ecclesiæ per trecentos pene, & septuaginta annos interceptum in pristinum restituit Pontifex, his ad eumdem Bernardum datis litteris.

Urbani 2. epist. ad Bernardum Tolet. Episc. de Primatu Toletanæ Ecclesiæ. *Labb. Concilii tom.* 10.

9. In quam rem post præfationem ait. *Igitur voluntate, & consensu unanimi comprovincialium populorum, Pontificum atque Principum, & Idelphonsi excellentis Regis, te, frater charissime Bernarde, primum illius urbis post tanta tempora Præsulem eligi divinæ placuit majestati. Et nos ergo miserationi supernæ gratiæ respondentes, quia per tanta terrarum, mariumque discrimina Romanæ auctoritate ecclesiæ suppliciter expetisti auctoritatem Christianam Toletanæ ecclesiæ restituere non negaremus: gaudemus, & etiam corde lætissimo magnas, ut decet, Deo gratias agimus, quod tantam nostris temporibus dignatus est Christiano populo donare victoriam, statumque ejusdem urbis, quoad nostras etiam facultates, stabilire, augere, ipso adjuvante*, eique pallium mittens, eidem, ejusque in Toletana sede successoribus Primatus honorem restituit, ac data dicitur. *Ananiæ per manus Joannis Diaconi S. R. E., & præsignatoris Domini Papæ, idibus Octob., anno Domin. Incarn.* 1088. *indict., undecima, anno Pontificatus Urbani primo*; ejusdem argumenti est epistola ad Alphonsum Regem data, qua ob ejectos ob Toletana Urbe Arabes gratulatur; ac Episcopalem sedem ibidem erectam, in Primatus honorem

Urbani 2. epist. ad Idelphonsum Regem. *Labb.* 10. 10. *pag.* 458.

restituisse narrat; post aliqua; *Gratias*, inquit, *Domino, & laboribus tuis agimus, quod de Saracenorum jure Toletanu esi ecclesia liberata, fratrem autem Bernardum venerabilem ejusdem urbis Præsulem tuis exhortationibus invitati, digne ac reverenter excepimus, & ei pallium contradentes, privilegium quoque Toletanæ ecclesiæ antiquæ majestatis indulsimus. Ipsam enim in totis Hispaniarum regnis primatem statuimus, & quidquid Toletana ecclesia antiquitus noscitur habuisse, nunc quoque ex Apostolicæ sedis liberalitate imposterum habere censuimus. Tu illum ut patrem carissimum exaudias, & quæque tibi ex domino nuntiaverit, obedire curato, & ecclesiam ejus temporalibus non desistas auxiliis, ac beneficiis exaltare &c.*, deinde Idelphonsum Regem rogat, ut Pelagium Episcopum Sancti Jacobi, seu Compostellanum per vim ea sede auctoritate Riccardi Cardinalis dejectum, & ab Alphonso Rege in vinculis detentum pristinæ dignitati restitueret, quia tunc Riccardus legatione sedis Apostolicæ non funge-

fungebatur, utpote ab Victore tertio ea dignitate privatus, ut ibidem Urbanus Papa narratur; cujus iterum causa anno 1091. in Legionensi Concilio agitata fuit, ut ibidem dicturi sumus. De eodem Toletanæ Ecclesiæ Primatu Bernardo collato, altera extat Urbani secundi epistola ad Tarraconensem Archiepiscopum cujus initium est. *Novit dilectio tua &c.* diu tamen adversus Toletanæ Ecclesiæ Primatum ab Urbano secundo Bernardo, ejusque successoribus collatum restiterunt ac nullam olim, ut Urbanus supposuerat jurisdictionem in Hispaniæ Ecclesias Toletanam Ecclesiam habuisse Tarraconensis, & Narbonensis Archiepiscopi contendebant; Urbanus tamen Tarraconensi Episcopo jussit, ut sine cunctatione pareret; & ut Narbonensis Archiepiscopi querelas comprimeret, Bernardum legatum suum per universam Hispaniam, & Narbonensem provinciam constituit, ut ex epistolis sequentibus annis ab Urbano datis constat. Toletanæ autem Ecclesiæ privilegium ab Urbano collatum successores passim confirmarunt; Mariana tamen libro nono historiæ Hispanicæ adnotat. *Toletanos Præsules Primatum jura, & auctoritatem obtinuisse, ex quo tempore a Mauris recepta est: numquam defuisse tamen qui obsisterent auctoritati, detrectarent Imperium: ac ne nunc quidem præter nomen, ullam ejus potestatis partem exercent in alias provincias Hispaniæ, neque componendis neque litibus, neque sontibus plectendis, neque legibus promulgandis &c.* de hujus Primatus origine & usu Demarca in dissertatione de Primatibus num. 125. & seqq., & susiori etiam stylo ac toto volumine in folio Nicasius *de Primatu Toletanæ Ecclesiæ*. Nos vero hæc adnotasse sufficiat.

Jesu Chr. an. 1088.

Labb. ut supra.

Tarrac. & Narbonen. Archiep. Primatui Tolet. Ecclesiæ se subjicere renuunt.

Labb. Conc. to. 10. p. 459

10. Etsi Bertholdus Constantiensis in chronico anno 1083. Berengarii Andegavensis Archidiaconi obitum alligaverit, eum tamen hoc labente anno obiisse communis eruditorum sententia est, ait Pagius, cui ceteri subscribunt; Is porro nonagenarius prope die Epiphaniorum obiit, ut notavit Malesburiensis, ac Epithaphium eidem inscriptum positum ab Hildeberto Cenomanensi tunc Archidiacono, postea ejus etiam Ecclesiæ Episcopo, refert, in quo inter cetera hæc leguntur

Berengarii Andegavensis obitus.

Baronius, Duphin. Caveus &c.

Hist. lit. Galliar. tom. 8. pag. 214.

Quem modo miratus, semperque mirabitur orbis
Ille Berengarius non obiturus obit
Quem rectæ fidei vestigia summa tenentem
Jam sexta dies abstulit, illa nefas.

cete-

JESU CHR. AN. 1088.

cetera in ejus laudem fusiori laxiorique stylo multis versibus addita, & a Baronio relata, præterimus; utpote in laudem viri in hæresim sæpe, ac vix laicæ communionis in exitu digni, ut ibidem ait Baronius, & ante Baronium Berengarii Epitaphium recitans Malesburiensis adnotavit. *Videat in his versibus, quod laudibus excesserit modum Episcopus, Hildebertus scilicet.*

De Berengarii pœnitentia.

11. Berengarium autem ante obitum respuisse, ac pœnitentiam egisse, & in catholica communione obiisse, dubitari vix potest; cum id non solum Hildebertus Cenomanensis laudator nimius, sed passim alii plurimi, si Gudinium a catholica fide, & monachatu apostatam, paucosque alios Calvinistas excipias; Quibus sane cautior fuit Caveus, qui dum eum hæresim abjurasse a Mabillonio tradi adnotat, an hæc perfecerit, inquit, *Judicent alii*. De Berengarii pœnitentia testes sunt tum Clarius, loco, & ætate Berengario proximus, dum ait. *Fidelis, & vere catholicus vitam finivit*; tum Ricardus Pictavienſis Monachus Cluniacensis, Berengario fere coævus; *Erravit in fide*, inquit, *sed postea correxit errorem*: Malesburiensis vero de ejusdem obitu agens, hæc adnotat. *Quamvis ipse sententiam correxerit: omnes tamen, quos ex totis terris depravaverat, convertere nequivit. Adeo pessimum est, alios exemplo, vel verbo a bono infirmare, quia fortassis peccatum te gravabit alienum, cum deletum fuerit tuum*. Et iterum. *Quin & ipso die Epiphaniorum moriens, gemituque producto recordatus, quod miseros quosdam adolescentes primo ætatis flore sectæ sua infecerit: Hodie*, inquit, *in die apparitionis suæ apparebit mihi Dominus meus* JESUS *Christus propter pœnitentiam, ut spero, ad gloriam, vel propter alios, ut timeo, ad pœnam*; hinc factum ut Turonensis Ecclesiæ Canonici, ex eo tempore quo obiit, pro ejusdem requie singulis annis ad ejus tumulum in claustro S. Cosmæ ubi sepultum fuerat, Psalmum *Deprofundis* pro ejusdem requie recitarent. Quot autem sinceræ pœnitentiæ, post repetitos in hæresim relapsus, indicia Berengarius dederit, quosque pœnitens annos supravixerit, non constat, anno tamen 1083. id contigisse, ac quinquennio ad obitum usque perseveravisse in ea verosimile est; cujus pœnitentiam Lantfrancus Cantuariensis Episcopus, aut ignorans, aut supectam habens, dum Reginaldo Pictavienſis Monasterii Abate, aliisque de Berengario, qui S. Hilarii opera carpere ausus fuerat, hæc scripsit. *Porro quod*

Ordin. de script. Eccles. to. 2.

Caveus to. 2. p. 131.

Spicileg. to. 2.

Lantfranci epist. 50.

quod ſchiſmaticus ille, Berengarium dico, ut veſtra epiſtola teſtata eſt, conſtanter aſſerit, quia B. Hilarius veſtræ urbis, veſtræque gentis quondam Epiſcopus, in tractatu Fidei perverſa ſenſerit, & in libro de divina Trinitate improbabiles ſententias de Domino Jesu Chriſto protulit; mirari non debet beatitudo veſtra, ſi is, qui de ipſo capite tam multa, & tam nefanda credere, & docere veriſimis relationibus infamatur, de ipſius capitis membro tam perniciosa dicere, traditus in reprobum ſenſum, divino judicio permittatur, ac quanti facienda ſit tum Hilarii, cum aliorum SS. Patrum auctoritas, pluribus demonſtrat, ut ibidem, vel apud Baronium, qui integram epiſtolam recitat, videre eſt.

Jasu Chr. an. 1088.

12. Hoc anno ex hac vita meritis, ſanctitateque præclarus migravit Gebeardus Salisburgenſis Epiſcopus, Apoſtolicæ Sedis legatus, & ab Henrico Imp. ob defenſionem jurium, & dignitatis Romanæ Eccleſiæ in exilium ante annos novem miſſus, ut ejuſdem ſincera acta teſtantur, in ſuam vero Eccleſiam reverſus, quam biennio adhuc adminiſtravit, *Anno Incarnationis Dominicæ* 1088., *tranſactis ab ordinatione ſua annis viginti ſeptem, menſes decem, hebdomadibus duabus, diebus duobus, exacto felicis agonis curſu, ad palmam ſupernam vocatus* 16. *Kalen. Julii, in caſtro ſuo, quod Verven dicitur, hujus vitæ terminum beato fine ſortitur, & deinde translatus, in noſtro monaſterio debita veneratione ſepelitur. Ipſo die depoſitionis ſurdum, & mutum, quem prædiximus, ad ſepulchrum proprium curavit. Quo primo aliiſque deinceps miraculis vivere ſe cœleſtibus regnis teſtatur &c.*, cujus Epitaphium verſibus digeſtum auctor recitat, quo ejus inſignia merita exponit, ut ibidem videre eſt; eo ſublato Henrici juſſu Bertholdus quidam eam ſedem invaſit; Clerus tamen populuſque Salisburgenſis. *In unum convenientes, electione canonica venerabilem Thiemonem S. Petri Abbatem in Archiepiſcopum conſtituerunt, eique ad defenſionem eccleſiæ caſtra, & munitiones Epiſcopi tradentes, præfatum invaſorem de finibus Salisburgenſis parochiæ*, ſeu diœceſis, *expulſerunt*: De Thiemone autem infra ſermo fiet.

Gebehardi Salisburgen. Archiepiſc. obitus, cui Thiemon. Abbas ſuccedit. *Apud Canisium antiq. lect. tom. 6.*

13. Rurſum, vel ſequenti anno, ut adnotant auctores hiſtoriæ litterariæ Galliæ mortuus eſt Durandus Tuarnenſis Abbas, vir ſacris, humaniſque litteris excultus, pietate vero, & regulari obſervantia præclarus, ſibi etiam ob vitæ

Obitus Durandi Abbatis Tuarnenſis.

JESU CHR. AN. 1085.

vitæ auſteritatem, *durus carnifex* dictus; atque unus ex plurimis eruditis viris, quos Gulielmus Angliæ Rex ad ſe vocaverat; ut idem Rex moriens teſtatur, Regis vero ſepulturæ Durandum interfuiſſe narrat Ordericus; qui de ejuſdem ſtudiis, & pietate, geſtis hæc adnotat. *Durandus Toarnenſis Abbas grandævus ab infantia Monachus, religione, & ſapientia præcipuus, Eccleſiaſtici cantus & divini dogmatis doctor peritiſſimus, ſibi durus carnifex, aliiſque mitis, poſt multos in Dei cultu labores, in lectum decubuit, & bene ut prudens, & fidelis ſervus ire ad curiam domini ſui paratus III. Idus Februarii de ſæculo migravit*, hoc ſcilicet anno. Inter cetera egregium adverſus Berengarium opus ſcripſit de corpore, & ſanguine Domini inſcriptum, cujus ſupra mentionem fecimus; extatque in bibliotheca Patrum tomo 18., & in appendice ad opera Lantfranci Cantuarienſis. Plura de eodem tractatu, aliiſque ejuſdem ſcriptis, vel geſtis vide apud auctores hiſtoriæ litterariæ Galliæ tom. 8. pag. 241. & ſeqq.

Pagi noti 14. 1088. Hiſt. litter. Gall. to. 8. p. 240. Oderic. lib. 7

JESU CHRISTI AN. 1089. URBANI II. PAPÆ AN. 2. HENRICI IMP. 6. ALEXII COMNENI IMP. 9.

Concilium in urbe Urbanus celebrat. *Labb. to. 10. p. 374.*

1. Etſi adhuc inter Urbanum ſecundum, & Guibertum, ſive Clementem ſchiſma vigeret, atque in urbe eſſet Urbanus, ac *in inſula, quæ inter duos pontes eſt morabatur*, ait Bertoldus; Guibertus vero urbis meliora loca, vel fortaſſe Adrianam molem poſſideret; Urbanus tamen Papa *Generalem Synodum*, centum quindecim *Epiſcoporum collegit, & eccleſiaſtica ſtatuta ſuorum prædeceſſorum Apoſtolica auctoritate confirmavit*, ait idem Bertoldus; qui addit. *Guibertus autem autem hæreſiarcha a Romanis turpiter expellitur, & ne amplius Apoſtolicam ſedem invadere præſumat juramento promittere compellitur*, ut ſic illæſus abire poſſet: non multo poſt in urbem iterum rediiſſe, videbimus, anno 1091.

Guibertus urbe ejicitur

De concordia ineuda fruſtra agitur.

2. Interea, ut proſequitur Bertholdus. *Diuturna Regni diſcordia inter catholicos, & ſchiſmaticos tabeſcere cœpit; ut non jam bellum ad invicem, ſed pacem componere ſanius iudicarent. Quapropter duces & Comites fideles ſancti Petri cum Henrico colloquium habuerunt, eique ſuum conſilium, & auxilium ad obtinendam regnum firmiſſime promiſerunt, ſi Guibertum hæreſiarcham vellet dimittere, & ad Eccleſiaſticam com-*

communionem per Catholicum paſtorem remanere. Quam quidem conditionem nec ipſe multum reſpuit, ſi tamen in hoc ei Principes ſui aſſentiri vellent, videlicet Epiſcopi, qui ſe cum Guiberto deponendos eſſe non dubitaverunt, eo quod in ejus parte ordinationem, imo execrationem perceperunt. Hi ergo penitus hac vice diſſuaſerunt, ne S. Eccleſiæ reconciliaretur. His addit Bertholdus, *Dominus Papa* Urbanus. *CPolitanum Imperatorem ab excommunicatione per legatos ſuos abſolvit.* At unde hæc de excommunicatione, vel abſolutione Iſacci Comneni Imp. didicerit Bertholdus, prorſus ignoratur, ait Pagius not. 2. ad hunc annum, cujus nullum extat aut verbum, aut veſtigium apud reliquos ſcriptores, ſive Latinos, ſive Græcos, nec apud Annam Comnenam, quæ patris ſui geſta per ſingulos annos ſumma diligentia deſcripſit, unde incerta prorſus hæc ſunt; illumque de geſtis in Oriente vix edoctum fuiſſe adnotat Pagius. JESU CHR. AN. 1089.

3. Ad Urbanum Papam redimus, qui ineunte hoc anno in Campaniam tranſiens, vel ibidem commorans, Amalphi Synodum celebravit; quam quidem *Anno Domin. Incarnat.* 1090. *indict.* 13. *menſe Septembri Urbanus Papa celebravit*; ait Romualdus Salernitanus in chronico, quia annum 1090. ab indicatione, quæ in Septembri anni proximi incœperat, numerare ſolebat; geſta autem ibidem ſummatim ſic refert; *In qua Melfitana Synodo, Rogerius Dux ligius ejus homo effectus, promiſit jurejurando ſe ſervaturum fidem Rom. Eccleſiæ, & eidem Papæ, ejuſque ſucceſſoribus canonice intrantibus, accipit per vexillum ab eo terram cum ducatus honore*; cetera ibidem geſta exhibent concilii acta, ac narrat Joannes S. Rom. Eccleſiæ Diaconus, & Cancellarius, qui huic Synodo interfuit in epiſtola ad Abbatem Moliſmenſem, qua etiam epiſtola hoc eodem anno 1089. eamdem Synodum ibidem habitam fuiſſe ſcribens, ait *Dominus Urbanus Papa præcepit in eodem Concilio Melphitano, ut quæ uſque ad illud Concilium per Principes* data Monaſteriis fuerant, firma, & integra permanerent; de cætero Abbates ab acquiſitione hujuſmodi abſtinerent. Hoc ſane Concilium Melphitanum celebratum eſt anno Dominicæ Incarnat. 1089. Porro per hujuſmodi temperamentum, & Abbates ab Eccleſiarum invaſionibus ceſſaverunt, & Epiſcopi non omnino ſpoliare Monaſteria voluerunt. Plures enim inter eos querelæ ſic poſtea in noſtra Romana Eccleſia definitæ

Melphitana Synodus ab Urbano Papa celebratur. *Murat. rer. Ital. tom. 7. p. 176.*

Labb. to. 10. pag. 576. & 479.

JESU CHR. AN. 1089.

sunt. *Quæ autem scribimus, præsentes nos, & audisse, & vidisse noscatis &c.*, ut sic & Principum querelis de immensis Monasteriorum opibus finis imponeretur, & immodica Monachorum in acquirendis bonis temporalibus cupiditas frænaretur; In ea quoque Synodo canones sexdecim ad ecclesiasticam disciplinam restituendam editi sunt; ac primo, ut nemo Episcopatum pretio dato, vel oblato, precibus, aut servitio exhibito accipiat, & ne Episcopi Archidiaconatus, ceteraque pretio accepto conferrent, cautum est; Subdiaconis sub depositionis pœna, omne carnale commercium prohibetur, & ne bigami sacris ordinibus initientur, aut Subdiaconi ante annos 14. vel 15. ordinarentur. Ut laici decimas Ecclesiis offerant; nec sine consensu Episcopi, vel Rom. Pontificis, Ecclesiis debita, Monasteriis offerant, nec Abbates, aut Ecclesiarum Præpositi accipiant; ab iis qui monasteria ingrediuntur nullus Abbas pretium accipiat, & ne quispiam Episcopatum, vel Abbatiam per investituram a laicis accipiat; Clericis deinde prohibetur, ne se secularium virorum, aut fœminarum servitio mancipent; & ne Episcopi vagantes Monachos, sine Abbatis licentia, recipiant. Et ne servilis conditionis homines, aut civilibus officiis obnoxii ab Episcopis ordinentur. Subdiaconis omnimoda continentia præscribitur, & ne clerici sciffis vestibus, aut prætiosis utantur. Filii quoque Presbyterorum a sacris Altaribus arcentur, *nisi aut in cœnobiis, aut in canonicis religiose probati fuerint conversati.* Tandem capite ultimo, Episcopi, & Presbyteri gravioribus verbis admonentur, ne falsis pœnitentiis, peccatorum animas decipiant, & ad interitum perducant; *Falsa sit pœnitentia*, adnotant, *cum penitus ab officio curiali, vel negotiali non recedit, quæ sine peccatis agi ulla ratione non prævalet; aut si odium in corde gestet, aut si offenso cuilibet non satisfaciat: aut si non offenderit, offensus non indulgeat, aut si arma quis contra justitiam gerat*; Hactenus Amalphitanæ Synodi Canonum summa; De eadem Amalphitana Synodo hoc anno celebrata, hæc narrat Lupus Protospata. *Anno* 1089. *facta est Synodus omnium Apulesium, Calabrorum, & Brutiorum Episcoporum in civitate Melphiæ ubi affuit etiam Dux Rogerius cum universis Comitibus Apuliæ, ac Calabriæ, & aliarum provinciarum, in qua statutum est, ut sancta Trevia retineretur ab omnibus subjectis*; his autem subdit is auctor; Barium

Murat. to. 5. p. 46.

tran-

transiisse Urbanum Pontificem: *Hoc anno obiit Ursus Barensis Archiepiscopus, & Papa Urbanus venit in civitatem Barum, & consecravit illic confessionem S. Nicolai, & Heliam Archiepiepiscopum, vivente adhuc Antipapa Clemente, & consecravit Brundesinam Ecclesiam prædictus Papa Urbanus.* Jesu Chr. an. 1089.

4. De Urbani Papæ adventu Barim, deque ibidem gestis, idem Pontifex ut supra in epistola ad Heliam hæc narrat. *Quia nostris temporibus Ecclesiam, quam Deo auctore regis, frater charissime, Barensem (quæ & Canusina dicitur) omnipotens Deus, B. Confessoris sui Nicolai corpore visitare dignatus est: nos, auctore Deo, Apostolorum Petri Paulique Vicarii, propter ecclesiastica negotia exequenda, in Apuliæ provinciam descendentes, charissimorum filiorum Romanæ Ecclesiæ Rogerii Ducis, & fratris ejus Boamundi, atque vestris deprecationibus invitati, civitatem vestram pro B. Confessoris Nicolai dilectione præcipua visitavimus: cum magna undique convenientis populi frequentia, lætitiaque B. Nicolai reliquias in locum parati adyti conferentes, contra morem nostrum Romanæ, & Apostolicæ Ecclesiæ te, dilectissime frater, in sede propria consecravimus, B. Nicolai reverentia, & tui populi devotione devincti &c.*, cui Barensem, & Canusinam Ecclesiam regendam commisit, ut unus tantum ibidem Episcopua esset; cui etiam pallium concessit; quo in solemnioribus festis, Clerique ordinationibus uteretur, ut ibidem videre est. Urbanus Papa Barim transit Nicolai reliquias veneratur, Eliam Episc. ordinat. *Labb. to. 10. pag. 424.*

5. Cumque post conventum in Germania habitum inter Henricum, & Proceres, nulla ineundæ concordiæ spes supereset, Urbanus Papa, Mathildi Comitissæ persuasit, ut secundas cum Velphone Bojariæ Duce, filio Velphonis Ferrariensis Marchionis, nuptias iniret, ut mariti ope Henrico in Italiam advenienti resisteret; Mathildis vero etsi quadragenario major esset; *Non tam pro incontinentia*, ait Bertholdus, *quam pro Romani Pontificis obedientia, videlicet ut tanto virilius sanctæ Romanæ Ecclesiæ contra schismaticos posset subvenire.* Eam tamen continentiam cum hoc altero marito servasse tradit idem Bertholdus in chronico ad annum 1095., quod cum ægerrime ferret Velpho senior, seu pater, utpote qui in suam familiam Mathildis patrimonia transferre concupiscoret. *In Longobardiam*, ais is auctor, *nimis irato animo pervenit, & frustra diu multumque pro ejusmodi reconciliatione laboravit: ipsum etiam Henricum sibi in adjutorium adsci-* Mathildis nuptiæ cum Velphone Bojariæ Duce.

AN. 1089. JESU CHR.

vit contra Dominam Mathildem, & ipsa bona sua filio ejus dare compelleret, quamvis nondum illam in maritali opere cognoscceret: Unde diu frustra laboratum est. Ait auctor, ac subdit Mathildis cum Velphone nuptias, Henrico Imp. displicuisse, quam, ut verosimile est, ipse, ut patrimonio ejus ditaretur, uxorem duxisset.

Henrici nuptiæ cum Adelaide, seu Praxede.

6. Nam alteras hoc anno Henricus cum Adelaide, Praxede etiam dicta, Russorum seu Ruthenorum Regis filia nuptias iniit, Utoni Brandeburgensium Marchioni primum nupta; *Imperator Praxedem Ruthenorum Regis filiam sibi in matrimonium sociavit*, ait auctor chronici Augustani ad hunc annum pag. 354, , ac Coloniæ nuptias celebratas fuisse subdit Bertholdus; infaustum vero exitum has habuisse paulopost, anno scilicet 1093. videbimus; nam amor Henrici in extremum adversus Adelaidem odium conversus: custodiæ eamdem seu carceri mancipavit, quam etiam si vera narrant Dodechinus, & Helmoldus sluprandam plurimis obtulit; At de his infra.

Bonizonis Episc. martyrium.

7. Hoc etiam anno, ut testatur Bertholdus. *Bonizo piæ memoriæ Sutrienſis Episcopus, sed inde pro fidelitate S. Petri jamdudum expulsus, tandem post multas captiones, tribulationes, exilia, a Placentinis catholicis pro Episcopo recipitur, sed ab schismaticis ejusdem loci effossis oculis, & truncatus pene omnibus membris martyrio coronatur*: Hæc de Bonizonis martyrio, cujus vix ex hoc Bertholdi loco memoria usque ad hæc tempora, transierat. At cum Lambecius occasione Codicis Mss. operum Bonizonis ex Ambrosiana bibliotheca in Cæsaream Vindebonienſem translati ampliorem de eodem mentionem fecisset, & vitæ, scriptorumque ejus epitomen vulgavisset, ex eo nonnulla Odinius, & Caveus exscripserunt. At hæc ad exantlandam de tanto viro eruditorum curiositatem, & cupiditatem satis non erant; Atque ex tot Bonizonis operibus, quorum Lambecius mentionem fecerat, aliqua saltem in lucem edi optabatur; quorum votis ex parte tantum Lambecius satisfecerat, cum opusculi Bonizonis epitomen vulgavit, cujus titulus erat Paradisus Augustinianus, octo libris constans, Joanni Abbati, Gualberto Valumbrosanæ familiæ fundatori inscriptum, ut in epistola operi præfixa testatur, opus quidem, ut ait Lambeccius, luce dignissimus, at hactenus in bibliotheca Cæsarea retentum; Hunc librum sequitur alter, qui *decretale* dictus est, teste Lambecio, seu syntagma decre-

Lambec. lib. 2. biblioth. Cæs. p. 790.

Odin. de script. eccles. sast.

Caveus to. 2. p. 149.

De operibus Bonizonis.

decretorum ex ſacra ſcriptura, probatiſque Conciliis, Rom. Pontificum, ſanctorumque Patrum auctoritatibus refertum, & in ſeptem libros diſtinctum, & Codex alter Brixianus, Vindebonenſi præſtantior decem continet libros; in cujus fronte proemii loco præfixa eſt Epitome hiſtoriæ Pontificum Rom. a S. Petro Apoſtolorum Principe uſque ad Papam Urbanum ſecundum, qui die 12. Martii anni MLXXXVIII. electus eſt, Codex Brixianus poſt primam paginam hunc præfert titulum *Bonizonis Epiſcopi de ſanctorum Patrum authenticis canonibus ad Gregorium Presbyterum*, ac ſingulorum librorum initia recenſentur, primo excepto, eo quod pagina prima mutila eſt, exemplo hæc ſint. Incipit liber ſecundus. *Quod ante ſit docendus omnis, quam baptizandus, & quid ſit baptiſmus, & quot modis fiat, & a quo ſumpſit exordium*: ſicque ceterorum librorum initia ſequuntur; Brixianum Codicem poſt Brixienſium Epiſcoporum ſeriem in Brixia ſacra ſe editurum promiſerat Hieronymus Gradonicus, cur autem id opere non perfecerit, nobis incompertum eſt, ſicque hic Bonizonis liber in bibliotheca Vindebonienſi, & Brixienſi hactenus, quod ſciam latet; Alterum contra Ugonem ſchiſmaticum libellum ſcripſerat Bonizo, cujus hactenus nullibi Codex inventus ut, ejus tamen in aliis opuſculis idem Bonizo meminit; ſcilicet in epitoma peroratione ad hiſtoriam Pontificiam hæc adnotat. *Urbani vero Pontificis acta, & de ejus victoria, ſi quis ſcire voluerit, legat librum, quem ſcripſi in Hugonem ſchiſmaticum, & ibi inveniet ad plenum dilucidata*, & iterum in opuſculo de Sacramentis Eccleſiæ a Muratorio in lucem edito. *Qualiter vero* ait; *primus ſit* (S. Clemens Papa) *per electionem Petri, & tertius in gradu, ſi quis noſſe voluerit*, legat librum quem ſcripſi in *Hugonem ſchiſmaticum &c.*, in cujus fine hæc leguntur, *Explicit libellus de Sacramentis a Bonizone Sutrino Epiſcopo editus ad Gualterium Leonienſis cœnobii Monachum, & Priorem miſſus*: De Ugone autem ſchiſmatico, Presbytero S. Clementis Cardinale contra quem Bonizo ſcripſerat, non ſemel ſupra mentionem fuimus; quem Henrico Imp. adverſus Gregorium ſeptimum impenſe faviſſe adnotavimus; Bonizonis opuſculum de ſacramentis in bibliotheca Ambroſiana viderat Mabillonius, Muſei Ital. tom. 1. curiſimque excurrerat, quod poſtea Muratorius vulgavit, ut ſupra diximus; liber quidem quinque vel ſex pagellis conſtans,

JESU CHR. AN. 1089.

Murat. to. 3. antiq. medii ævi pag. 596. ſeu diſſer. 37.

JESU CHR. AN. 1089.

ſtans, qui tamen dum ſacros ſacramentorum ritus exponit multa ſcitu digna continet; dum Miſſæ ordinem exponit, vel qui in baptismate, aliiſque ſacramentis conferendis ritus ſervarentur, explicat, inter cetera, extra neceſſitatis calum, in Paſchatis tantum, & Pentecoſtes Sabbato baptiſmum conferendum eſſe docet, atque alia his ſimilia ibidem occurrunt.

De libro Bonizonis ad Amicum.

8. Inter Bonizonis opera, inſignis liber adhuc extat ad Amicum inſcriptus, eo etiam eruditis acceptior, quod is tantum hactenus in lucem prodierit integer; atque ad hujus ſeculi undecimi illuſtrandam hiſtoriam perutilis; Hunc inter rerum Boicarum ſcriptores edidit Andreas Felix Oefelius Monacenſis, quem Minerva favente ab imminenti naufragio, utpote in privata domo, & nullius pretii habito ſe eripuiſſe gloriatur; libri ſummam idem Bonizo in fine epitomas *Hiſtoriæ Pontificiæ* his verbis exhibet. *Ceterum ſi quis de Theophylato Tuſculano, qualiter Joanni Sacerdoti vendidit Papatum, & quomodo uno eodemque tempore Theophylactus, & Gregorius, & Sylveſter Romanum non regebant, ſed vaſtabant Pontificatum, & qualiter Henricus Rex Conradi filius Romanam Eccleſiam a talibus peſtibus liberavit; gnarus eſſe voluerit, legat librum, quem dictavi, qui inſcribitur ad Amicum, & ibi inveniet hæc ordinabiliter eſſe digeſta. Inveniet autem, & ibi Papa Clemens electus qualiter ſit, qualiterve Henricus Rex Imperator ab eodem ordinatus ſit, & de Damaſo ejus ſucceſſore quot in Papatu duxerit dies, & de præclaro Leone, quid in Papatu egerit, qualiterve vitam finierit: & de Victore ejus ſucceſſore quid egerit, aut quid ejus temporibus novum evenerit; & de Stephano Godefrigi Ducis germano, & qualiter ejus temporibus Patarea apud Mediolanum exorta eſt; & de Nicolao Papa, & de lite, quam habuit cum Benedicto invaſore, & quid egerit in Papatu, & de Alexandro Papa, & de lite quam habuit cum Cadolo Parmenſe, & de ejus victoria, & quid egerit in Papatu & de ejus fine. & de ſeptimo Gregorio & de ejus electione, & de vita ejus, & moribus, & qualiter ad altare Domini in nativitate a Cencio viro crudeli captus ſit, & de eo die Dei gratia liberatus, & de Verra, quam ſuſtinuit ab Henrico Imperatore, & de controverſia, quam habuit cum Viberto, & de ærumnis, quas ſuſtinuit, de obſidione civitatis, & ſua, & qualiter a Rotberto Romanorum Duce ſit liberatus, & qualiter beato fine quieverit, aptiſſime declarata &c.* Hactenus

Rerum Boicarum ſcript. to. 2. p. 793.

de

de his Bonizo paucis verbis ea indicans, quæ paulo fusiori stylo in libro ad Amicum descripserat, ex quo non semel supra ad historiæ illustrationem nonnulla adnotavimus. JESU CHR. AN. 1089.

9. De ipso autem Bonizone, hæc etiam addimus, de quo jejune satis ecclesiastici scriptores mentionem fecerant; quibus ejusdem opera vix cognita fuerunt; Is igitur in Italia natus, ut nomen indicat, Bonizo, vel Bonitus, Vonizus dictus est, clericali militiæ a primæva ætate adscriptus, cælibem vitam secutus, divinis, humanisque litteris operam eo successu dedit, ut inter litteratos hujus seculi viros accenseri meruerit; Hinc privatus adhuc, antequam Sutriensem Sedem obtineret, Joannis Gualberti Vallis Umbrosæ Abbatis hortatu Epitomen Augustinianam digessit; de quo in epistola dedicatoria hæc habet. *Dominica voce reus arguitur, qui talentum sibi traditum maluit humo tegere, quam nummulariis ad mensam commodare &c. . . . Suscipe igitur Pater venerande excerptum sententiarum mirifici Doctoris Augustini, tibi sudatum, & per annum vix ad calcem perductum, quod octo voluminibus divisum a me Paradisi nomine est decoratum.* Ibique singulorum librorum summam exhibet; Opus sane publica luce dignum, quem ante annum 1073. Joannis Gualberti ultimum, Bonizonem edidisse constat. Bonizonis vitæ summa.

10. Interea Bonizo utpote pietate, & doctrina præclarus, a Gregorio Septimo Sutriensis Episcopus ordinatur, qui cum in simoniaca labe, & incontinentia clericorum extirpanda æmulator esset, atque Henrici Imperatoris conatibus, schismatique excitato resisteret, graves ea de causa persecutiones sustinuit a Bertholdo paucis his verbis indicatas. *Pro fidelitate S. Petri expulsus, post multas captiones, tribulationes, exilia &c.*, quæ sane anno 1082., cum Henricus infesta in urbem arma intulit, Bonizonem sustinuisse dubitari vix potest; pristinam tamen libertatem recuperasse inde patet, quod quadriennio post, seu anno 1086., funeri S. Anselmi Lucensis Episcopi adfuit, auctorque fuit, ut qui in Monasterio se sepeliri jusserat; jamque consentientibus Episcopis, & Comitissa Mathilda ad Monasterium deferretur; ut cum Episcopis, Episcopus sepeliretur, ac in Episcopium poneretur, uti supra eodem anno adnotavimus; Tandem cum hoc anno Placentiam transiisset; ibique a catholicis pro Episcopo receptus esset, martyr occubuit, ab schismaticis oculis orbatas, membratimque concisus, ut Bonizo Sutriensis Episcopi ordinatur, martyr occubit.

JESU CHR. AN. 1089.

ut narrat Bertholdus; cujus corpus Cremonam delatum in Ecclesia S. Laurentii sepultum est; ubi hæc carmina incisa leguntur.

Nobile depositum tibi clara Placentia gessit,
Antistes Bonizo, Christi pro nomine martyr
Septima bis Julii hunc lux colligit in urna.

De Bonizonis gestis scriptisque hactenus; cujus aliquando cetera opuscula in Vindebonensi bibliotheca, alibique extantia, in lucem proditura speramus, atque hæc sicuti certiora, ita etiam præcipua sunt, quæ de Bonizonis vita, & scriptis adnotanda erant, multa alia minoris momenti, vel dubia dabit citatus Oefelius loco supracitato, seu tomo secundo rerum Boicarum.

Petri Ignei Presbyt. Cardin. obitus.

11. Eodem loco quo martyrium Bonizonis hoc anno narrat Bertholdus Constantiensis, obitum Petri Ignei his verbis subiicit. *Petrus piæ memoriæ Albanensis Episcopus in causa S. Petri ferventissimus migravit ad Dominum. Hic est ille Petrus, qui Petrum Papiensem Florentini Episcopatus invasorem per judicium ignis simoniacum esse probavit: Unde & deinceps illum S. Ecclesia Igneum cognominavit*; & iterum de eodem *Erat enim tantæ sanctitatis, constantiæ, & fidei, ut vix aliquis sui temporis ei potuerit comparari. Hic ergo de hac vita discedens, magnum mœrorem catholicis reliquit*: Atque hæc pro sepulchrali elogio, adnotata sint.

Lantfranchi Cantuariensis Episcop. obitus, elogium, & scripta.

12. Hoc eodem anno 1089. Cantuariensis, immo & Anglicana Ecclesia magno lumine orbata fuit, Lantfranco scilicet Archiepiscopo, cujus opera litterarum scientia in Galiis, & in Anglia religio, & disciplina ecclesiastica reflorverat, Cantuariensem Ecclesiam cum annos fere novemdecim rexisset, eam per annos quatuor morte sua vacantem reliquit. Annus ejus obitus certus est, dies non ita exploratus, sicuti nec mensis. Alii quippe IX. Kal. Aprilis, alii pridie nonas Julii, alii vero V. Kal. Julii, alii denique V. nonas Julii eum obiisse scribunt. At præferenda videtur sententia Gervasii prioris Dorobernensis, qui ejus obitum statuit *V. Kal. Junii, feria secunda post octavas Pentecostes, hora diei prima*: cui sententiæ subscribunt Milo ejus vitæ scriptor, Joannes Brompton, & tabulæ Ecclesiæ Cantuariensis. Hunc *sanctissimum Patrem* Lanfrancum

cum vocat Osbertus in Epistola ad Anselmum, *virum antiquis scientia, & religione comparandum*, Villelmus autem Malmesburiensis sapientiæ, & sanctitatis, eum fulsisse scribunt. Sanctorum tamen cathalogo nondum inscriptus est in fastis Benedictinis, ut adnotat Mabillonius; Lantfranci vita a Milone, aliisque edita extat apud Bollandos; opera vero ab Dacherio primum edita Parisiis, in Sanctorum Patrum bibliotheca tom. 18. inserta sunt; deinde uno volumine Venetiis an. 1745., ex his egregium extat commentarium adversus Berengarium, ejusque hæresim; in epistolas etiam Beati Pauli commentarium edidit, quod genuinum præ manibus se habere, ait Mabillonius, ac subdit, *nam editum hactenus sub ejus nomine alterius auctoris est*. Epistolas etiam sexaginta earumdem collectio continet, variis de argumentis ad cujuslibet conditionis viros datas, ad Romanos scilicet suæ ætatis Pontifices, & Rom. Ecclesiæ Cardinales, ad Episcopos Angliæ, vel Normanniæ, ad Abbates, vel Moniales; nonnullæ etiam Villelmo Angliæ Regi, & Gothrico, & Therdeulaco Hiberniæ Regibus; hoc unum adnotare sat erit, monita ubique salutis summa cum libertate quibuslibet ab eo data fuisse, unde ad Hiberniæ Reges scribens, eosdem admonet, ne illicita inter consanguineos connubia, aliaque incesta commercia permitterent, ut apud Baronium videre est, qui easdem integras fere Annalibus suis inseruit. Inter Lantfranchi opera ejusdem monasticæ constitutiones recensentur, quibus non solum officiorum ordinem per singulas anni festivitates describit, sed etiam quæcumque monasticam disciplinam spectant, illustrat. In Cantuariensi Sede quadriennio post, seu anno 1092. Anselmum successorem habuit, ut ibidem dicturi sumus.

JESU CHR. AN. 1089.

Mabil. Annal. lib. 67. n. 74. Bolland. 28. Maii Anglia sacra tom. 1.

13. Hoc tempore cum lues pestifera, quæ ignis sacer dicta est, eo quod tamquam igne combusta membra nigrescerent, ac urerentur; cum inquam hoc tempore Galliarum provinciæ aliquot ea labe inficerentur, ut Sigebertus ad hunc annum narrat; in sanctum Antonium Abbatem, cujus reliquiæ jamdiu in provincia Viennensi translatæ fuerant, veneratio ac devotio populorum crevit; eo quod experimento didicissent, ejusdem sancti ope, & intercessione frequenter ab eo morbo liberari quoslibet, qui ejusdem patrocinium devota mente imploraſſent, nt inter alios

Morbos igneo tacti Antonii ope liberantur.

JESU CHR. AN. 1090.

refert Aimarius Falco in historia ordinis S. Antonii part. 2. cap. 31. *Quapropter reliquiis sancti corporis ejusdem apud Motam* oppidum in Delfinatu non longe ab urbe Viennensi cultus accrevit; atque factum hinc est, ut oppidum Motæ in S. Antonii nomen mutaret, ut idem auctor adnotat; crescente autem in dies ad eum locum Peregrinorum numero, hospitale ibidem extructum est, ac peculiaris ordo sub S. Antonii nomine institutum, qui ægrotorum curam haberent, de quibus infra suo loco sermo occurret.

JESU CHRISTI AN. 1090. URBANI II. PAPÆ AN. 3. HENRICI IMP. AN. 7. ALEXII COMNENI IMP. 10.

Concilium Tolosanum.

1. De Ecclesiastica disciplina restituenda sollicitus Urbanus Papa, singulis fere annis synodos, vel ipse præsens, vel absens per legatos suos celebravit. Hoc Christi anno 1090. teste Bertholdo; *Dominus Papa Urbanus generalem Synodum cum Episcopis diversarum provinciarum per Legatos suos in Tolosana civitate circa Pentecosten collegit, ibique multa in Ecclesiasticis causis quæ corrigenda erant, correxit. In qua Synodo Tolosanus Episcopus de illatis criminibus canonice expurgatur, & legatio pro restauranda Christianitate in Toletana civitate, Rege Hispanorum supplicante, destinatur.*

Tolosani Concilii decreto Romanum officium in Hispania receptum.

2. Gesta ibidem in Tolosana Synodo, & legatio Alphonsi precibus in Hispaniam missa ab Roderico Toletano lib. 6. cap. 25,, & 26. distincte commemorantur, scribit etenim Bernardum Toletanum Episcopum Roma Toletum revertentem, ut anno 1086. diximus; Tolosanæ Synodo adfuisse, ac ibidem cum Episcopis Gothicæ Galliæ, & Narbonensi Archiepiscopo concilium celebrasse; Quod vero in Hispaniis adhuc, *Littera Gotthica, & translatio psalterii, & officium Missæ institutum ab Isidoro, & Leandro Pontificibus, ac Toletanum, seu etiam Moxarabum dictum per totam Hispaniam servabatur, eaque de causa Rodericum Toletanum Romam missum fuisse ad Gregorium septimum, ut in Hispania illo omisso, Romanum, seu Gallicanum officium servaretur*, ac quanta sollicitudine id Gregorius curaverit, litteræ ea de causa ad Alphonsum datæ, quarum supra mentionem fecimus, satis demonstrant; Eo usque tamen Hispaniæ Ecclesiæ vetus officium æstimabant, ut vix nonnullæ cum aliquot Monasteriis Romanum tunc susceperunt: verum in Hispaniam reversus Toletanus Archiepisco-

pus,

pus, & Tolosanæ Synodi decreto, & Alphonsi Regis auctoritate munitus, qui hanc officiorum mutationem urgebat, tandem effecit, ut in tota penè Hispania Mozarabo officio dimisso, Romanum admitteretur; nonnullis tamen Monasteriis, & Ecclesiis exceptis, quæ a vetere ritu abduci nullo modo potuerunt; atque hoc loco opportuna se nobis occasio offert de Mozarabi ritus origine ætymologia, variaque fortuna pro varia temporum ætate, variisque Hispaniarum Ecclesiarum vicissitudinibus, nonnulla adnotare, at tantæ obscuritatis, dignitatisque argumentum paucis verbis complecti, obscurius fortasse evaderet, longiori autem disputatione eadem persequi, instituti nostri ratio non patitur, cum præcipue idem argumentum, fusiori stylo, diligentique investigatione jamdiu a doctissimis viris Joanne scilicet Pinio Societatis Jesu Theologo, Bollandistarumque socio pertractatum fuerit; cujus dissertationem Ioseph Blanchinius Congregationis nostræ Presbyter, mihique dum viveret carissimus tomo primo operum Venerabilis Servi Dei Cardinalis Tomasii inseruit; Huic adde præfationem Geslei S. Jesu Presbyteri editioni Missalis Mozarabi Romæ anno 1755, præfixam, qua argumentum idem multa eruditione illustrat; hinc plura his addere superfluum judicamus.

Jesu Chr. an. 1090.

3. Hoc anno illustres catholicorum propugnatores ex hac vita migrarunt; Herimannus scilicet Metensis Episcopus, Adalbero Virdeburgensis, uti prodit Bertholdus; his addit Eggebertum Marchionem, & Ducem Bertholdum, qui omnes hactenus Henricianæ factioni restiterant. Quare Henricus audacior factus in Italiam adversus Mathildem exercitum duxit, ut paulo post dicturi sumus; De Herimanno Metensi Episcopo narrat auctor translationis reliquiarum S. Clementis primi Mettensium Episcopi apud *Meurisium* lib. 2. de Episc. Metensibus, narrat, inquam, eum reliquias ejusdem martyris in Ecclesiam Monasterii S. Felicis transtulisse, unde idem Monasterium S. Clementis postea dictum est; *Sexto nonas Maii anno Incarn. Verbi* 1090 *Indict.* 13. *Regnante &c.* De eadem reliquiarum translatione agit etiam Hugo Flaviniacensis in chronico Virdunensi, deinde ad Herimanni infirmitatem transit, qua durante, adstantes hortabatur, ut Schismaticorum, & Simoniacorum communionem vitarent; inter cetera. *Commendo vos*, ajebat, *Deo, state in fide, & doctrina B. Petri, sicut a*

Hermanni Metensis Episcop. aliorumque obitus.

Labb. biblioth. tom. 1. pag. 238. & 240.

JESU CHR. AN. 1090.

successoribus ejus & vidistis & audistis, deinde spiritum Deo reddidit. His subdit anno 1092. Metenses elegisse quendam Clericum Trevirensem Popponem nomine, fratrem Henrici Comitis Palatini: *Et quia Trevirensis Episcopus Giberlistarum communione contaminatus erat. a Domno Lugdunensi Archiepiscopo consecrari eum expetierunt, impositio negotio hoc strenuitati Domni Abbatis Divionensis* (Tarentonis appellati) *de cujus industria confidebant. Qui nihil cunctatus domnum Lugdunensem* (nempe Hugonem) *cum duobus suis suffraganeis, Matisconense scilicet, & Lingonense, per bella & gladios, cum omnia mortem intentare viderentur, Mettim usque deduxit, a quo & consecratus est prima hebdomada quadragesimæ cum gloria &c.* Quamobrem Bertholdum erraſſe patet, ait Pagius, dum Poponem anno 1093. a Metenſibus Epiſcopum electum, & Ab. Gebeardo Conſtantienſi Epiſcopo Apoſtolicæ Sedis legato *ſexto Kal. Aprilis in media quadrageſima* ordinatum fuiſſe ſcribit, cum Hugo Virduni tunc Monachus, poſtea Flaniavicenſis Abbas teſtis coævus, & oculatus, anno 1092. ordinatum fuiſſe referat.

Bernardus aliique contra ſchismaticos ſcriptis & geſtis certant.

4. Etſi plures catholicorum partium ſectatores, & vindices hoc anno obiiſſent, ac major ubique Henricianæ factionis ſectariorum numerus eſſet, non deſuerunt tamen omni tempore, qui genua ad ſolum non flectentes pro veritate certarunt; In his certe fuit Bernardus Conſtantienſis. de quo concivis ejus Bertholdus hæc adnotat. *Hic multa nobis ſui ingenii monumenta reliquit, multaque pro Catholicis contra ſchiſmaticos ſui temporis elegantiſſime ſcripſit. Ac primum quidem ad quoſdam ſuos amicos de judicio Gregorii Papæ VII. ſuper ſchiſmaticos, & de ſacramentis extra Eccleſiam uſurpatis. Poſtea etiam ad venerabilem Hartungum Magdeburgenſem Epiſcopum de eadem cauſa magnum librum luculentiſſimum compoſuit ex perſona Sanctæ Eccleſiæ, in quo teſtimoniis ſanctorum Patrum omnes inſidioſas cavillationes eorumdem ſchiſmaticorum prudenter annullaſſe videtur. Sed in iiſdem ſcriptis nimio zelo ductus, alicubi modum exceſſiſſe notatur, videlicet ubi agit de ſacramentis ſchiſmaticorum: negat enim omnino ab eis, & ab eorum communicatoribus ſacramenta poſſe confici; ita ut ab illis ordinatos, ſi reſipiſcant, iterum ordinandos cenſeat. Sed hoc ſacratiſſimo Nicæno Concilio, æque ac Evangelia, venerando repugnat &c.* Oſtendit enim aliis pleriſque ſanctorum Patrum ſen-

sententiis, schismaticorum sacramenta ab Orthodoxis in Ecclesia fuisse recepta; de quibus nemo catholicorum hac nostra ætate dubitat.

JESU CHR. AN. 1090.

5. Adversus Henricum Imp. schismaticum fortiter quoque certarunt tum Altmannus Patavienſis Archiepiscopus, cum Thiemo Salisburgenſis, in locum Gebehardi ordinatus, ut supra diximus anno 1088., quem diu acriterque ab Henrico Imperatore vexatum fuisse sincera ejusdem acta testantur; Inter cetera. *Tredecim quibus Ecclesiæ suæ præfuit annis, bellis, obsidione, gladiis, captivitate, omnia extrema perpessa, instar beatissimi Athanasii Alexandrini Episcopi, nunquam pene liberum corpus, ne dum libera auctoritas fuit &c.* Quomodo autem post fratrum necem, & ipse jugulum præbens, fuit divinitus liberatus ex eisdem Actis sic accipe: *Jam multum temporis fluxerat, nec flecti a rectitudine statuti sui tenax animus quibat. Quare tædium Cæsarinis facientem, gladio finiendum decreverunt. Ad quod piaculum custos pro se alium militem conducere maluit, quasi per alterum ipse rem agens immunior foret: sed mentita est iniquitas sibi. Speculator ergo ingrediens, ubi fortis agonista Dei servabatur, rem prius, pro qua venit, aperit. Respondit intrepidus Episcopus si Domini voluntas fiat. Surgensque dicto Symbolo cum oratione, procubuit, & cervicem super lignum extendit*; at cum semel, iterumque ictum carnifex tentasset, vix levi inflicto vulnere cutem læsit; unde facti pœnitens, veniam petit, nulloque negotio obtinuit, ut ibidem videre est.

Thiemonem Salisburgen. Henricus persequitur. *Apud. Canisium tom. 6. antiq. lect.*

6. Gebeardo Salisburgenſi Archiepiscopo, & Apostolicæ Sedis in Germania legato e vivis anno 1088. erepto, Gebehardum Constantiensem Episcopum Apostolicæ Sedis legatum Urbanus Papa elegit, ut his verbis narrat Bertholdus Constantiensis: *Dominus Papa Urbanus his temporibus*, seu anno elapso, vel labente, *Romæ in Insula, quæ inter duos pontes sita est, morabatur, decretalemque epistolam venerabili Gebehardo Constantiensi Episcopo decimoquarto Kalendas Maii direxit, in qua ei Episcopalem potestatem super Clerum, & Populum Augiensis insulæ, præter monachos concessit, data etiam auctoritate, ut Abbatem inibi vice sua ordinaret, item, & apud Augustam, sive Curiam Episcopos constituere procuraret: Nempe in Alemannia, Bajoaria, Saxonia, & aliis vicinis regionibus prædicto Gebehardo Episcopo vicem suam commisit, ut ordinationes im-*

Urbanus Papa legationem Apost. Sedis Gebehardo Constant. delegat.

JESU CHR. AN. 1090.

improbandas improbaret, roborandas roboraret. Sententiam quoque anathematis a prædecessore suo Papa Gregorio promulgatam ea discretione confirmavit, ut in primo gradu Ravennatem hæresiarcam cum Henrico Rege anathematizaret; in secundo gradu eorum fautores, qui eisdem armis, pecunia, consilio, obedientia faverent, quippe ab eisdem, & ab eorum fautoribus Ecclesiasticos ordines, & honores acciperent. In tertio autem gradu eorum communicatores posuit, quos etsi non excommunicaret; adeo tamen eos externa communione commaculatos asseruit, ut in Catholicam societatem sine absolutione, & pœnitentia recipi non deberent, videlicet qui excommunicatis salutatione, osculo, oratione, convictu, ignoranter, communicassent. Ordinatos vero in excommunicatione, sed non simoniace ab Episcopis quondam Catholice ordinatis, ut in adepto ordine persisterent, sine promotione permisit, si tamen hoc eorum probitas, & Ecclesiæ utilitas flagitare videretur: aliquantum etiam ad superiores ordines promoveri concessit, sed hoc rarissime, & cum summa necessitate. Hactenus de his Bertholdus.

Otto Comes ecclesiastica sepultura privatur.

7. Quo autem zelo, quantaque fide legationem sibi in Germania commissam exercuerit Gebehardus Constantiensis Episcopus, vel hoc uno exemplo constat, *In Alemania Otto Comes impudentissimus adulter, & pro adulterio a Constantiensi Episcopo excommunicatus, Dei judicio turpissime decollatur a militibus Ludovici Comitis, cujus uxorem publicis nuptiis, eo vivente, sibi nefandissime copulavit. Qui apud monasterium in prædio ipsius constructum a suis sepultus, jussu Constantiensis Episcopi ejicitur, & ut scriptum est, ad sepulturam asini deputatur*: Hæc de his Bertholdus.

Urbani Papæ epist. ad Rogerium, & Bohamundum. *Labb. tom. 10. p. 425.*

8. Urbanus interea Pontifex ab Urso Abbate Monasterii Bantinensis interpellatus, quod Monasterii sui bona a Comitibus, & præcipue ab Goffredo Amici Comitis filio diriperentur, ac ablata retinerentur, litteris suis Rogerium, ejusque fratrem Bohamundum hortatus est, ut ejusdem Monasterii, quod sub protectione Beati Petri erat, cujusque Ecclesiam ipse Pontifex dedicaverat, tueretur, ac bona ejusdem ab Comitibus suis retenta restitui, vi etiam, ubi opus esset, adhibita cogeret, *alioquin ipse* (invasor scilicet) *& fautores ejus anathemati, inquit, subdentur*. Huic Urbani epistolæ subdit Baronius diploma Rogerii Ducis, & Bohamundi fratris; quo idem Monasterium omni exemptione, & exactione liberum declarant; amplis-

amplissimisque privilegiis exornant, ab ipso Rogerio, & Bohemundo, Comitibusque ex tota Campania, & Apulia subscriptum, ut videre est apud Baronium, qui integrum exhibet, & hoc anno 1090. datum fuisse legitur; Biennio autem post, seu anno 1092., cum Salerni esset idem Pontifex diploma alterum dedit Cavensi Monasterio, cujus Ecclesiam Sanctissimæ Trinitatis, nonis Septembris consecraverat, eoque amplissima privilegia eidem impertitur præsente Rogerio Duce, & quamplurimis Rom. Ecclesiæ Cardinalibus Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus, quorum ibidem nomina, ecclesiarumque tituli leguntur, adstante etiam innumera clericorum, & laicorum turba: Inter cetera non solum donationes ipsi olim factas confirmavit, sed etiam ut quilibet catholicus sepulturam sibi ibidem eligere posset, indulsit, & ut ad eamdem Ecclesiam convenientes in die consecrationis ejusdem a vigilia ad totum sequentem diem, eamdem indulgentiam, peccatorumque remissionem obtinerent, quam promerituri essent, *eundo, & redeundo ad Sanctum Jacobum Compostellanum*; ceteris vero, qui per annum ad eam Ecclesiam advenissent, quatuor annos, totidemque quadragenas indulgentiarum concessit, sicuti septem annos, totidemque quadragenas iis, qui supradictis festivitatibus cappellam supradicti Monasterii, a Brunone Signiensi Episcopo consecratam, vel Rusticanam Monasterii Ecclesiam, ab Rangerio Episcopo Regiensi dedicatam visitassent. Abbati præterea ejusdem Monasterii potestatem fecit quotquot vellet Ecclesias in Monasterii terris ædificandi, in eisque omnium ordinum functiones libere exercendi, Monachos etiam ab omni Salernitani Episcopi jurisdictioni exemptos fecit; itaut jubente Abbate, a quolibet Episcopo catholico, ordines suscipere possent; Diplomate autem suo, amplissimum ab Rogerio eidem Monasterio datum Urbanus Papa inseruit, quo idem Monasterium multis aliis auxerat privilegiis, ut ibidem videre est; Præter Urbanum Papam, subscripsere deinde qui aderant Cardinales, ac datum dicitur. *Salerni per manus Joannis S. R. E. Diaconi Cardinalis, octavodecimo Kal. Octob. Indict. 15. anno Incarn. Domin. 1092. Pontificatus Domini Urbani secundi anno quinto*: idest anno 1092.

Jesu Chr. an. 1090.

Bar. 1092. *n.* 15. *ad* 28. *Labb. to.* 10. *pag.* 430.

9. Henricus interea adversus Mathildem, quam sibi adversarii ubique expertus fuerat, ob nuptias potissimum ab ea

Henricus cum exercitu in Italiam redit.

JESU CHR. AN. 1090. ea cum Guelphone initas exacerbatus, Patrimoniis, quæ ultra montes ab Beatrice Matre eidem obvenerant, spoliavit, ac quotquot potuit damna intulit, & castella plurima abstulit, ut his versibus in ejus vita narrat Donizo Presbyter,

Rex Henricus factus gravis est inimicus
Ecclesiæ sanctæ, dominæque Mathildis amandæ
In quocumque loco poterat sibi tollere, toto
Nixu tollerat terras ubicumque tenebat.
Præsertim villas, & oppida, quæ Comitissa
Hæc ultra montes possederat a genitrice
Abstulit omnino, nisi Castrum Brigerinum eo quod præ ceteris fortius erat.

Murat. rer. Ital tom. 5. pag. 370.

In Italiam vero ineunte martio descendens Mantuam obsedit, ut idem prosequitur auctor.

Rex cupiens ipsam fixit tentoria circa
Quam mox Athletis de sumptibus, atque replevit
Nobilis & sortis Mathildis maxime doctrix
Ipse tenens montes, inimicos despicit omnes.

Ripaltam interea, & Gubernacula, seu Gubernolum Mantuani territorii oppida in suam potestatem Henricus redegit; Mantuam vero usque ad annum proximum cum obsessam tenuisset, quam armis vincere non potuit circa festum Paschæ, civium proditione, & auro Henricus obtinuit; cum ab ea lintris & navibus Mathildis milites excessissent, quorum proditionem, idem Donizo Mantuanis exprobat his versibus.

Consilium firmant Judæ peragit, & adinstar
Namque nocte Deum Judas mercator Jesum
Tradidit, hac ipsa fuit hæc urbis Mantua dicta
Tradite &c.

quorum perfidiam fusiori stilo persequitur; ac Canonem quemdam Alemannum Episcopum ibidem ab Henrico constitutum fuisse addit, cum Ubaldus, utpote Mathildi fidelis aufugisset.

Cap. 6.

Rex.

JESU CHR. AN. 1090.

Rex igitur capta gaudens ex urbe relata
Pontificem falsum Cononem gente Lemannum
Illic esse jubet; jam Præsul Ubaldus ab urbe.
Fugerat ad grandem Comitissam catholicamque
Mantua capta &c.
Rex terras ultra tenuitque Padum fere cunctas &c.

atque hoc anno sequenti his versibus testatur.

Anno millesimo nonageno quoque primo.
Mantua sordescit, de proditione nigrescit.

10. Cumque in Germania, & Italia Catholicorum numerus, & vires decrescerent; qui Henrico favebant audaciores facti in suas partes quotquot poterant trahere conabantur. In quam rem extat epistola Valtrami Magdeburgensis Archiepiscopi schismatici ad Ludovicum Comitem, qua eum ut in Henrici partes transiret, longa oratione, variisque argumentis ad decipiendum aptis, invitat; quam in appendice ad chronicon Mariani recitat Dodechinus monachus. *Omni regno utilis est concordia, desiderabilis est justitia: hæc enim virtus mater est probitatis, & conservatio totius honestatis. Qui autem intestina grassando dissensione, ad humani sanguinis alios irritat effusionem: profecto vir sanguinum est, atque illius particeps, qui nostrum sanguinem sitiens semper circuitus quærens quem devoret. Tu igitur gloriosissime Princeps, attendens, quomodo Deus pacis est, & non dissensionis: quod ex te est, pacem cum omnibus habeas. Deus est charitas, diabolus odium. Tota lex, & Prophetæ in dilectione pendent. Qui autem odit fratrem suum, homicida est, nec habet partem in Christi regno, & Dei &c.*, ac eos præcipue confutat, qui dicebant, Regiæ potestati quoslibet ultra subdi non debere; cum scriptum sit ab Apostolo. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi a Deo. Quæ autem sunt a Deo ordinatæ sunt; itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit &c.* Valtrami Magdeburg. Episc. schismatici epist. ad Lodovicum. *Ad Rom. 3.*

11. Has autem litteras *Lodovicus Comes suscipiens* sequitur Dodechinus, *vocato ad se venerabili Stephano (qui & Harrandus) Halverstadensi Episcopo eas tradidit legendas; roga-* Lodovici ad Valtramum responsio.

JESU CHR. AN. 1090.

vitque eum, quatenus his diligenti examinatione perſpectis, juxta rationem veritatis congrua obviaret reſponſione, & linguam blaſphemantis, os quoque iniqua proferentis contra juſtitiam, auctoritate Sancti Spiritus, & teſtimonio Scripturarum obſtrueret, ne amplius contra Eccleſiam Dei latratus proferret injanos, & furoret. Venerabilis autem Epiſcopus ſecundum petitionem Comitis ſuſceptis litteris, ac diligenti examinatione perſpectis, vocato Notario epiſtolam dictavit, in qua primum Valtramum Epiſcopum hæreticum, ſimoniacum redarguit, Regem ut etiam Henricum hæreticum, & excommunicatum, ideoque nec Regem dicendum comprobavit, Epiſcopatus pro pecunia, pro gladio, pro adulterio, pro ſodomitica immunditia vendentem declaravit; Hiſque epiſtolam Ludovici nomine ab Stephano ſcriptam ſubjecit, qua idem proſequitur argumentum; ex qua ad rem noſtram hæc exſcribere ſat erit; *Ad ſubjectionem* inquit, *domini Henrici, quem Imperatorem dicunt, nos invitas, & (in quantum intelligere datur) ut per omnia ſubditi ſimus, quaſi Apoſtolico argumento neceſſitatem imponis, dicens: Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non ut eſt enim poteſtas, niſi a Deo. Qui ergo poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Quam Apoſtoli ſententiam te male intelligere, pejus interpretari dicimus. Si enim omnis poteſtas a Deo eſt, ut tu intelligis, quid eſt, quod de quibuſdam dicit Dominus per Prophetam: Ipſi regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognovi eos? Si omnis poteſtas a Deo eſt (ut intelligis) quid eſt quod ait Dominus: Si oculus ſcandalizaverit te; erue eum, & projice abs te? Quid enim eſt poteſtas, niſi oculus? certe Auguſtinus in expoſitione Apoſtolicæ ſententiæ, omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: Quod ſi poteſtas* - inquit, *aliquid jubeat quod contra Deum ſit: hic contemne poteſtatem, timendo poteſtatem, alioquin: Nunquid iniquitas apud Dominum? Numquid Chriſtus peccati miniſter eſt? Abſit. Quid ergo dicemus? Numquid ab Apoſtolo diverſa ſententia Prophetiæ evangatur? Auguſtinus: Minime diverſas tibiat inflat unus ſpiritus &c.*, ac quæ, & quanta mala hactenus Henricus geſſiſſet, pluribus exponit, ut apud Baronium videre eſt; Sed de his hactenus.

Bruno Carthuſian. fundator Romam vocatur.

2. Hoc etiam anno, aut proximo 1091. Bruno Cartuſiæ majoris primus inſtitutor ab Urbano ſecundo, qui ipſius apud Remos diſcipulus fuerat, Romam evocatur, ut ejus conſiliis

in

in Eccleſiæ adminiſtratione uteretur. Ægre hanc diſceſſionem tulit novellus grex, tanti paſtoris ſolatio deſtitutus; cunctiſque eo abſente intolerabilis viſa eſt Cartuſiæ habitatio, & vitæ aſperitas. Sed tandem parendum fuit ſummi Pontificis auctoritati, qui locum Seguino Abbati Caſæ-Dei commendavit. Receſſit itaque Bruno a Cartuſia poſt annos ſex, quam eam incolere cœperat. Ejus diſceſſu conturbati fratres, quæ humana tentatio eſt in rebus arduis, deficiente magni meriti duce, locum deſerunt; quod cum Bruno reſciviſſet, litteris ad Seguinum Caſæ-Dei Abbatem ſcriptis Cartuſiam ei, ejuſque Monaſteria conceſſit. Poſtmodum vero Pontificis hortatu ac Brunonis monitis, fratribus revocatis, & a Landuino, quem diſceſſurus Priorem eis reliquerat, in propoſito confirmatis, idem Seguinus locum ſibi datum reſtituit, aſſentiente capitulo ſuo in præſentia Hugonis Epiſcopi Gratianopolitani, ceſſionis inſtrumentum tunc editum habet. *Ego frater Seguinus Abbas Caſæ Dei notum fieri volo præſentibus, & futuris, quod frater Bruno a Domno Papa Urbano Romam evocatus, videns loci deſtitutionem fratribus recedentibus propter abſentiam ejus, dedit locum Cartuſiæ nobis commiſſæ. Poſtmodum vero rogatu prædicti patris noſtri Papæ Urbani, & precibus præmemorati fratris Brunonis eiſdem fratribus, ut ibidem remanerent a priore eorum Brunone plurimum confortatis; fratre Landuino, quem magiſter Bruno diſcedens ceteris fratribus præpoſuit, ipſi & ceteris fratribus ſub eo degentibus, & eorum ſucceſſoribus, donum, quod nobis prædictus Bruno fecerat, eorum congregatione nobis commiſſa in capitulo noſtro ſub præſentia Gratianopoli Epiſcopi Hugonis, ego ipſe frater Siguinus, prædictæ Caſæ Abbas, cum aſſenſu fratrum noſtrorum, reliqui, & eis & ſucceſſoribus eorum locum prædictæ Cartuſiæ pro voluntate eorum omnino liberum feci, & juri eorum omnino tradidi. Sed charta, quam prædictus Bruno nobis fecit, ideo non eſt reddita, quoniam a fratribus noſtris in capitulo ſub interdicto requiſita, non potuit inveniri; & ſi unquam inventa fuerit, eorum ipſa charta ſit juris: factum eſt hoc anno ab Incarnat. Domini* 1090. *Kal. Octobris*. Bruno vero in urbem tranſiens, ibidem apud Urbanum Papam conſiliorum ejus, & tribulationum particeps perſeveravit, uſque ad annum 1093., quo in Calabriam ſeceſſit, ut ibidem dicturi ſumus.

JESU CHR. AN. 1090.

Annal. Benedict. lib. 67. n. 92.

JESU CHRISTI AN. 1091. URBANI II. PAPÆ AN. 4. HENRICI IMP. 8. ALEXII COMNENI IMP. 2.

JESU CHR. AN. 1091.

Urbanus Papa concilium Beneventi celebrat.

1. Hoc Chriſti anno 1091. *Urbanus Papa generalem Synodum Beneventi collegit, & ſententiam anathematis ſuper Guibertum hæreſiarcham, & omnes ejus complices ſynodali judicio confirmavit*; ait Bertoldus in chronico ad hunc annum; in eadem autem ſynodo celebrata. *Anno Domin. Incarn.* 1091. *Indict.* 14. *quinto Kal. Aprilis, præſentibus Epiſcopis, & Abbatibus, quorum numerus facile numerari non potuit*, ut in ejuſdem inſcriptione apud Labbeum legitur; Canones quatuor editi ſunt, quorum primo cautum eſt, ut nemo in Epiſcopum eligatur, qui in ſacris ordinibus religioſe antea non adminiſtraverit, ſacros vero ordines Presbyteratum, & Diaconatum fuiſſe admonat; rariſſime quippe & neceſſitate tantum id ſuadente Subdiaconos ad Epiſcopatum eligi, nec ſine Romani Pontificis, vel Metropolitani licentia, vix permittitur; ſecundus Capellanos ſupra ſtatutum numerum, & ſine Epiſcopi conſenſu miniſtrantes, ab officio ſuſpendit. Tertio canone admonentur Epiſcopi, ne ſine formatis, & commendatitiis epiſtolis alienum clericum, tranſalpinum præcipue, aut tranſmarinum, recipiant. Quartus & ultimus jubet, ut jejunium Quadrageſimale obſervetur, & ut tam clerici, quam laici, viri, & mulieres in die cinerum, cineres ſupra capita ſua ſuſcipiant, & ne a Septuageſima in octavam Pentecoſtes, vel ab Adventu ad octavam Epiphaniæ matrimonia celebrentur.

Labb. conc. to. 10. pag. 484.

Petrus Cavenſis Abbas mitræ usum obtinet.

2. In hoc etiam Concilio factum putamus, quod Urbanus Papa Petro Cavenſi Abbate Monaſterii Cluniacenſi, illuc cum aliis Abbatibus adſtanti tribuit uſum mitræ, qua ille uti nunquam voluit. Res geſta in actis vitæ ipſius deſcribitur: *In Synodo ei more ſuo capite nudo reſidenti ſanctæ memoriæ Papa Urbanus pontificalem infulam miſit*, nempe mitram, *quem utique vir Domini & pro ſummi Pontificis reverentia venerabiliter recepit, & officioſiſſime ſalutavit, & tamen ejuſdem ſacerdotalis mitræ uſum, etiam rogante Papa, contempſit. Quod non ob aliud feciſſe creditur, niſi ut quorumdam arrogantiam humilitatis exemplo condemnaret, qui dum ſe inaniter extollunt, indebitos ſibi S. Eccleſiæ honores non metuunt uſurpare.* Hæc de his ibi. Hoc

JESU CHR. AN. 1091.

3. *Hoc anno*, ait Sigebertus ad annum sequentem, *Dominus Ivo S. Quintini Bellvacensis propositus a Papa Urbano consecratus est Carnotensis Episcopus &c.* Is porro Lanfranco præceptore in Monasterio Beccensi sacris litteris edoctus, ecclesiasticæ non solum disciplinæ restaurandæ studiosissimus, sed etiam vitæ communis inter clericos, veluti restaurator, ac in jure canonico peritissimus fuit. Ivonis ordinationem ad annum sequentem 1092. alligavit Sigebertus; ad annum 1090. retrahendam esse Pagius contendit, 1091. alligandam esse Mabilonius putat, uterque tamen probat eam cum Baronio, & Sirmondo ad annum 1092. differri nequaquam posse; Quare his præmissis; adnotandum est, quod cum Gotfridus Carnotensis Episcopus, nepos Gotfridi Parisiensis Episcopi, cujus auctoritate Carnotensem Episcopatum adeptus fuerat, Simoniæ crimine, sub Gregorio septimo accusatus, inde dejici non potuerit, eo quod crimen legitimis probationibus accusatores non probassent; Instaurato judicio sub Urbano secundo, Romam ipse advenerat, ut accusationis injuriam coram Summo Pontifice diluceret, at ut adnotat Ivo successor ejus, cum se purgare non valeret, virgam pastoralem, & annulum Urbano reddidit, sedi suæ sponte renuncians. Quare cum Carnotensis sedes vacaret, Clerus, populusque Ivonem elegit, qui cum eo tempore cum Urbano Papa esset, ab eodem episcopalem ordinationem promeruit; ut his verbis narrat idem Urbanus Papa in epistola ad Clerum, & populum Carnotensem. *Nos quidem tum pro Beatæ Mariæ semper Virginis devotione, & reverentia, tum pro nostri officii debito, Ecclesiæ vestræ dilectionem, protectionem, & curam specialius impendentes, ejusque labores diuturnos, quos a Gaufredo quondam Episcopo passa est, propensiore animo perpendentes; rei veritate diutius atque diligentius pertractata, largiente Domino justitiæ satisfecimus. Bonam itaque animi vestri voluntatem prævenientes, ac subsequentes, venerabilem virum Ivonem presbyterum, quem, Gaufredo per nos deposito, catholice atque canonice secundum nostra monita elegistis, ne quod ulterius hac in re detrimentum vestra Ecclesia pateretur, sine moræ longioris obstaculo consecravimus &c.* Quare Ivonem ad eos remittens Pontifex, ut cum honore susciperent, eique obedientiam præstarent, Carnotenses admonet; *Et ne Gofredum, qui sine conditione omni nostris manibus episcopatum reddidit*, quisquam ad Episco-

Ivo Carnotensis Episc. ab Urbano ordinatur.

Histor. litter. Galliæ to. 9.

Mot. 4. 5. an. 1092.

Urbani epist. ad Clerum, & populum Carnot. *Labb. to. 10. concil. pag. 429.*

JESU CHR. AN. 1091.

Episcopatum recuperandum adjuvaret, sub excommunicationis pœna prohibet; Atque in ejusdem ordinatione orationem Urbanus Papa habuit, qua pastoralis officii munus grave, periculique plenum esse demonstrat, & ut catholicam fidem retineret, viriliterque ageret; *Nullus te favor*, ait, *extollat, nulla adversitas atterat, ideò non in propriis cor tuum elevetur, nec in adversis in aliquo deficiatur, sed omnia & in omnibus caute, & cum discretione agere te volumus, ut absque reprehensione ab omnibus vivere comproberis*; ut nempe dignam tandem pro meritis, & laboribus mercedem a Deo recipere valeret: Epistola autem Urbani Papæ ad Clerum, & populum Carnotensem data est *Capuæ octavo Kal. Decemb.*

Urbani epist. ad Richerium Senonen. Archiepisc. *Labb. ut sup.* 430.

4. Cum Ivonem a se consecratum in Gallias rèmisit Urbanus Papa, ad Rogerium, seu Richerium Senonensem Archiepiscopum litteras quoque dedit Capuæ scriptas septimo Kal. Decembris, quibus totam causam expositi, & ut Ivonem a se consecratum benigne complecteretur admonet. *Quantas pro Gaufredo quondam Episcopo Carnotensis Ecclesiæ molestias sustinuerim, quantæ ad Apostolicam Sedem querelæ perlatæ fuerint, dilectionis tuæ strenuitas recognoscit. Tandem rei veritate diligentius perquisita, largiente domino, justitiæ satisfecimus, & ab ipso in nostris manibus sine cujuslibet tenore conditionis episcopatu refutatus est. Tandem ad tuam fraternitatem scripta direximus, rei gestæ ordinem indicantes, & ut tuum Carnotensibus ad eligendum & consecrandum Antistitem auxilium contribueres flagitantes. Nostra itaque fulti licentia Carnotenses venerabilem virum presbyterum Ivonem canonico ordine in Episcopum elegerunt. Cum autem a te consecrationis gratiam pro more Ecclesiæ petivissent, tua fraternitas ei manum imponere recusavit. Ad nos igitur ipsis venientibus, ac consecrationis ejusdem gratiam deposcentibus, nos qui viri religionem jam dudum noveramus, & ejus eligendi licentiam dederamus, petitioni justæ deesse nequivimus. Consecratum igitur tum salva tuæ Ecclesiæ obedientia remittentes, dilectionis tuæ dulcedinem postulamus. ut omni litis fomite consopito, benignitate tum debita contempleris, & ad Ecclesiæ regimen auxilium tuum ei largiaris. Porro Gaufredum, si episcopatum invadere, aut Ecclesiam infestare tentaverit, ipsum ipsiusque fautores anathemati subjacere decrevimus.* Hactenus Urbani Papæ epistola ad Richerium Senonensem Archiepiscopum.

At

5. At Richerius Urbani præcepta spernens, Ivonem in Gallias reversum, etsi litteris Urbani commendatum, recipere nequaquam voluit, ac exasperatus, eo quod eam sedem se inscio obtinuisset, consecrationemque ab Pontifice promeruisset, contumeliosas ad eum litteras dedit, quibus respondens Ivo causam suam modeste quidem, sed fortiter tutatus est; *Litteras contumeliosas, & amaritudinis plenas sigillo vestro signatas, & nomine vestro titulatas a quibusdam Clericis nuper accepi, in quibus primo depressionem meam, & falsas criminum objectiones in me factas, postremo Sedis Apostolicæ majestatem non leviter læsam, vehementer indolui, Cum enim ut pacem mecum haberetis, & in filium susciperetis, Apostolica auctoritate fuisses commonitus: nec ut fratrem salutastis me in litteris illis, nec ut Coepiscopum, qui nullum vobis Coepiscopi adjutorium, vel filii abnegavit obsequium. Cur igitur alienigenam ad judicium vocatis, cur obedientiæ vinculis astringitis, quem nec Suffraganeum, nec collegam esse cognoscitis? Huic injuriæ meæ graviorem superadditis, quod demembratorem metropolitanæ sedis non apte satis appellatis. Nam cum ramus aridus, qui in radice arboris matris nunquam coaluit, nec in se virens fructum fecit, magni cultoris manu excisus esset: eadem manus, quæ ramum præmortuum excidit: me non ad demembrationem, sed ad supplendum locum demortui, eidem arbori, quantum in se erat, inseruit, quæ hoc & cum aliqua spe fructus, & sine vulnere matris arboris posse fieri existimavit. Cui ergo sine vestra contradictione licuit quod nocebat excidere; quæ ratio impedit, ut ei non liceat quod profuturum sperabat, inserere? Dicitis enim in litteris, me sedem invasisse Gaufredi Coepiscopi vestri. In quo manifeste contra Sedem Apostolicam caput erigitis, dum quod illa edificat, vos quantum in vobis est, destruitis, & quod illa destruxit, vos ædificare contenditis. Cujus judiciis, & constitutionibus obviare plane est hæreticæ pravitatis notam incurrere, cum scriptura dicat: hæreticum esse constat, qui Romanæ Ecclesiæ non concordat. Famæ vestræ non bene consulitis, qui caprum emissarium, cujus adulteria, fornicatione, perjuria, proditiones, per omnem ferme Latinam Ecclesiam publicatæ sunt, qui pro his, & aliis similibus a Sede Apostolica damnatus est, ita ut se purgare non valuit, virgam pastoralem reddere, & annulum, de qua Apostolicum accepistis decretum in hæc verba (Quicumque Gaufredum depositum deinceps*

Jesu Chr. an. 1091.

Ivonis epist. ad Richerium Senon. Archiep.

Epist. 8.

JESU CHR. AN. 1088.

ceps juverit ad infestandum, vel reinvadendum Carnotensem Episcopatum, excommunicatum esse censemus; adhuc Episcopum vocare, in Episcopum reformare contendit; cujus male facta defendere, quid est aliud, nisi similem damnationis sententiam in se provocare? his de ejusdem in Sedem Apostolicam illatis injuriis multa addit, eo quod consecrationem de se factam admittere recusaret; cum ad ipsam principaliter, ut ait, seu ad Romanam Sedem, & generaliter pertineat tam Metropolitanorum, quam ceterorum Episcoporum consecrationes confirmare, vel infirmare, constitutiones vestras, & judicia retractare, suas vero inconcussas detinere, & nullius inferioris judicio retractandas, vel corrigendas concedere &c., quod etiam exemplis confirmat.

Ivo Carnot. Episc apud Richerium, Metropolit. causam suam tuetur.

6. Causam vero suam, adversus Richerii querelas his verbis tuetur; *Inobedientem me quoque litteræ vestræ non recte accusant, quia cum obediturum me paternitati vestræ litteræ domini Papæ commendaverint: nulla a me paterna vestra admonitio refutata est, quæ nec audita. Quid aliunde me expetisse benedictionem calumniamini? veritate teste, verum dicam, quod nec Episcopatum, nec benedictionem Episcopalem a vobis petii, nec ab aliquo. Sed cum clericorum primo ingenio, postea violentia Regis fuissem præsentatus, & inde cum virga pastorali a Rege mihi intrusa ad Ecclesiam Carnotensem adductus, cumque clericis petentibus, & pulsantibus nullum diem consecrationis meæ velletis præfigere: interea consilium mihi fuit, electioni eorum non omnimodo assensum præbere, donec certus fierem, & de Gaufredi depositione, & summi Pontificis voluntate. Ad quem cum pervenissem, ad petitionem Ecclesiæ Carnotensis, Apostolica auctoritate sum constrictus, & ita in Episcopum consecratus. His & hujusmodi tam rationibus, quam auctoritatibus munitus, licet irritatus magis quam canonice vocatus, licet tam in me, quam capiti meo, & vestro, si tamen vestro, injuriam passus: tamen paratus pro tempore opportuno, & loco tuto intra Senonensem provinciam, vel etiam Stampis, si conductum tuum, Comitem videlicet Stephanum ex parte domini nostri Regis; & vestra propter circumstantes inimicos habuere, paratus inquam, ero vobis occurrere, & quantum salva reverentia Sedis Apostolicæ licuerit, objectionibus vestris respondere, ad cujus audientiam aliquando forsitan oportebit ista referre, Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat cor vestrum: & ani-*

animam vestram, ut obedientia vestra Prælatis vestris exhibita nos vobis obedientes exhibeat, & devote subjectos. Hucusque Ivo ad Archiepiscopum Senonensem, quibus non acquievit, sed Stampis adversus Ivonem collegit concilium, in quo idem Ivo ab ipso damnatus, Sedem Apostolicam appellavit, ut idem Ivo in epistola ad Urbanum anno proximo data testatur. Jesu Chr. An. 1091.

7. Stampis, quippe inter Parisios, & Aurelianos oppidum, synodum Richerius Senonensis Archiepiscopus anno sequenti congregavit, in qua Ivonis consecrationem in dubium revocare conatus est, & Gautfredum, contra Urbani secundi decretum, in Carnotensem sedem restituere ejusque sententiæ Parisiensis, Meldensis, & Tricassinus Episcopi consensum dederunt, ut in epistola ad Urbanum his verbis narrat Ivo. *Notum facio beatitudini vestræ, quod Senonensis Archiepiscopus, consilio Parisiensis Episcopi infatuatus, adhibito sibi eodem Parisiensi Episcopo, & duobus aliis non dissimilis vecordiæ, Meldensi, & Tricassino, hoc anno Stampis de ordinatione quam a vobis acceperam, me inordinate satis accusavit, dicens me in majestatem regiam offendisse; quia a Sede Apostolica consecrationem præsumpserum accepisse. Cum itaque conarentur Gaufredum depositum contra decretum vestrum in statum pristinum reformare, & in me depositionis sententiam proferre, Sedem Apostolicam appellavi, & decretis Apostolicis, quamvis ea non nisi in futurum timerent, sua præsumptione revocavi: appellationem tamen nec prosequi taxaverunt, nec plenam pacem mecum habere voluerunt. Unde necessarium mihi videtur, ut litteras communes tam Archiepiscopo, quam Suffraganeis mittatis, quatenus aut plenam mecum pacem habeant, aut præsentiam vestram, rationem inde reddituri, mecum adeant. Suggero etiam paternitati vestræ, ut partibus nostris ordinetis aliquem Legatum, virum boni testimonii, qui non sua quærat, sed quæ Iesu Christi. Necessarius enim esset Ecclesiæ Dei, in qua quilibet quodlibet audet, & quod audit facit, & quod facit, impunitum transit. Adversa an prospera erga vos sint, spirituali filio vestro mandate; quatenus (quantum Deus donaverit) orare studeamus, ut si prospera sint, firmentur; si vero adversa, pellantur. Si venerit ad vos quidam propter infamiam de Ecclesia nostra pulsus, rogo ne de eo quidquam statuatur, donec a nobis causa ejus plenius audiatur. Bene valeat sanctitas vestra.* Fuit iste clericus, qui falsam monetam fabricari

Ivo Carnot. Episc. ad Sedem Apost. appellat. *Ivonis epist.* 12.

JESU CHR. AN. 1091.

fecerat, de quo extant aliæ Ivonis litteræ, de quibus suo loco dicturi sumus; quid rescripserit Urbanus non constat; cum quamplurimæ ejusdem epistolæ non extent, aut adhuc in bibliothecis lateant.

Guibertus Antipapa iterum in urbem redit.

8. Dum pro Ecclesiastica disciplina restauranda Urbanus Papa in Campania degens, sollicitus esset; Romani, qui biennio ante Guibertum Antipapam urbe ejecerant, vi coacti, sive pecunia corrupti in urbem revocatum receperunt. *Romani quoque Guibertum hæresiarcham, quem jamdudum expulerant, iterum Romam intrare, & sanctam Ecclesiam suis non benedictionibus, sed maledictionibus infestare permiserunt*; ait Bertoldus in chronico ad hunc annum, ac subdit; quod *dum Dominus Papa in partibus Campaniæ morabatur, & ab omnibus catholicis*, uno excepto Theutonico Regno; *debita reverentia colebatur, Romani Turrem Crescentis*; seu castrum S. Angeli; *quæ eatenus Domino Papæ obediebat, dolo captam diruere tentaverunt; Dominus autem Papa facile Romam cum exercitu intrare, & rebellium contumaciam domare potuisset*, cui Rogerius Calabriæ, & Apuliæ Dux Urbano devotus exercitum eo jubente, in urbem mittere potuisset; *Si non magis cum mansuetudine causam suam agere elegisset*; ait is auctor.

Vita communis inter laicos utriusque sexus instituta.

9. In tanta rerum perturbatione, morumque corruptela, quæ hoc tempore, ex obstinato schismate, in Theutonicorum præsertim Regno vigebat, ex tenebris lucem quodammodo Deus splendescere fecit; nam ut auctor est Bertoldus; *His temporibus in Regno Theutonicorum communis vita multis locis florait, non solum in Clericis, & Monachis religiosissimis commorantibus, verum etiam in laicis, se suaque ad eamdem communem vitam devotissime offerentibus. Qui etsi habitu nec clerici, vel monachi viderentur: nequaquam tamen eis dispares meritis fuisse creduntur: se enim servos eorumdem pro Domino fecerunt, imitantes eum, qui non venit ministrari, sed ministrare, qui & suos sectatores ad majoritatem per servitii exhibitionem docuit pervenire, nempe ipsi abrenuntiantes seculo, se & sua ad congregationes tam clericorum, quam monachorum regulariter viventium devotissime contulerunt, ut sub eorum obedientia communiter vivere, & eis servire mererentur. Quapropter invidia diaboli contra eorumdem fratrum probatissimam conversationem quosdam æmulos incitavit, qui eorum vitam malevolo dente corroderent, quamvis ad formam primiti-*

va

væ Ecclesiæ communiter vivere viderent. Unde Dominus Papa Urbanus illorum conversationem ab ipsis Apostolis plantatam, sed ab eorum successoribus latissime propagatam, decreti sui Apostolica auctoritate firmatam, ipsumque decretum Prælatis eorumdem fratrum his verbis denuntiare curavit. Quosdam, inquit, *accepimus morem vestrorum cœnobiorum corrodentes, quod laicos sæculo renuntiantes, & se suaque ad communem vitam transferentes regendos obedientes suscipitis. Nos autem eandem conversationem, & consuetudinem, sicut oculis nostris inspeximus, laudabilem, & eo pro perpetua conversatione dignissimam, quod in primitivæ Ecclesiæ formam impressa est, judicantes, approbamus, sanctam & Catholicam nominamus, & per præsentes litteras Apostolica auctoritate confirmamus.* Hucusque ex diplomate Urbani Papæ Bertoldus; Hæc communis vitæ institutio inter laicos, initium duxisse videtur ab exemplo fratrum laicorum, quos Villelmus Hirsangiensis Abbas in suis Monasteriis admisit, ut certam regulam servarent, ait Mabillonius; Tanta autem tunc virorum, & mulierum multitudo hujusmodi vitam susceperunt; *Ut sub obedientia Clericorum, vel Monachorum, communiter viverent: eisque more ancillarum quotidiani servitii pensum devotissime persolverent,* ait idem Bertoldus, *ut in ipsis quoque villis filiæ rusticorum innumeræ conjugio & sæculo renuntiare, & sub alicujus Sacerdotis obedientia vivere studuerunt, sed etiam ipsæ conjugatæ nihilominus religiose vivere, & religiosis cum summa devotione non cessaverunt obedire. Hujusmodi autem studium in Alemania potissimum usquequaque decenter effloruit. In qua provincia etiam multæ villæ ex integro se religioni contradiderunt, seque invicem sanctitate morum prævenire incessabiliter studuerunt. Sic utique Deus sanctam suam Ecclesiam in periculosissimo tempore mirabiliter consolari dignatus est, ut de multorum conversione gauderet, quæ de excommunicatorum aversione jamdiu non cessavit dolere &c.* Id etiam admiratione dignum, quod hæc laicorum obligatio tanti æstimabatur, ut si quis ab illo proposito defecisset, tamquam apostata haberetur. Unde cum quidam eorum, Schisusensi Salvatoris monasterio seculo renuncians, sua omnia tradidisset, ac post annos aliquot facti pœnitens, sua iterum recuperare vellet, & nisi restituerentur, monasterium evertere minaretur, Urbanus Papa missis ad Gebehardum Constantiensem Episcopum ab aliis

JESU CHR. AN. 1091.

Mabil. Annal. Ord Bened. lib. 59, n. 18. to. 5.

JESU CHR. AN. 1091. Gaufridum dictum, litteris auctoritate Apostolica præcepit; ut eum apostatam declararet, & nisi resipisceret, anathematis vinculo colligaret, in quam rem duæ extant Urbani Papæ epistolæ in novissimam conciliorum editionem relatæ, ut ibidem videre est.

Conc. to. 20. pag. 707.

Tarraconensis civitas S. Petro, & Rom. Ecclesiæ donatur.

10. Hoc eodem tempore (mirum dictu, ait Baronius) cum Henricus Imp. adversus Romanam Ecclesiam schismate excitato debaccharetur; cum Barcinonensis Princeps, Tarraconam ab Saracenorum potestate ereptam occupassет, S. Petro, & Romanæ Ecclesiæ obtulit; Nam cum Berengarius Ausonensis Episcopus, in Tarraconensem postea Ecclesiam translatus Romam advenisset, ut eisdem Ecclesiæ privilegia, ac Metropoliticam jurisdictionem eidem reddi postularet, & ut pallium ab Urbano Papa acciperet; eidem Urbano Papæ donationem Tarraconensis civitatis S. Petro ab Berengario Comite anno elapso factam obtulit, his verbis conceptam, *Quoniam audivimus, necnon etiam sepissime vidimus res verti in contrarium mortuis testibus: principalibus, & sapientioribus placuit, ut res gestas litteris denotarent, & ita quomodo res se habuit, posteris suis traderent. Quapropter ego Berengarius Raymundi Comes Barchinonensis, & Marchio hanc chartam scribi jussi, ut semper staret memoria hujus rei, scilicet; Quod ego Berengarius Comes prædictus, amore Dei ductus, donavi Domino Deo, & Apostolorum principi beatissimo Petro, ejusque Vicario Romanæ Sedis Apostolico omnem meum honorem, qui mihi competit ex jure paterno, quemadmodum ego divisi eum Raymundo Berengario fratre meo, sicut ego eum habeo, vel habere debeo, specialiter dono ei in Dei nomine Tarraconensem urbem cum omnibus, quæ pertinent, aut pertinere debent ad ejusdem urbis nobilitatem, ea scilicet deliberatione, ut ego & mei posteri omnes, sicut supra scriptum est, teneamus hoc totum per manum, & vocem sancti Petri, ejusque Vicarii Romanæ Sedis Apostolici, per quinquennium persolventes ei censum vigintiquinque librarum purissimi argenti ad justum pensum &c.* & post aliqua. *Hanc oblationem offero Domino Deo, & Principibus Apostolorum Petro, & Paulo propter redemptionem peccatorum meorum, & patris mei Raymundi, & Parentum meorum per consilium, & voluntatem Berengarii Archiepiscopi Tarraconensis, & Episcopi Gerundensis æquivoci Berengarii &c.*, aliorumque Ducum, & Procerum, quorum ibidem nomina inscripta sunt;

Labb. to. 10. pag. 416.

Per

Per manum Domini Raynerii R. E. Cardinalis, qui nunc legatione fungitur in partibus noſtris; ideſt anno Incarnationis Dominicæ milleſimo, & nonageſimo.; Æra 1082.

JESU CHR. AN. 1091.

11. His de Tarraconenſis civitatis, & eccleſiæ reſtauratione, adnotatis hæc ſequuntur: *Tarraconenſis civitas per Berengarium Comitem, & ceteros Provinciæ ipſius Principes reſtaurari, & inhabitari cœpta eſt, anno autem ſequenti Berengarius Auſonenſis quondam Epiſcopus, per quem potiſſimum civitas eadem reſtaurabatur, Sedem Apoſtolicam adiit, domino Urbano Papæ ſe præſentavit, pallium accepit, privilegium promeruit; per quod in Tarraconenſem metropolim translatus Archiepiſcopus inſtitutus eſt.* Pontificium autem diploma ſic ſe habet. *Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto fratri Berengario Auſonenſi Epiſcopo in Tarraconenſem metropolim translato, ejusque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis in perpetuum. Inter primas Hiſpaniarum fuiſſe inſignem & gentilem, etiam Chriſtianæ paginæ indiciis demonſtrant. Juſtus autem Dominus in viis ſuis. & ſanctus in omnibus operibus ſuis, qui cum in pleriſque judiciis incomprenſibilis habeatur, in nullo unquam valet reprehenſibilis æſtimari. Ipſe transfert regna, & mutat tempora. Ipſi visum eſt in eadem urbe olim Tarraconenſis urbis gloriam exaltare: ipſi visum eſt in eadem urbe peccata populi ſui viſitare. Cum in ea Chriſtianorum populus habitaret, viſitavit in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Sed ecce jam tranſactis trecentis nonaginta annis, ex quo præfatam urbem Agarenorum gens prope ſolitarium fecerat: Principum ſuorum cordibus inſpirare dignatus eſt, ut ejusdem urbis reſtitutioni, ſecundum præceptum Apoſtolicæ Sedis, cui auctore Deo, licet indigni præſidemus, inſiſterent, Berengarius ſiquidem Barchinonenſis Comes auctoritati noſtræ perſuaſione commonitus, pro animæ ſuæ ſalute cum ſuæ poteſtatis magnatibus non ſolum reſtitutioni præfatæ urbis inſtitit, ſed & urbem ipſam, & omnem poteſtatis ſuæ terram B. Petro, ejusque Vicariis legali ſtipulatione tradidit, cenſumque quinque librarum argenti Lateranenſi palatio annis ſolvendum inſtituit. Nos itaque, præſtante Deo, reſtitutionis hujus optamus cooperatores exiſtere, prædicti Comitis inſtitutum, libertateſque & conſuetudines, quas novis Tarraconenſis urbis coloniis promulgaſſe cognoscitur, collaudamus, & rata manere auc-*

Urbani Papæ diploma pro Eccleſia Tarraconenſi. *Labb. to. 10. pag.* 247.

JESU CHR. AN. 1091.

auctoritate noſtra decernimus. Cum univerſa ſiquidem ipſius comitis terra, quam B. Petro obtulit, & Tarraconenſem urbem ac populum, Domino ibi aſpirante, collectum, ſub Apoſtolicæ Sedis tutela ſpecialiter confovendum ſuſcipimus, libertatemque illius per Comitis Berengarii ſcripto collatam eatenus confirmamus, ut nemini quidquam ultra perſolvant, niſi ſponte propria Romanæ ſe faciant Eccleſiæ debitores. Ut igitur hæc omnia Deo auctore inconcuſſa permaneant: nos anteceſſorum noſtrorum privilegia ſequentes, qui Auſonenſem Eccleſiam Tarraconenſi quondam inſtituere vicariam: tibi, o chariſſime fili Berengari, qui tuo potiſſimum ſtudio hæc eſt reſtitutio inſtituta, ex Romanæ Eccleſiæ liberalitatis gratia pallium, totius ſcilicet ſacerdotalis dignitatis plenitudinem, indulgemus &c., ac Tarraconenſem Eccleſiam Berengario, ejuſque ſucceſſoribus, jure proprio poſſidendam, ac adminiſtrandam tradidit cum Eccleſiis omnibus, quas antiquitus possidebat, cum eas ob Saracenorum tyrannide liberari contigerit; ac ut Auſonenſem etiam retinere poſſet, poteſtatem tribuit, ac pallii uſum in Eccleſia tantum adhibendum, ac in ſolemnioribus feſtis, ibidem recenſitis attribuit; ac ut Tarraconenſis Eccleſiæ bona a quolibet uſurpata sub anathematis comminatione reſtitui faciat, admonet, eidemque anathematis pœnæ quilibet ſubiicitur, ſive Archiepiſcopus, Epiſcopus, Imperator, Rex, Dux, Comes &c., qui hanc privilegii chartam violare tentaverint, ac data dicitur *Capuæ Kal. Julii per manus S. R. E. Joannis Diaconi Cardinalis, Indict. 14. Anno Domin. Incarn. 1091. Pontificatus D. Urbani ſecundi quarto.*

Tarraconenſis Archiepiſcopatus ab Urbano reſtitutus.

Balux. de Marc. Hiſp. lib. 4.

12. Nec ſine maturo examine, cauſaque cognita Archiepiſcopalem honorem Tarraconenſi Epiſcopo Urbanus Papa reſtituit, eamque ab Narbonenſis Metropolitani ſubjectione liberam dixit, ut pluribus proſequitur Baluzius; Anno quippe 1089. Berangarius Auxonenſis Epiſcopus, cujus Eccleſia jam inde a temporibus Joannis Papæ 13. Tarraconenſi unita erat, Romam ad Urbanum ſecundum ſe contulerat, ut ab eo impetraret reſtitutionem Metropolitanæ dignitatis Eccleſiæ Tarraconenſis, quæ hactenus Narbonenſi ſubjecta fuerat; cum per annos quadringentos circiter, Saracenorum poteſtati ſubjeciſſet, Urbanus vero Pontifex, ut cautius ageret, litteras ad Berengarium Barcinonenſem Comitem, & ad ceteros Barcinonenſis, & Tarraconenſis Provinciæ Comites, & Proceres, Clericos, & Lai-

Laicos scripsit, quibus eos de Berengarii Ausonensis Episcopi in urbem adventu, deque pristinæ dignitatis Tarraconensi Ecclesiæ restitutione certiores reddidit, & ut interea Narbonensi subesset, usque dum is certis probassetur argumentis, se in Tarraconensem provinciam jus Metropoliticum antiquitus habuisse. Jesu Chr. an. 1091.

13. Urbani Papæ epistola, quam se nequaquam ab Baluzii hæredibus habere potuisse lamentatur Labbeus, totam fere rei gestæ seriem his verbis exponit. *Dilectissimus, & Reverendissimus frater noster Berengarius Auxonensis Episcopus devotione, & labore maximo ad Apostolorum limina veniens, diu nobiscum moratus est; cujus nos prudentia & moribus, ut dignum delectati, privilegia quibus sua, videlicet Tarraconensis, Ecclesia per Romanam Ecclesiam donata est diligenter inspeximus, & quod ad nos est, eamdem Ecclesiam tum pro sanctorum reverentia, tum pro prædicti fratris nostri dilectione, prout justitia exegerit, honorare, & exaltare optamus. Quia igitur corporalia spiritualibus, temporalia æternalibus, cælestibus dignum est terrestria famulari, hortamur & obsecramus in Domino prudentiam vestram, ut summa ope nitamini Tarraconensis urbis statum eatenus reparare, quatenus ibi cathedra haberi possit episcopalis. Vobis ergo in pœnitentiam peccatorum remissionemque mandamus, ut potentia & divitiis vestris in restitutionem ejusdem Ecclesiæ devotissime, & intentissime desudetis. Eis autem qui vel in Hyerusalem, vel in partes alias pœnitentiæ spiritu, vel devotionis ituri sunt suademus totam illam viæ, & sumptus operam restitutioni Ecclesiæ Tarraconensis impendere: quatenus auxiliante Domino, & cathedra inibi tuto habeatur episcopalis, & civitas eadem Saracenorum opposita populis in murum & antemurale Christicolæ populi celebretur, quibus eamdem ex Dei misericordia indulgentiam pollicemur, quam promerentur si indictæ viæ prolixitatem explerent &c., salva tamen Narbonensis Ecclesiæ justitia; Si enim Romani authoritate privilegii Tarraconensem provinciam canonice vindicare Narbonensis antistes nequiverit, nos omni querela liberi, Tarraconensi Ecclesiæ jus suum restituere, & fratri nostro Berengario pallii dignitatem conferre non prætermittemus, prout mereri studia vestra videbimus. Iterum iterumque vos, carissimi filii, admonemus; ut fratrem nostrum Berengarium in restitutionem Tarraconensis Ecclesiæ adjuvetis; quatenus*

Urbani Papæ epist. ad Comites Barcinonenses. *Labb. to. 10. p. 457. Noviss. edit. to. 20. p. 701*

JESU CHR. AN. 1091.

tenus & in præsenti gloriam; & in futuro vitam percipiatis æternam. Porro si noster ad vos Legatus Domino annuente pervenerit, ei prosedis Apostolicæ reverentia debitam reverentiam exhibere curate. Datum Romæ Kalen. Julii per manus Joannis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis, & Cancellarii anno secundo Domini Urbani secundi Indict. duodecima: Hactenus Urbanus Papa.

Narbonensis Archiepisc. de erepta sibi Tarracon. Ecclesia conqueritur.

14. His Urbani litteris vulgatis; Dalmatius Narbonensis Archiepiscopus ad Apostolicam Sedem accessit cum Bertrando Barcinonensi Archiepiscopo, inter cetera apud Urbanum conquerens. *Ob præjudicium sibi factum de Tarraconensis Episcoporum subjectione, per Romanam Ecclesiam intimavit, cum eos Narbonensis Metropolis per annos quadringentos sine ulterius reclamatione possederit: Nostra igitur vice in illis partibus fungens, Tarraconensibus Episcopis nostra auctoritate præcipio, ut Narbonensi tamquam proprio Metropolitano obediant, donec præstante Domino Tarraconensis restauretur ecclesia*, & ut Toletano quoque Archiepiscopo, tamquam totius Hispaniæ Primati reverentiam exhiberet, præcipit; Hæc ad Raynerium Presbyterum Cardinalem, & S. R. E. in Hispaniis Legatum, ad quem de eadem causa Tarraconensis Episcopi cum Narbonensi, aliisque diffidiis ibidem excitatis scribens, iterum Tarraconensi Episcopo præcipit, ut Narbonensi obediat, donec Tarraconensis Ecclesia restauretur, & usquedum se certis argumentis probaret, Tarraconensem Ecclesiam, Narbonensi Metropoli olim subditam fuisse; *Quia vero Narbonensis Archiepiscopus privilegia de Primatu suam Ecclesiam habuisse memoravit, quæ a suo prædecessore translata, se tamen sperat parante Domino reperturum; tu causam diligenter inquire, inquisitam ad nos referre procura. Quod si privilegiorum auctoritas nequiverit reperiri, tu cum Principibus terræ de restauratione Tarraconensis ecclesiæ &c.* Cumque nonnisi apocriphum sub nomine Stephani quinti Papæ diploma Geraldus protulisset; ejusdem nullam rationem habuit Urbanus Papa, ac Berengarium ex Auxonensi Sede in Tarraconensem translatum, & utrasque in unum conjugens, ab Narbonensis Metropolitani subjectione liberavit; quem Toletano tantum tamquam Hispaniæ Primati subesse voluit; ut pluribus persequitur Baluzius in Marca Hispanica.

Conc. to. 20. pag. 628.

To. 20. pag. 693.

Hoc

15. Hoc eodem anno reliquiæ S. Sabini Canusini in campania Episcopi, ab Angelario olim Canusino, & Barensi Archiepiscopo, Barim translatæ, inventæ sunt; inventionis historiam diligenter Joannes Barensis tunc Archidiaconus descripsit, quam integram fere annalibus inseruit Baronius, & post eum Bollandus sanctorum actis. Rem autem altius repetens adnotat. *Temporibus Ursonis Archiepiscopi, qui prius fuerat apud Rapullam Episcopus, sed postea per potentiam, & voluntatem Ducis Roberti a Papa Gregorio, qui & Hildebrandus dictus ad Ecclesiam Barensem traductus fuerat, Archiepiscopus ordinatus est, qui me a primo gradu Ecclesiastico usque ad leviticum ordinavit, & Archidiaconatus honorem mihi concessit indigno, fermocinatio inter Clericos veteres Ecclesiæ nostræ illo præsenti de altari veteri, quod erat in Confessione multotiens orta est. Requirebat enim ipse Archiepiscopus a Sacerdotibus veteranis de eodem Altari, & illius consecratione, vel reliquiis, vel a quo fuerat olim consecratum: de multis etiam Ecclesiæ nostræ rebus quemadmodum hominibus consuetudo est, scire volens interrogabat. Illi autem retulerunt ei respondentes, eandem fuisse Archiepiscopatus Ecclesiam, quæ modo est Confessio, postea vero desuper incepta est Ecclesia ad honorem Beatæ Dei Genitricis, & semper Virginis Mariæ a Bisantio Archiep. & a Nicolao Archiep. ejus successore consumata.* De reliquiis autem in altari præcipuo, seu *confessionis* quænam ibidem essent; aut a quo consecratum fuisset, in obscuro erant, ac fama ferebatur, reliquias SS. Confessorum Memoris, & Rufini ejusdem olim Ecclesiæ Pontificum positas ibidem jacere, quas ideo Urso Archiepiscopus invenire cupiebat; at aliis distentus curis; *Inquisitio ista protracta est, suoque in tempore omnino dimissa*, cum præcipue utpote Roberti Apuliæ, & Calabriæ Ducis consiliarius intimus, ac in multis probatus, frequentes legationes, tum ad Romanam Sedem, cum in Hispaniam ejus nomine obire debuisset, quarum nobilior ea fuit, *cum Robertus filiam suam Comiti Barcinonensi nuptui dedit*, Raymundo scilicet Berengarii Comitis filio, *quem* Urso *suæ de Regno provinciæ pro nuptiis confirmandis, usque in terrum istam*, ideſt Salernum, ubi nuptiæ celebratæ sunt, *cum multo comitatu, & apparatu sumptuoso conduxerat*; de cujus Comitis in Apuliam adventu, hæc narrat Gulielmus Apulienſis lib. 4. de gestis Normannorum. *Venerat insignis Comes hanc Raymundus*

Jesu Chr. an. 1091. Inventio reliquiarum S. Sabini Episcopi. *Baron. ann. 1091. n. 16. ad 23. Bolland. die 9. Febr.*


image
not
available

tissimus, hoc, quod inopinate inventum est, mox cœpit ut decebat, reverenter extrahere, atque capsa lignea deinde honorifice collocare &c. Sancti autem Sabini reliquias Urso Archipræsul in sepulchro marmoreo ibidem extructo, cum multa solemnitate, adstantibus suffraganeis Episcopis, qui sacra pignora detulerunt cum toto clero, inmensoque populo, in eodem loco ubi inventæ fuerant, deposuit, ac Altare desuper construi; translationisque diem singulis annis die decima Decembris celebrari jussit; ut idem Joannes Archidiaconus his præsens, pluribus narrat, ac inscriptionem ad tantæ rei memoriam scriptam refert, ut apud Baronium, vel Bollandum videre est. JESU CHR. AN. 1091.

17. Hoc etiam anno, ut testatur Bertholdus in appendice ad Hermannum, viri illustres, fœminæque, qui catholicorum partes secuti semper, tutatique fuerant, ex hac vita migrarunt; Altmannus scilicet Patavienſis Episcopus, Villelmus Hirsaugienſis Abbas; Comes Federicus, Volphemus Brunivarenſis Abbas apud Coloniam Agrippinam, doctrina, & sanctitate clarus, cujus extat epistola contra Berengarium, ejusque vitam Conradus monachus Velphonis discipulus conscripsit: inter fœminas vero illustres Juditha recensetur uxor quondam Hermanni Marchionis, & Adelaides Taurinatium, & Susiarum, seu Subalpinæ, & Pedemontanæ regionis Comitissa. De Altmanno Pectavienſi, seu Passavienſi Episcopo, cujus memoria die octava Augusti recolitur, & Villelmo Hirsaugienſi Abbate adnotat Paulus Bernvedienſis in vita Gregorii septimi, eosdem adversus Henrici schismaticam factionem totis viribus, ad ultimum usque spiritum restitisse; ut dicta superius demonstrant; Hos porro regularis etiam vitæ restauratores fuisse, idem Bernevdienſis his verbis adnotat. *Quanta vero gratia Dei subsecuta sit obedientes Gregorii institutioni, ostendit religio quadrata per Apostolicam Gregorii nostri benedictionem venerabiliter in his regionibus incboata, feliciter multiplicata, videlicet attonsorum Christi servorum, eisque fideliter servientium fratrum barbatorum, virginum singulari devotione jugiter inclusarum; itemque virginum regulari moderatione introitus, & exitus suos custodientium. Sanæ quadraturæ hujus, sive quadrigæ quatuor præcipui rectores fuere, videlicet Canonicæ vitæ renovator eximius Altmannus Episcopus de Patuvia, & beatæ recordationis Oldaricus Prior de Cluniaco, Venerandi Patres Vil-*

Illustrium virorum, & fœminarum obitus.

Apud Sur. & Bollaud. 22. April.

Murat. to. 3. rer. Ital. pag. 331. & 345 Pag 350. cap. 118.

JESU CHR. AN. 1091.

Villeltens de Hirſaugia, & Sigefridus de Sancti Salvatoris cella: apud Scaphuſam in Diœceſi Conſtantienſi, ubi Villelmus, & Sigefridus Abbates fuerunt, ſeu potius Monaſterii fundatores, & reſtauratores; in quam rem extat Gregorii ſeptimi epiſtola 21. libri ſeptimi ad Villelmum data; Quadrata autem regula, cujus propagatores iidem fuere, eadem eſt, ac Benedictina, quadrata dicta, quia quatuor perſonarum generibus apta; Monachorum ſcilicet, qui clericali ordini inſcribebantur, & ſervientium, ſeu laicorum, & barbatorum, ob retentam barbam; duos quoque fœminarum ordines erant; ideſt earum, quæ *virginum inclusarum*, ut ait Bernredienſis, & earum, qui regulari moderatione *introitus, & exitus suos custodiebant*, ſeu earum, quæ extra clauſtra pro viribus regulam ſervabant, qui poſtea ex Dominicana, & Franciſcana regula Tertiarii, ſeu Tertiariæ communiter dicti ſunt.

Friderici Comitis obitus, & elogium.

18. De Friderico Comite, ejuſque obitu, hæc adnotat Bertholdus anno ſequenti, quem labenti obiiſſe ait; *Hic Fridericus Comes ſub habitu ſeculari more S. Sebaſtiani ſtrenuiſſime miles Chriſti fuit, videlicet Eccleſiaſticæ religionis ferventiſſimus amator, & Catholicæ pacis indefeſſus propugnator. Hunc venerabilis Papa Gregorius, hunc Beatus Anſelmus Lucenſis Epiſcopus, quaſi unicum filium amaverunt, hunc clerici, & monachi, immo omnes religioſi ferventiſſime dilexerunt. Hic in fidelitate Sancti Petri contra ſchiſmaticos uſque ad mortem ſtudioſiſſime certavit, in cujus etiam* Sancti Petri *feſto de hujus vitæ erga ſtulo ereptus, eidem in cœleſti patria creditur aſſociatus. Erat autem filius dominæ Sophiæ, & Ludovici Comitis, quæ erat matertera Comitiſſæ Mathildis; quæ cum domino ſuo Welphone Duce in Italia contra ſchiſmaticos multum laboravit. Obiit autem prædictus Comes in præterito anno, id eſt Dominicæ Incarnationis milleſimo nonageſimo primo, Indictione decimaquarta, tertio Kal. Julias, in feſto Sancti Petri, & in craſtinum, id eſt, in ſolemnitate Sancti Pauli ſepelitur. Hujus ergo filium ex nepte dominæ Adelaidæ ſuſceptum Henricus Rex cum filio exhæredare propoſuit, terramque ejus hoſtiliter invadendo, ac circumquaque devaſtando, etiam Fructuarienſi Monaſterio multa mala intulit.* Hucuſque Bertholdus; Hadelaidæ autem Taurinenſis Comitiſſæ bona, quæ ad filium Friderici Comitis, ac Adelaidis nepotem pertinebant, Henricus hoſtiliter invaſit; quem etiam exhæredare propoſuit, ut ne Fructua-

Stuarienſi Monaſterio pepercerit: ut ex Bertholdo audivimus; at quem hæc exitum habuerint, quive ſucceſſor Pedemontanæ regionis tunc fuerit, in obſcuro adhuc eſt; Unde origo Principum Sabaudiæ familiæ, qui ex Adelaide originem trahunt obſcura, aliquatenus remanet, ac Muratorius anno ſequenti. At cum momentanea pene Henrici felicitas in Italia fuerit, hinc Friderici Comitis filium, nepotemque Adelaidis Marchioniſſæ in ejuſdem locum ſucceſſiſſe, ac Pedemontanam regionem cum Alpibus Suſianis obtinuiſſe vero proximum eſt, de quibus apud Guichenonum Sabaudiæ familiæ hiſtoricum plura videri poſſunt. Hujus autem illuſtris fœminæ Adelaidis, cujus non ſine elogio meminere tum Gregorius Papa ſeptimus epiſt. 46. lib 1. cum Petrus Damiani opuſculo 18., & S. Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus; hujus inquam Adelaidis origines, & geſta ſingulari tractatu, ac toto volumine in duas partes diſtributo perſequutus eſt eruditus vir Joannes Terraneus Taurinenſis civis.

Jesu Chr. an. 1091.

19. Cum Garcias Galleciæ, & Luſitaniæ Rex Alphonſi Legionis Regis frater, dum Legionem pergeret anno ſuperiori in itinere obiiſſet, corpus ejus Legionem hoc anno delatum eſt, ut Rodericus Toletanus, & Lucas Tudenſis Diaconus narrant; *Cujus funeri ambæ ſorores, Urraca ſcilicet, & Galvira more Regio occurrentes, & Renerio Romanæ Eccleſiæ Legato, qui poſtea Papa effectus eſt* (ſub nomine Paſchalis II.) *& cum Bernardo Toletano Archiepiſcopo, aliiſque comprovincialibus Epiſcopis, & Abbatibus Legione Synodum celebrat* (ideſt celebravit,) *omnibus pro ejus anima Deo ſalutarem hoſtiam offerentibus, corpus ejus in eadem urbe cum Proceribus ſuis ſepulturæ honorifice tradiderunt, æra* 929. (hoc ſcilicet Chriſti anno licet ſuperiori e vivis exceſſiſſet). *In prædicta Synodo almi Sacerdotes de fide Catholica colloquentes, ſtatuerunt, ut ſecundum regulam Beati Iſidori Hiſpalenſis Archiepiſcopi Eccleſiaſtica Officia in Hiſpania legerentur. Statuerunt etiam, ut ſcriptores de cetero Gallicam litteram ſcriberent, & prætermitterent Toletanam in Officiis Eccleſiaſticis, ut nulla eſſet diviſio inter Miniſtros Eccleſiæ Dei*, ait Tudenſis: duo itaque in hoc concilio, cujus nulla apud Baronium mentio occurrit; ſtatuta fuere, ut ſcilicet officia eccleſiaſtica juxta Iſidori ordinem peragerentur, ſed non ultra Iſidoriana, ſeu Gothica Arabicis etiam vocabulis mixta, ſed Gallica celebrarentur; ut

Concilium Legionense in Hiſpania celebratur. *Labb. Conc. to. 10. p. 482*

Legionenſis Concilii ſtatuta.

JESU CHR. AN. 1091.

ut adnotat Cardinalis De Aguire tom. 3. Concil. Hiſpaniæ. In eo etiam concilio ut addit Mariana, Rainerius Apoſtolicæ Sedis Legatus Petrum Compoſtellanum Epiſcopum; in locum Didaci Pelagii, per vim ab ea Sede dejecti, ut anno 1088. diximus; utpote contra ſtatuta canonum ordinatum, depoſuit; nec tamen Pelagius, ut ſuæ Sedi reſtitueretur, impetrare potuit, quia Dalmachius Cluniacenſis Monachus, Urbano Pontifici ejuſdem ordinis olim Monachi acceptus, Compoſtellanæ Eccleſiæ Epiſcopus eſt ordinatus, ac unus ex multis Epiſcopis fuit, qui Claramontano Concilio ab Urbano ſecundo anno 1095. celebrato interfuit, ab eoque impetravit, ut Compoſtellana Eccleſia ſui juris eſſet, ac Romanæ tantum ſubiiceretur; Unde factum eſt, ut temporis tractu Compoſtellani Epiſcopi, & pallii uſum, & Metropoliticam dignitatem obtinerent, de quibus infra ſermo fiet.

Mariana hiſt. Hispan. lib. 10. cap. 6.

Urbanus Papa Pisano Epiſc. Corſicam sub annuo tributo concedit.

20. Hoc etiam anno dum in Apulia Urbanus Papa eſſet, ubi Capuæ pro Eccleſia Tarraconenſi diploma dedit Kal. Julii, ut ſupra diximus, alterum *Beneventi quarto Kal. Julii*, Alberto Piſano Epiſcopo miſit, quo eidem, ſeu Piſanæ Eccleſiæ Inſulam Corſicæ conceſſit, ea conditione, ut *per annos ſingulos Lucanæ monetæ libras quinquaginta Lateranenſi Palatio remota qualibet occaſione perſolvat*; & ut in fidelitate, & devotione Romanæ Eccleſiæ, tum Eccleſia eadem, cum Epiſcopi ibidem legitime ordinati perſeverarent: In eo diplomate, quod auctor hiſtoriæ Eccleſiæ Piſanæ vulgavit, narrat Pontifex ex recepta tunc apud omnes opinione, Corſicæ quoque Inſulam ab Conſtantino Imp. Rom. Eccleſiæ conceſſam fuiſſe, cujus poſſeſſionem cum longo tempore amiſiſſet, demum ſub Gregorio ſeptimo in ejuſdem Romanæ Eccleſiæ poteſtatem rediiſſe; Quare eam Piſanæ Eccleſiæ ſub relatis ſupra conditionibus Urbanus Papa conceſſit. *Datum Beneventi quarto Kal. Julii per manus Joannis S. R. E. Diaconi Cardinalis Indict. 13. anno Dom. Incarnat. 2191. Pontificatus Domini Papæ ſecundi quarto.*

Matthei hiſt. eccles. Pisanæ to. 2. in append. pag. 14.

JESU

JESU CHRISTI AN. 1092. URBANI II. PAPÆ AN. 5. HENRICI IMP. 9. ALEXII COMNENI IMP. 12.

JESU CHR. AN. 1092.

De gestis hoc anno inter catholicos, & schismaticos.

1. De gestis hoc anno tum in Italia, cum in Germania inter Catholicos, & Schismaticos hæc narrat Bertholdus; *Dominus Papa Natalem Domini anni* 1091. *in terra S. Petri extra Romam*; ideſt in ſuburbiis, *celebravit, nam Guibertus hæreſiarca ita ſe prope domum S. Petri caſtellavit, ut non facile abſque humani ſanguinis effuſione expelli inde potuerit. Henricus quoque impius Imperator in Longobardia jam biennio morabatur, itaque circumquaque terram Welphonis Italici Ducis præda, ferro, & incendio devaſtare non ceſſavit, ut eumdem Ducem, & prudentiſſimam ejus uxorem a fidelitate Sancti Petri diſcedere, ſibique adhærere compelleret, ſed fruſtra: Nam Dux in ſua ſententia perſtitit, ipſique ſatis viriliter reſtitit. Sed & pater ejuſdem Ducis Welpho Dux Bajoariæ eumdem Henricum ante proximam Nativitatem Domini mirabiliter confudit, quem ad colloquium pervenire prohibuit, quod idem Henricus, & Rex Hungarorum condixerant, ad quod etiam pene jam convenerant.* Et inferius. *Iterum Principes Alemanniæ ad defenſionem ſanctæ matris Eccleſiæ contra ſchiſmaticos unanimiter convenerunt; ſibique ad hoc negotium exequendum fratrem Conſtantienſis Epiſcopi Bertholdum Ducem totius Sueviæ conſtituerunt, qui nondum aliquem Ducatum habuit, etſi jam dudum nomen ducis habere conſueverit.* Ac rurſum. *In Bajoariam venit Salzburgenſis Epiſcopus Dimo; qui Patavienſi Eccleſiæ jamdudum viduatæ ordinavit Epiſcopum nomine Ulricum, S. Auguſtienſis Eccleſiæ Præpoſitum, eumque in ipſo die Penteceſtes cum Conſtantienſi & Wormatienſi ſolemniter conſecravit: hocque magnam fiduciam dedit Catholicis, ut in fidelitate Sancti Petri perſiſterent, & ſchiſmaticorum veſaniæ indefeſſus obſiſterent.* Hæc auctor de ſtatu Eccleſiæ, & geſtis hoc anno; de geſtis autem in Italia variaque belli fortuna inter utramque partem pluribus in vita Mathildis agit Donizo, ac de ineunda concordia ſæpius actum fuiſſe addit; quibus cum fere Comitiſſa ceſſiſſet, ab Eremita, quodam, quem Canoſæ Abbatem fuiſſe ſuſpicatur Muratorius, ne ſocietatem cum Henrico ſchiſmatico iniret, deterritam fuiſſe Comitiſſam narrat; Quare cum acrius ex utraque parte urgeretur bellum, dum Montembellum in agro Mutinenſi Hen-

Lib. 2. cap. 6. 7.

JESU CHR. AN. 1092.

Henricus obsideret, *dum geritur bellum, ruit unus filius ejus*; ideſt Henrici filius obiit, ex ſpuriis ſcilicet, cujus nomen ignoratur; Econtra vero victor Henricus, ad tres Comitatus inſignem de Comitiſſæ exercitu victoriam tulit; multis ibidem aut occiſis, vel captis, quam cladem Hugonis cujuſdam Comitis proditione accidiſſe deplorat Bonizo his verſibus.

Proditor e menſa fuit Hugo nobilis alvo,
Hanc contra morem, ſed fecit prodjtionem
Nam probæ nobilitas non turpe ſcelus patrat umquam.

& iterum de eadem clade

Traditor iſtorum Regem dicebat eorum
Nole ſpatis jungi, deerat, quia poſſe rejungit;
Talia credentes, ſecuri ſtabant, & inermes
En ſubito ſplendent Regis vexilla ferentes
Qui ſuper hos corruit, pars cæditur utraque multum
A turba Regis miles capitur, ſed inermis
Plures evadunt, fugiunt per devia ſaltus:

At de his hactenus.

Canonicorum regularium vita propagatur.

2. Quo tempore ſeculares utriuſque ſexus communem, religioſam vitam amplectebantur, ut anno proximo diximus, eamdem vivendi regulam inter Clericos propagatam fuiſſe conſtat; Hinc cum Rabodus Tornacenſis Epiſcopus videret magiſtrum Odonem Aurelianenſem civem, qui ſcholam Tornacenſem fere per quinquennium magno plauſu rexerat, cum quinque ſuis Clericis ſecularem vitam relinquere vellet, eis conceſſit Eccleſiam S. Martini, quæ alias a Barbaris everſa fuerat, *eamque eis libertatem, & Epiſcopali Privilegio confirmatum coram omnibus tradidit, ſicque eos ibidem ſub regula Sancti Auguſtini canonice in habitu Clericali Deo ſervituros dimiſit. Facta vero ſunt hæc anno Domin: Incarnat.* 1092. *Apoſtolicæ Sedi præſidente Papa Urbano, Remenſi vero Archiepiſcopo Raibodo, Tornacenſi ac Noviomenſi Epiſcopo domno Rabodo*, inquit Herimannus Abbas Abbatiæ Sancti Martini Tornacenſis, qui medio circiter ſeculo ſequenti deſcripſit *Reſtaurationem Abbatiæ Sancti Martini Tornacenſis* a Dacherio Tom, XII. Spicilegii recitatam. Sic paſſim alibi *Canonici*

nonici Sancti Augustini multiplicabantur, nullum formantes Ordinem, seu Congregationem plurium Monasteriorum ab uno generali Præposito pendentium, nec cum aliis Canonicis S. Augustini quidquam commune habebant præter propositum vitæ in communi ducendæ, juxta Ecclesiasticos Canones, tractu tamen temporis in Congregationem ejusmodi Clerici, qui vitam communem sectabantur, uniti sunt, atque ex his duæ præceteris in Italia erectæ sunt; Congregatio scilicet B. Petri de Honestis Sancti Salvatoris de Bononia dicta, & Romana Lateranensis, ex Lateranensi Ecclesia iis concessa, de quibus plura apud Heliot in historia ordinum omnium Religiosorum videri possunt. Jesu Chr. an. 1092.

3. Hic autem Odo sive Odoardus Tornacensis scholæ Magister, ac ejusdem Ecclesiæ Canonicus Regularis, ut diximus, cum in Dialectica emineret, tres libros composuit, ut refert idem Herimannus, sed cum Dialectorum schola, hoc jam tempore in duas sectas divisa esset; quorum alii Nominales dicebantur, alii Reales, his ultimis adhæsit Odo; *Eamdem dialecticam non juxta quosdam modernos in voce, sed more Boethii, antiquorumque Doctorum in re discipulis egebat: unde & Magister Rainbertus, qui eodem in oppido Insulensi Dialecticam Clericis suis in voce legebat; sed & alii quamplures Magistri ei non parum invidebant, & detrahebant, suasque lectiones ipsius meliores esse dicebant.* Paulo post. *Denique Domnus Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus in libro quem fecit de Verbi Incarnatione, non Dialecticos hujusmodi Clericos, sed Dialectice appellat hæreticos.* Utpote, qui ut idem addit universales putant esse substantias, *dicens eos de sapientum numero merito esse exsufflandos.* Quare jure merito Divus Thomas 1. part. quæst. 14. art. 15. ad tertium; Nominalium sectam veterem appellat, *Antiqui nominales dixerunt.* Hic autem Odo Cluniacense postea institutum in Tornacensi Ecclesia, & Monasterio constituit, & post annos aliquot Cameracensis Episcopus ordinatus fuit, cujus infra sermo redibit. Dialectici in Reales, & Nominales divisi.

4. Nominalis sectæ, etsi Joannes quidam auctor dicatur, ignotus nihilominus fere remansit; ac Rosselinus Compendiensis Clericus, sive Canonicus, si non auctor, propugnator tamen, & propagator habetur, quam opinionem Abelardus ejus conterraneus & discipulus ejus postea propagavit. Ro- Roscellinus Nominalis sectæ auctor, vel propagator,

JESU CHR. AN. 1092.

Roscellini error is erat, *in Deo tres personas esse tres res*; *aut Patrem, & Spiritum Sanctum cum Filio esse incarnatum*. Anselmo hanc temerariam assertionem, Roscellino haud nominato, propositi Joannes quidam, forte is, quem Nominalium antesignanum fuisse nonnulli existimant. Anselmi autem responsio hæc fuit. *Quod dicit tres personas tres res, aut vult intelligi secundum tres relationes, aut secundum id quod Deus dicitur*. Si primum; *superflue hoc dicit. Nullus enim negat hoc modo tres personas esse tres res: sic tamen ut diligenter intelligatur, quomodo ipsæ relationes dicantur res, aut cujusmodi res. Quod si dicit tres personas esse tres res, secundum quod unaquæque persona est Deus, aut tres Deos vult constituere, aut non intelligit quod dicit*. Cum vero accepisset Anselmus, Roscellinum prædictæ assertionis esse auctorem; & jactitare in eadem sententia fuisse Lanfrancum, *venerabilis memoriæ Archiepiscopum*, ipsumque Anselmum ita sentire; atque ea de re concilium a venerabili Archiepiscopo Rainaldo quam primum esse colligendum: tum hac de re litteras scripsit Anselmus Fulconi Belvacensi Episcopo amico, & discipulo quondam suo, & Lanfrancum nuperrime mortuum, ut se ipsum ab hac calumnia purgaret; eique anathema dicit, quicumque *hanc blasphemiam*, quam a Roscellino dici audierat, *pro veritate asserverit*. Tum subdit; contra eum, qui ita sentiat, si quidem Christianus est, non ratione agendum, sed auctoritate. *Fides enim nostra*, inquit, *contra impios*, seu infideles *ratione defendenda est, contra eos qui se Christiani nominis honore gaudere fatentur. Ab his enim juste exigendum est, ut cautionem in baptismate factam inconcusse teneant: illi vero rationabiliter ostendendum est, quam irrationabiliter nos contemnant*. Has vero litteras ad prædictum Concilium a Fulcone, aut ab alio adferre rogat, quod anno 1093. celebratum fuit, ait auctor historiæ litterariæ Galliarum, aut 1094. uti sentit Mabillonius; Inter primos Joannis, & Roscellini discipulos Robertus Parisiensis, Arnoldus, & Rambertus Flandrensis recensentur, qui Roscellini vestigiis inhærentes, cum Realistarum schola diu acriter certarunt, seu potius obscuris verbis, abstractisque distinctionibus, contentiosam funem traxerunt in eo præcipue dissidentes, quod Realistæ ex rebus ipsis, naturam, proprietatesque earum definiendas, exponendasque esse contendebant; cum Nominales

Hist. litter. de France to. 7. pag. 132.

Hist. litter. to. 9. p. 360. Mabil. Anal. lib. 67. n. 78.

les econtra, ex quarumlibet rerum nominibus proprietates, earum, & qualitates explicandas esse dicerent; Hinc factum, ut cum Trinitatis verbum, tres in uno res indicaret, tres quoque non solum personas, sed res distinctas in Trinitate prædicandas esse Roscellinus, & Abailardus docerent; Sicque ex Aristotelis philosophia, ex Græcia in Hispaniam, & ex Hispania in Gallias delata, Mysteria Fidei exponentes scholastici, in maximos sæpe errores inciderint factum est, ut cum præsertim ad Aristotilis placita, Porphyrii, Avicennæ, vel Averrois commentaria, & cathegorias, sub specioso Augustini nomine vulgatas, adderent; quorum causa plures in Ecclesia quæstiones seculo proximo excitatas fuisse, ex dicendis infra constabit. JESU CHR. AN. 1092.

5. Cum Orientale Imperium hoc tempore a Turcis undique vexaretur, ac Solymanus pacem cum Alexio paulo ante firmatam fregisset, ac excidium minaretur, ut toto fere libro sexto, & septimo narrat Anna Comnena; Alexius Comnenus Imperator ad incitas non semel redactus, ac imparem se tanto hosti resistendi cognoscens; Latinos Principes, ut sibi opem ferrent, enixis precibus, datisque litteris supplex rogavit; nonnullas ad Urbanum secundum dedisse narrat Ursbergensis in chronico; ex iis una adhuc superest ad Robertum Flandrensem Comitem, ceterosque Occidentalis orbis Principes, ab Ducangio in notis ad librum septimum Alexiadis, ex codice Roberti Monachi vulgata, qua inter cetera de infelicissimo Imperii Orientalis statu, hæc narrat. *Pene tota terra in Hierusalem usque Græciam, & tota Græcia cum suis Regionibus superioribus, quæ sunt Cappadocia minor, alia major, Phrygia, & Bithynia, & major Phrygia, & ideſt Troja, Pontus, Galatia, Lydia; Pamphylia, Isauria, Lycia, & Insulæ principales Chyo & Mitylena, & multæ aliæ Regiones & Insulæ, quæ non valemus modo computare, usque Trojam quæ ab eis jam invasa est. Et forte nihil remansit nisi Constantinopolis, quam ipsi minantur citissime nobis auferre, nisi auxilium Dei, & Fidelium Christianorum Latinorum celeriter subvenit. Num & Propontidem, quæ & Avidus dicitur, & ex eo Ponto juxta eandem Constantinopolim in mare magnum decurrit, cum ducentis navibus invaserunt, quas Græci ab eis depræ dati fabricaverunt, & remigiis, velint nolint, deducunt, & minantur, tam per terram, quam per eandem Propontidem*

Alexius Comnenus Imp. opem ab Latinis Principibus adversus Turcas postulat. *Lib. 6. pag. 168.*

JESU CHR. AN. 1093. *Conſtantinopolim*, (ut diximus) *velociter capere. Hæc plura de innumerabilibus malis, quæ hæc impiiſſima gens agit, diximus & ſcripſimus tibi, Comes Flandrenſium Chriſtianæ Fidei amator &c.*, atque hanc epiſtolam quadriennio ante Latinorum expeditionem in Hieruſalem anno 1096. ſuſceptam ſcriptam fuiſſe, idem Monachus Robertus adnotat, Atque ex his Alexii litteris, ac frequentibus peregrinorum relationibus, & præcipue Petri Eremitæ de infeliciſſimo Chriſtianorum ſtatu, deque locis ſanctis in Judæa ſub Saracenorum poteſtate conſtitutis, chriſtianorum zelus ad liberandos ex eorumdem poteſtate fideles, locaque ſancta, ſi fieri potuiſſet, excitabatur, quod tandem non multopoſt tentatum fuit, uti triennio poſt dicturi ſumus.

JESU CHRISTI AN. 1093. URBANI II. PAPÆ AN. 6. HENRICI IMP. AN. 10. ALEXII COMNENI IMP. 13.

Urbanus Papa concilium Trojæ celebrat.

1. Hoc Chriſti anno Urbanus Papa, iterum ait Bertholdus *Natalem Domini extra Romam in terra S. Petri celebravit*, in Campania ſcilicet, ut veroſimile eſt; *eo quod nondum Romam abſque armata manu intrare potuerit*, ob Giberti factionem, quæ ibidem adhuc prevalebat; de geſtis autem ejuſdem Urbani Papæ paulo poſt addit *Dominus Papa Urbanus generalem ſynodum centum pene Epiſcoporum in quadrageſima ex diverſis provinciis in Apulia congregavit, & diverſis Eccleſiarum neceſſitatibus ſynodali proviſione competenter ſuccurrere curavit*: Hanc ſynodum Romualdus Salarnitanus in chronico, & Petrus in chron. Caſſin. Ivo Carnotenſis Trojæ celebratam fuiſſe tradunt; quod etiam confirmat Mss. Codex hujus Concilii, quo hæc leguntur. *Anno Domin. Incarn. 1093. quinto Idus Martii convenit Trojæ in Apulia Concilium Epiſcoporum fere 75: Abbatum 12.*, atque in prima, & ſecunda ſeſſione de conjunctis intra conſanguinitatis lineam actum ibidem additur; et ut Epiſcopi ſic conjunctos diligenter examinent, num revera conſanguinei ſint; eoſdemque per Chriſti fidem, per tremendum Chriſti adventum hortentur, ut veritatem dicant, quod ſi præmiſſo diligenti examine, eoſdem conſanguinatatis gradu conjunctos fuiſſe conſtaret, eos ab invicem ſejungendos eſſe, ſi id recuſaverint, anathemate plecti ſynodus juſſit; ſi interrogati negaverint, ſibi ipſis relinquendos eſſe ait; ita tamen ut admone-

Labb. to. 10. pag. 493.

Murat. to. 7. rer. ital. p. 177.

moneantur, quod si aliud in conscientia habeant, se a liminibus Ecclesiæ, ac corpore & sanguine Domini abstineant, *donec ab incesti facinore desinant &c.* JESU CHR. AN. 1093.

2. De Urbani gestis in Campania, & synodo Trojana hæc etiam Petrus Diaconus in chronico Cassinensi narrat. *Sequenti tempore supradictus Papa Urbanus iterum ad has partes deveniens Cajetanum loci hujus a pueritia Monachum Diaconum in Lateranensi Patriarchio ordinavit; Quo etiam tempore dum apud Trojam Apuliæ civitatem synodum celebraret; Abbas noster Oldericus proclamationem fecit*, seu querelam obtulit; *de cella S. Sophiæ in Benevento, sed causis bellorum ingruentibus nil justitiæ habere exinde potuit &c.* Hic porro Joannes Cajetanus ex Cajetana familia ortus, & in Monasterio Cassinensi ab infantia educatus, ab Urbano Papa tituli S. Mariæ in Cosmedin Cardinalis Diaconus ordinatus, Cancellarius Rom. Ecclesiæ in bullis Urbani Papæ dicitur, uti jam supra ad annum 1091. adnotavimus. Urbanus Papa Joannem Cajetanum Cardinalem Diacon. ordinat. *Chron. Cassin. lib. 4. cap. 7.*

3. Interea etsi Henriciana factio, ac Guiberti schisma vigeret, magna tamen rerum mutatio hoc anno facta est, ac Henrici, æque ac Guiberti factio iuminui cœpit, cum Corradus adversus Henricum patrem suum rebellis factus, Italiæ Regnum, ac Germaniæ partem sibi vindicavit; Rem gestam utriusque partis historici narrant; Auctor chronici Augustensis ad hunc annum adnotat. *Ex odii, & invidiæ fomite conflata usque adeo convaluit discordia, ut quidam perversæ seditionis auctores cum Mediolanensibus, juxta evangelica scandalorum præsagia filium Imperatoris Corradum regnare, & in patrem malo instinctu suggererent.* Rem fusius narrat auctor anonymus vitæ Henrici Imp. dum ait. *Relicto in Italia filio Corrado jam tum Regni sui hærede designato, regressus est, scilicet qui se gratianti Mathildi, & pene totam Italiam sibi vindicanti, opponeret, & regnum quod futurum erat suum, de manu fœminæ tolleret.* Paulo post: *Filius Imperatoris, quem in Italia relictum a patre, & quam ob causam relictum diximus a Mathilde persuasus (quam enim astutia fœminea non subvertat, aut decipiat?) junctus inimicis patris coronam sibi imposuit &c.* quam ab Archiepiscopo Mediolanensi, Anselmo scilicet, accepisse narrat Bertholdus, *a Mediolanensi Archiepiscopo, & reliquis fidelibus Sancti Petri in Regem coronatur, annuente Velphone Duce Italiæ, & Mathilde ejus carissima Conjuge, sed & pater ejus-* Corradus contra Henri cum patrem suum pugnat

Apud Marquard Freder. pag. 355.

JESU CHR. AN. 1093.

ejuſdem Ducis Velpho Dux Bojariæ non multo poſt ad eum noviter coronatum Regem in Longobardiam venit, eique cum filio ſuo fideliter adhærere ſategit. Henricus vero pater Regis in quamdam munitionem ſe contulit, ibique diu abſque regia dignitate moratus, nimioque dolore affectus, ſeipſum (ut ajunt) morti tradere voluit, ſed a ſuis præventus, ad effectum venire non potuit. Locus autem in quo velut obſeſſus morabatur Henricus, ut nec in Germaniam redire, nec in Italiam ſe conferre poſſet, civitatem Veronam fuiſſe, Uldericus in rebus geſtis Eginonis Abbatis narrat; his Bertholdus addit. *Civitatis quoque de Longobardia Mediolanum, Cremona, Lauda, Placentia, contra Henricum in viginti annos conjuraverunt, qui omnes prædicto Duci, Velphoni fideliter adhæſerunt. Tranſitus etiam Alpium in Longobardiam obtinuerunt, ut fautores Henrici ad ipſum non poſſent proficiſci. Moduſtiæ* autem primum, deinde Mediolani, in Eccleſia Sancti Ambroſii ab Anſelmo de Rode coronatum fuiſſe Corradum narrat Landulphus junior, ſeu a Sancto Paulo.

Murat. rer. Ital. to. 5.

Cur in patrem Corradus rebellaverit.

4. Cur in tantas Henricus Imp. anguſtias inciderit, tantamque rerum mutationem expertus fuerit, ejuſdem infanda ſcelera in cauſa fuerunt, & dirum ſcilicet in Eccleſia ab eodem ſchiſma excitatum, tótque per annos prorogatum; immanis ejuſdem in Adelaidem Reginam, quam Praxedem alii dixerunt uxorem ſuam, ſævitia; ſceleratumque conſilium filio datum, ut Dodechinus adnotat; *Henricus Rex Adelaidam quam duxerat uxorem odio cæpit habere; ideo incarceraverat eam, & conceſſit ut plerique vim ei inferrent, immo filium hortans, ut eam ſubagitaret. Quo recuſante patris polluere ſtratum, eum Rex non ſuam, ſed peregrini filium eſſe affirmavit cujuſdam Principis de Suevia, cujus etiam faciem prædictus Conradus plurimum aſſimilavit: Regina autem poſt plurima, & inaudita malorum genera ſibi innocenter illata, de cuſtodia qua tenebatur, quoquo modo Dei miſeratione liberata, ad potentiſſimam tunc temporis fœminam Mathildam nomine fugiendo pervenit. Quæ ſuſceptam Reginam ad venerabilem virum perduxit Urbanum Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem; cujus provoluta pedibus, profuſis lacrymis, ac intimis ſingultibus omnem ſuæ, quam pertulerat, calamitatis intimavit miſeriam. Papa autem agnita Reginæ calamitate, humanitatis miſeratione compaſſus, facta concione Catholicorum, denuo Henricum Regem excommunicavit pro illicitis ac nefandis, omni-*

omnibusque seculis inauditis rebus, in legitima uxore sua perpetratis. Regina autem reversa est in regionem suam, & ingressa monasterium facta est Abbatissa, ut quidam dicunt. Et paulo post: *Conradus igitur patri suo rebellans, venit ad Papam Urbanum, & solutus ab excommunicatione, in Longobardia regnavit contra Patrem. Erat denique Conradus iste omni bonitate, & probitate conspicuus, humilis & modestus, qui paucos annos supervivens, postquam coronatus est, immature obiit.* Hactenus Dodechinus hoc anno, quæ etsi inverosimilia nonnullis visa sint, patrem scilicet, cum matre stuprum filio consuluisse, justam tamen, vel saltem excusatione dignam Corrado, ut adversus patrem rebellaret, causam dedit. Jesu Chr. an. 1093.

5. Cumque in dies Catholicorum res augerentur, ac Schismaticorum factio deficeret, ea opportunitate Catholici utentes, schismaticos undique ejiciendos curarunt; in quam rem hæc ad hunc annum addit Bertholdus. *Augustenses Episcopum, quem Henricus illis dedit expulerunt;* Hermannum scilicet, *ipsique sibi Catholicum pastorem canonice elegerunt, qui Episcopum in castello, quo transitus Alpium custoditur, captivavit, quod ipse illi facere deliberavit. Metenses Ecclesia, & Tullenses, & Virdunenses ab obedientia Egilberti excommunicati discesserunt, eique non amplius obedituros apertissime demandaverunt. Quare Metenses refutato Episcopo, quem Henricus ei dare voluit, ipsi sibi canonice Catholicum pastorem elegere, eumque a Gebehardo Constantiensi Episcopo Sedis Apostolicæ Legato consecrari fecere sexto Kalendas Aprilis in medio Quadragesimæ* Et inferius de eodem Legato, eodem anno: *Item Legatus Welphonem Ducem Bajoariæ per manus in militem accepit, sicut & proprium fratrem Bertholdum Ducem Alemaniæ jam dudum fecit, cum quibus & reliquis Alemaniæ Principibus magnum conventum apud Ulmam habuit. In quo conventu firmissime laudatum est, ut Constantiensi Episcopo Legato Urbani Papæ omnimode secundum statuta canonum obediretur &c.* Sic igitur rebus Catholicorum in meliorem statum reparatis, consternatis schismaticis, nec ut prius, eos ferociter appetere audentibus, Urbanus Papa est reversus in Urbem, ibique a suis receptus, Natalem Domini (ut idem Bertholdus testatur) solemniter celebravit. Catholici Schismaticos undique exagitant.

6. Plures tamen qui hactenus Henriciano schismati restiterant, hoc anno obiisse idem Bertholdus narrat; inter eos An- Anselmi Mediola Episc. aliorumque obitus.

JESU CHR. AN. 1093.

Anſelmus Mediolanenſis Archiepiſcopus, qui Corradum, ut diximus in Italiæ Regem Moduetiæ, ac Mediolani coronaverat; Hoc anno *Venerabilis Vernherus Merſeburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus, poſt multos conflictus contra ſchiſmaticorum tergiverſationes, tandem in fidelitate Sancti Petri diem extremum clauſit, qui ſolus tunc in Saxonia Catholicæ communionis Epiſcopus remanſit. Unde & Catholicis magnam triſtitiam, & excommunicatis magnam lætitiam obeundo reliquit. Obiit autem ſatis feliciter tertio Idus Januarii.* Et inferius. *Nobiliſſima Comitiſſa Sophia vidua Ludovici Comitis, mater piæ memoriæ Beatricis Ducis & Friderici Marchionis, in ſenectute bona, cum jam multos filiorum videret, diem clauſit extremum.* Et in fine, *In Longobardia venerabilis Anſelmus Mediolanenſis Archiepiſcopus in cauſa Sancti Petri ſtudioſiſſimus, & qui nuper Conradum Regem incoronavit, ſatis laudabilem fecit finem, magnumque mœrorem fidelibus Sancti Petri reliquit, cui venerabilis Arnoldus de Porta argentea in Epiſcopatu ſucceſſit.* Hucuſque Bertholdus; Anſelmi vero in Mediolanenſi Sede ſucceſſor fuit Arnulphus nobilis Mediolanenſis de porta Orientali anno tantum proximo conſecratus, ut narrat Landulphus junior, ſeu a S. Paulo in hiſtoria Mediolanenſi.

Apud Murat. to. 5. Arnulphi hiſtor. cap. 1.

Anſelmus Cantuarienſis Archiep. eligitur.

7. Utroque Anſelmo Mediolanenſi, ſcilicet, ac Lucenſi, quorum ſupra geſta narravimus, celebrior hoc tempore fuit Anſelmus Cantuarienſis Epiſcopus hoc anno ordinatus, cum quartus jam decurreret annus, quo Eccleſia eadem poſt Lantfranchi Epiſcopi obitum, paſtore ſuo viduata remanſerat; Is quippe tunc mos, ſeu potius abuſus apud Gulielmum ſecundum Angliæ Regem invaluerat, teſte Oderico, *ut morientibus Prælatis Eccleſias eorum cum poſſeſſionibus olim ſibi datis invaderet, & tam in Abbatiis cœnobitas, quam Epiſcopiis Epiſcopales Decanos, & Canonicos cuilibet ſatellitum ſuorum ſubigeret. Parcam autem ad victum ſuum diſtributionem rerum eis delegabat, & reliquos redditus ſuæ ditioni mancipabat. Sic avaritia Regis in Eccleſia Dei nimis exarſit, & nefarius mos, tunc incæptus uſque in hodiernum diem perſeverans* (ad annum nempe 1041. quo Ordericus Hiſtoriam ſuam abſolvit) *multis animabus exitio fit. Hac enim de cauſa cupidus Rex Paſtores Eccleſiis imponere differebat; & populus Rectore, & grex paſtore carens lupinis dentibus patebat, & multimodarum toxicatis miſſilibus culparum ſauciatus interibat &c.* Hæcque

Oderic. lib. 8.

Gulielmus II. Angliæ Rex Eccleſiæ bona invadit.

cau-

causa fuit, post Lantfranchi obitum Anselmus ei successor datus sit.

JESU CHR. AN. 1093.

8. Is porro ex illustribus parentibus Gandulpho, & Hermenberga Augustæ Prætoriæ in Italiæ finibus, regionis Pedemontanæ genitus, liberalibus disciplinis in pueritia edoctus, Lantfranchi fama permotus ad Beccense Monasterium transiit, ubi Lantfrancus tunc Abbas erat, atque ibidem anno ætatis suæ 27. Monachus factus, Prior primum annis quindecim, totidem deinde Abbas ejusdem Monasterii fuit; Tandem ob nominis sui celebritatem in Angliam vocatus, Cestrienſe Monasterium, exclusis inde Sacerdotibus secularibus, aliquandiu rexit; usque dum Gulielmus Angliæ Rex gravi infirmitate correptus, & a Principibus admonitus, ut Ecclesiæ Principi, seu Cantuarienſi tandem provideret, eorum consilia admisit, & Anselmum ea sede dignissimum fore pronunciavit. Qua electione ab Clero, Proceribus, & populo cum plausu, faustisque acclamationibus probata, solus Anselmus totis viribus, *fere usque ad exanimationem sui contradicit, reluctatur, & obstitit*; ait Edmerus in ejus vita; Regis quippe animum probe noverat Anselmus, ac eum, temporalis tantum, æternæ vitæ dispendio, in infirmitate positum, ad Cantuarienſis Ecclesiæ Episcopum eligendum tum devenisse videbat; ac cito ab eo proposito discessurum, ut revera accidit; hinc omni conatu pastorale onus refugiebat, at, ut subdit auctor, *prævalet Ecclesiæ Dei conventus. Rapitur ergo, & violenter in vicinam Ecclesiam cum hymnis, & laudibus portatur magis quam ducitur: Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimotertio, pridie Nonas Martii, prima Dominica Quadragesimæ.* Et inferius. *Igitur Anselmus propter multas rationes, quæ intervenerant, nondum consenserat electioni, quæ de se facta fuerat, ut Pontifex fieret. Sed tamen detinente illum Regè, morabatur in Anglia, conversante cum eo jussu Regis præfato Gundolpho Rossensi Episcopo, ut ei quæ opus erant, ministraret. Ablatis autem de medio rationibus illis, tandem post longum temporis spacium obedientia simul ac necessitatè constrictus consensit, & pridie Nonas Decembris debito cum honore ab omnibus Episcopis Angliæ Cantuariæ consecratus est.* Cito tamen Regis benevolentia in odium mutata est, nam paulopost Edmerus, & in historia, quam Novorum inscripsit, ubi Anselmi gesta fusiori sty-

Anselmi patria, studia, & gesta usque ad Episcopatum.

Anselmus Episcopus ordinatur.

Edmerus vita Anselmi lib. 2.

JESU CHR. AN. 1093.

ſtylo perſequitur, in vita Anſelmi hæc addit. *Dehinc cum ſe regali curiæ in Nativitate Domini præſentaſſet, & honorifice a Rege ſuſceptus, primos dies feſtivitatis circa Regem lætus tranſegiſſet: poſt inſtinctu diaboli, hominumque malorum mutatus eſt animus Regis contra eum, eo quod ipſe, ſpoliatus hominibus ſuis, mille libras denariorum ei pro agendis munificentiæ ſuæ gratiis dare noluit, & ita Principe turbato a Curia diceſſit.* Inter ceteros, qui cum Anſelmo de ejuſdem ordinatione gratulati ſunt, Ivo Carnotenſis Epiſcopus recenſetur; cujus hæc brevis ad eum extat epiſtola; *Anſelmo reverendo Cantuarienſium Archiepiſcopo, Ivo humilis Eccleſiæ Carnotenſis ſervus, pro modulo ſibi collato fidelium orationum munus. Quavis placuerit ei, qui te invitavit, tibi non alta requirenti dicere. Aſcende ſuperius: non tamen ideo credimus Paternitatem tuam, nulli religioſo onerotam, minus eſſe memorem eorum, quos aliquando ex quotidiana Eccleſiaſticorum negotiorum inſtantia contingeret; tamen non immemores noſtri, parvitatis noſtræ memoriam tuæ ſublimitati, quibus poſſumus vehiculis, ad mentem reducimus, utpote qui tuis deſideramus orationibus fulciri, & copiis ſi neceſſe fuerit relevari. Aſſitimus enim hoc anno pro multa in te benevolentia Monachis Beccenſibus &c.* cumque ad ordinationem Anſelmi, nuncios in Normandiam Rex miſiſſet ad Comitem, ad Pontificem Rothomagenſem, & ad Beccenſes Monachos; *Quatenus his quæ in Anglia de Abbate Beccenſi, ſeu Anſelmo geſta fuerunt, ſinguli quantum ſua intererant aſſensum præberent, a ſingulis litteræ ad Regem, & ad Anſelmum per nuncios miſſæ ſunt, quibus factum Regis probarunt*, ac cum Anſelmo gratulabantur, ex his unam refert Edmerus ab Gulielmo Rothomagenſi Archiepiſcopo miſſam, cui alias ſimiles fuiſſe addit; Itaque Anſelmum hortatur, ut divinæ ſe voluntati ſubiiciat.

Ivonis Carnoten. Epiſc. ad Anſelmum epiſt.

Edmer. hiſt. Novorum lib. 1. p. 36. Edit. Pariſ. Gerberonis.

9. Cum plures hactenus per annos triginta tres, quos in Monaſterio tranſegerat, tres ſcilicet ſine prælatione, quindecim in officio prioris, totidemque Abbatis, ut idem teſtatur litteras ſcripſiſſet Anſelmus, libro primo, & ſecundo ab Gabriele Gerberone operum ejuſdem editore inſertas, multo plures Epiſcopus ordinatus ſcribere coactus fuit; Omnium prima poſt ordinationem ſuam ad ſuos Beccenſes monachos data eſt; qua ſe invitum ordinatum fuiſſe narrat, & ut conſenſum præberent, hortatur: inter receptas ab Anſelmo Olberni mona-

De Anſelmi litteris tunc ſcriptis. *Anſelmi epiſtola lib. 3. epiſt. 7.*

Lib. 3. epiſt. 1. 2.

chi

chi Cantuarienſis una occurrit, qua eum hortatur, ut oblatam dignitatem ſuſciperet, ad quam tot ſignis vocatus fuerat; Roſſenſis etiam Epiſcopus Beccenſes monachos admonuit, ut electioni Anſelmi conſenſum præberent, & ne eum ereptum ſibi gravate ferrent, quos etiam, ut idem, ſcripta ad Gulielmum Regem epiſtola, teſtarentur, altera epiſtola Anſelmus admonuit. Quinta eſt prædicti Olberni Anſelmum hortantis ad accelerandam ſuam conſecrationem. *Recuperemus in te*, inquit, *quod in mortuo ſanctiſſimo patre Lantfranco perdidimus: quem mortuum ſemper dolebimus, quoadusque illum in te viderimus*. Sexta eſt ipſorum Beccenſium ad Anſelmum, qua ei ſignificant, quoſdam e ſuis ejus electioni, quidem conſenſiſſe, quoſdam ſe numquam conſenſuros teſtatos fuiſſe. Septimam ſcripſit Anſelmus ipſe ad eoſdem Beccenſes a quibus ſe abſtractum ægerrime ſe fuiſſe aſſerit, nec ficta humilitate, quæ quorumdam malevolorum calumnia erat, recuſaſſe diu Archiepiſcopatum. *Quibus nescio*, inquit, *quomodo poſſim perſuadere, quæ ſit in hac re conſcientia mea, ſi illis non ſatisfacit vita & converſatio mea. Si enim vixi jam per triginta tres annos in habitu monachico, tribus ſcilicet ſine prælatione, quindecim in priorato, totidem in abbatia annis, ut omnes boni me diligerent, qui me noverunt, non mea induſtria, ſed gratia Dei faciente; & magis illi, qui me interius & familiarius noverunt: nec aliquit in me videret aliquid opus, undè me prælatione delectari cognoſceret &c.* Eademque epiſtola Beccenſes hortatur, ut quam primum alterum ſibi Abbatem eligerent, ac epiſtola octava Baldricum Beccenſium Priorem, ne officium deſereret, & ut Gulielmum, qui hactenus apud Pexcium prior fuerat in Abbatem eligerent Baldricum, & Monachos Beccenſes hortatur; Eumdemque Gulielmum, ſeu Villelmum eligendum proponit in altera epiſtola ad Eudonem Normanniæ Ducis Dapiferum, atque hunc tertium Beccenſis monaſterii Abbatem fuiſſe ſcimus; de quibus, aliiſque plura dabit Mabillonius hoc, & ſequentibus annis; jam ab exſcribendis Anſelmi epiſtolis, ne longius protrahatur, retrahendus eſt ſtylus.

Jesu Chr. an. 1093.

Epiſt. 3. 4.

Epiſt. 5. 6. 7. 8.

Tib. 3. *epist.* 14.

10. Hoc etiam anno, ut narrat Oldericus, Malcolmus tertius Scotorum Rex a Roberto de Molbrajo, & Morello nepote ejus, inermis occiſus eſt; cui paulopoſt in funere S. Margarita uxor ejus ſociata eſt, ut idem auctor his verbis ſubdit.

S. Margaritæ Scotorum Reginæ obitus. *Older. lib.* 8. *pag.* 701.


image
not
available

lium patruo ſuo Dunefaldo, qui Regnum invaſerat, expulſo, Regem conſtitueret &c. quod & factum eſt.

JESU CHR. AN. 1093.

11. Adverſus Roſcellinum, ejuſque errores, quorum anno proximo mentionem fecimus, Sveſſionis hoc anno ab Raynaldo Remenſi Epiſcopo concilium convocatum eſt; Ubi Roſcellini error, de tribus in Trinitate rebus diſtinctis, ſive ſubſtantiis damnatus fuit; quem etiam Roſcellinus præſens ejuravit, aut potius ejurare finxit, ne a populo tamquam hæreticus lapidaretur, ut in epiſtola ad Ivonem anno ſequenti data ſcripſit Anſelmus. Adverſus Roſcellini hæreſim, cum primum vulgari cœpit epiſtolam Anſelmus ad Fulconem Bellovacenſem Epiſcopum ſcripſerat, qua & catholicam fidem adſtruebat, & Lantfrancum, ab injuria ejus nomini ab Roſcellino illata, quaſi is hæreſi ſuæ conſenſiſſet vindicabat, hanc porro epiſtolam, ut ad Sveſſionenſe concilium deferret, Fulconem epiſtola ſua Anſelmus rogavit; ac quinam Roſcellini error eſſet, his verbis exponit. *Audio quia Roſcellinus Clericus dicit in Deo tres perſonas eſſe tres res ad invicem ſeparatas, ſicut ſunt tres Angeli, ita tamen ut una ſit voluntas, & poteſtas, aut Patrem, & Spiritum Sanctum eſſe incarnatum, & tres Deos vere poſſe dici, ſi usus admitteret, in qua ſententia aſſerit venerabilis memoriæ Archiepiscopum Lantfrancum fuiſſe, & me eſſe, quapropter dictum eſt concilium a venerabili Remenſi Archiepiscopo Romoaldo colligendum eſſe in proximo &c.* ad epiſtolæ autem finem hæc addit. *Has autem noſtras ad prædictum concilium a veſtra ſanctitate portari, aut ſi forte non iveritis, per aliquem de veſtris mitti deposco &c.*, & ut in eo legerentur rogat.

Concilium Sveſſionenſe adversus Roscellinum congregatur. *Labb. to. 10. pag. 48. & ſeqq.*

Anselmi ep. lib. 2. 41.

12. Paulopoſt idem Anſelmus Cantuarienſis Epiſcopus jam ordinatus, & ab Beccenſibus monachis excitatus librum de Trinitate, & Incarnatione edidit, ac Urbano Pontifici examinandum obtulit, cujus initio exponit quo pacto a fratribus ſuis ad eum ſcribendum adductus ſit, ad ſolvendam ſcilicet quæſtionem illam, qua Roſcellinus ita irretitus erat, *ut nullo modo ſe expediri ab ea poſſe crederet, niſi aut incarnatione Dei Patris aut Spiritus Sancti, aut Deorum multitudine ſe impediret.* Porro prædictæ novitatis auctorem in ſua perſeverantem ſententiam dicere, *ſe non ob aliud abjuraſſe quod dicebat, niſi quia populo interfici timebat*, quæ Berengarii, aliorumque ejuſdem farinæ novatorum frivola excuſatio fuit. In capite ſecun-

Anselmus librum de Trinit. & Incarnat. adversus Roscellinum scribit. *Anselmi ep. pag. 41.*

Mabil. pag. 309.

JESU CHR. AN. 1093.

secundo sanctus Doctor graviter redarguit temerar ios ejusmodi homines qui contra catholica dogmata disputare audent, & ea quæ intellectu, & ratione assequi non valent, aut intelligere, tamquam falsa rejiciunt, unde contigit eos in multimodos errores ire præcipites; nec mirum, quippe qui antequam per soliditatem fidei habeant spirituales alas, in altissimas de fide quæstiones assurgere præsumunt. Fide itaque assurgendum esse ad intellectum rerum divinarum, non intellectu ad earum cognitionem &c.

Ivonis ep. 7. ad Roscellinum.

13. Roscellinus interea Sveſſionenſi ſynodo, ubi hæreſim abjuraverat, vix egreſſus, eamdem, quam lingua tantum, timore preſſus, non animo abjecerat, vulgare non ceſſavit, qua de re cum ubique tamquam hæreticus haberetur, ac velut perfidus abigeretur, datis ad Ivonem Carnotenſem Epiſcopum litteris confugit, conſilium ab eo petens, quid in tantis angustiis poſito agendum ſibi eſſet, cui facilem Ivo medelam ſuggeſſit, ut ſcilicet ſincero corde hæreſim tandem abijceret;

Luc. 11. Mat. 18.

Si eſſes ovis centeſima in deſerto perdita, ait, *ſed gregi jam reddita, ſicut exarserat in te zelus meus, quandiu te intellexi adverſum, & averſum, ſic requiescerem in te ſpiritus meus, ſi te noscerem ad doctrinam ſanam converſum, & reverſum. Sed quia ſcio te poſt concilium Sveſſionenſe in auribus quorundam quas mecum bene noſti, priſtinam ſententiam tuam clandeſtinis disputationibus ſtudioſiſſime defendiſſe, & eandem quam abjuraverat, & alias non minus insanas persuadere voluiſſe, non poteſt intrare in cor meum quod adhuc fidem tuam correxeris, quod mores in melius commutaveris. Si ergo ex hac occaſione te adflixit, & rebus tuis nudavit quorumdam violentorum rapax avaritia, non hoc ex ſe fecit eorum violentia, ſed juſta, & correctioni tuæ conſulens Dei ſapientia, facient etiam per malos quamvis nescientes bona ſua, cujus veſtem ſcindere conabaris rationibus humanis armata, ſed tamen infecunda facundia &c.*, ac tandem poſt aliqua addit. *Reſtat igitur, ut palinodiam canas, & recantatis opprobriis veſtem domini tui, quam publice ſcindebas, publice reſarcias, quatenus ſicut multis erroris exemplum fuiſti, ſic de cetero ſias exemplum correctionis &c.*, atque utinam tam ſalubri conſilio acquieviſſet, nec ultra Eccleſiam, etſi ubique odibilis, & profugus turbare perſeveraſſet. E Galiis quippe velut monſtrum relegatus, in Angliam tranſiit,

fit, ubi novas ibidem turbas excitavit, asserens Sacerdotum filios ad sacros ordines promoveri non posse cujus errorem Thomas Stampensis in Oxoniensi Academia magister confutavit; Cum vero temerarius ille novator calumnias nescio quas in Anselmum Cantuariæ Episcopum spargeret, inde etiam Regis jussu expulsus est, ut in epistola cujusdam M. Petri theologiæ professoris legitur, quam Abailardo falso inscribi ab Labbeo, aliisque, adnotat Pagius, in qua hæc sunt. *Hic*, ideſt Roscellinus, *contra egregium illum præconem Christi Robertum Arbrosello contumacem ausus est epistolam fingere, & contra magnificum illum Ecclesiæ Doctorem Anselmum Cantuariensem Archiepiscopum adeo per contumelias exarsit, ut ad Regis Anglici imperium ab Anglia turpiter impudens ejus contumacia sit ejecta, & vix tum cum vita evaserit*; Hæc, & alia ibidem is auctor, qui cum edito de Trinitatis mysterio tractatu, Roscellini hæresim confutasset, ab eodem quoque infamari meruerat, ut eadem epistola refert, sed de Roscellino, ejusque hæresi hactenus

Jesu Chr. an. 1094.

Labb. to. 10. *p.* 487. *Not.* 15. *an.* 1094.

JESU CHRISTI an. 1094. Urbani II. Papæ an. 7. Henrici Imp. an. 2. Alexii Comneni Imp. 14.

1. Henricianam factionem, æque ac Guibertinum schisma, post rebellionem Corradi adversus Henricum patrem, in Urbe, in Italia, & Germania imminutam fuisse anno proximo diximus; hoc autem anno, pene extincta fuit, nam ut narrat Sigebertus, ad hunc annum. Imperatore *ad Galliam reverso*, ideſt in Lotharingiam, *omnes pene ad hostes ejus rursus transeunt, & munitiones ab eo expugnatas contra eum muniunt* de gestis vero in urbe, hæc adnotat Bertholdus. *Dominus Papa Urbanus nativitatem Domini Romæ solemniter celebravit* anni proximi. *Quamvis plures Guibertini in urbe adhuc latuerint*; & iterum paulopost; *Dominus Papa* (Urbanus) *Romæ prope S. Mariam Novam in quadam firmissima munitione morabatur, sed Guibertini turrim Crescentii, ipsam molem Hadriani, dictam S. Angeli obtinentes*, liberum per pontem Tyberis iter non permittebant, addit is auctor; Lateranense etiam Palatium hoc eodem anno Urbanus Papa in suam potestatem redegit, ut Gosfridus Vindocinensis Abbas anno elapso in Bernonis locum electus

Urbanus Papa Lateranense Palatium occupat

JESU CHR. AN. 1094.

ctus, & ab Ivone Carnotenſi Epiſcopo non Kal. Septemb, conſecratus in epiſtola ad Paſchalem ſecundum Urbani ſucceſſorem narrat his verbis. *Primo anno, quo Deo volente, vel permittente nomen Abbatis ſuſcepi, audivi piæ recordationis Dominum Papam Urbanum in domo Joannis Frangipane latitare, & contra Guilbertiſtam hæreſim viriliter laborare. Licet locus noſter pauper eſſet, Romam tamen veni, illius perſecutionum, & laborum volens particeps fieri, & ſuam pro poſſe meo deſiderans ſupplere inopiam, quod & Dei gratia feci. Mala quæ in itinere & in civitate paſſus ſum, noſtrorum per omnia, ne agnoſceret, factus famulus famulorum, longum eſt enarrare: Quaſi alter Nicodemus ad Dominum Papam in domum prædicti Joannis nocte veni: ubi eum pene omnibus temporalibus bonis nudatum, & alieno ære nimis oppreſſum inveni. Ibi per quadragenam manſi cum illo; & , ſi jam eſt profiteri veritatem, ejus onera, in quantum potui, charitatis humeris ſupportavi. Quindecim vero diebus ante Paſcha Ferrucius, quem Lateranenſis Palatii cuſtodem Guibertus fecerat, per internuntios locutus eſt cum Domino Papa, quærens ab eo pecuniam, & ipſe redderet illi turrim, & domum illam. Unde Dominus Papa cum Epiſcopis, & Cardinalibus, qui ſecum erant, locutus, ab ipſis pecuniam quæſivit. Sed modicum apud ipſos quid, quoniam perſecutione, & paupertate ſimul premebantur, invenire potuit. Quem ego, cum non ſolum triſtem, verum etiam præ nimia anguſtia lacrymantem conſpexiſſem, cœpi & ipſe flere, & flens ad eum acceſſi, dicens, ut ſecure cum Ferrucio iniret pactum. Ibi aurum, & argentum, nummos, mulas, & equos expendi; & ſic Lateranenſe habuimus, & intravimus palatium: ubi ego primus oſculatus ſum Domini Papæ pedem, in ſede videlicet apoſtolica, in qua longe ante catholicus non ſederat Papa.* In his mirari licet hinc moderationem Urbani Pontificis, qui in tantis anguſtiis armorum vim non adhibuit: inde Goffridi liberalitatem, omnia in uſus Papæ expendentis. Eademque epiſtola ad Paſchalem ſcribit, *tredecim millia ſolidorum ſuæ monetæ in Romanæ Eccleſiæ ſervitio expendiſſe.* Tanta autem munificentia ſine fructu non fuit, nam Romæ Presbyter ordinatus, inveſtituram Eccleſiæ Beatæ Priſcæ per manum Domini Papæ Urbani recepit, quam prædeceſſores ſui longe ante poſſederant; ſed inde ejecti, quia Guiberto obedire noluerant, ut ipſe in epiſtola ad Honorium Papam teſtatur. In iis anguſtiis Urba-

Apud Labb. biblioth. Mſs. to. 1. p. 288.

Goffridi epiſt. ad Paſchalem biblioth. PP. tom. 21. p. 8.

Goffridus Abbas pecuniam Urbano Papæ offert.

Biblioth. PP. tom. 21. epiſt. 14. 15.

Urbanus constitutus Rainaldo S. Cypriani apud Pictavos Abbati scribens, jussit, ut adjuncto sibi Gervasio S. Savini Abbate, collectas in Gallia, maxime in Aquitania faceret ad sublevandam Romanæ Ecclesiæ inopiam, in eamque rem alteras scripsit litteras Episcopis, & Abbatibus per Aquitaniam, Vasconiam, & inferiorem Burgundiam constitutis, quos omnes hortatur, ut Ecclesiæ Romanæ in ea necessitate succurrerent, & per Rainaldum Abbatem oblationes suas, *adscripto nominis sui titulo*, ut quod quid quisque obtulisset facile dignosceretur, sibi mittere non differant. JESU CHR. AN. 1094.

Urbanus Papa collectam in Gallia indicit.

2. Hoc autem anno, ut narrat Bertholdus in chronico, Gebeardus Constantiensis Episcopus Concilium Constantiæ celebravit. *In hebdomada majori ante Paschæ, cum Abbatibus, & Clericis innumerabilibus, & cum prædictis Ducibus, & reliquis Alemaniæ Principibus canonice celebravit. Ibique multa, quæ corrigenda erant, correxit. Ibi etiam incontinentiam presbyterorum, ac violentiam simoniacorum adeo prohibuit, ut etiam populum ab eorum officio sub banno prohibuisset, si ipsi in tali facinore positi, contra fas, & jus ministrare præsumpsissent.* His alia ad ecclesiasticam disciplinam restituendam addidit, ut scilicet Jejunium Martii in prima Quadragesimæ hebdomada servaretur, & jejunium Junii in hebdomada Pentecostes; Insuper jussit, ut tam in Paschatis, quam Pentecostes festo tres tantum dies festi celebrarentur, cum antea ibidem tota Paschatis hebdomada festiva esset, in Pentecoste vero unica tantum, seu prima dies.

Concilium Constantiense. *Labb. to. 10. pag. 497.*

3. In eo Concilio Adelaides, Praxedes etiam dicta, Henrici uxor, quem varie vexatam Veronæ in arcta custodia detinuerat, quæque Mathildis opera e carcere aufugerat, ad Synodum querelas suas adversus Henricum expositi; *Querimonias Praxedis Reginæ, quæ dudum ad Welphonem Ducem Italiæ* & Mathildis maritum; *a marito suo Henrico Rege discessit, ad Synodum Constantiensem pervenit, quæ se tantas, tamque inauditas fornicationum spurcitias, & a tantis passam fuisse conquesta est, ut etiam apud inimicos fugam suam facillime excusaret, omnesque catholicos, ad compassionem tantarum injuriarum sibi conciliaret &c.* Hic porro Gebehardus Constantiensis Episcopus, in locum Ottonis a Gregorio septimo ea Sede dejecti, substitutus, non tam auctoritate sua agebat, quam delegata. *Nam legatus fuit Apostolicæ Sedis per Teutonicam terram usquequaque,*

Adelaidis, seu Praxedis querelæ ad synodum delatæ.

Donizo lib. 2. cap. 8.

JESU CHR. AN. 1094. ait Bertholdus ibidem. De Praxedis autem Reginæ fuga ab Veronenſi ergaſtulo ope Mathildis hæc narrat Donizo in vita Mathildis;

Murat. to. 5. rer. Ital. p. 373.

Aſt de Regina Praxede tamen metra dicant
Sic timet ipſa virum, dentem velut agna lupinum
Cumque timore tremit furtim munimina quærit
Mathildis, poſcens, ut eam disjungat ab hoſte
Aſpiciens Debora nova tempus iniſſe vel horam
Hunc ut proſternat Siſaram, clum quippe catervam
Veronam mittit, Regina manebat & illic:
Privatum venit, (ſeu potius privatim) *Jabel venit, defertur, læta recedit*
Regis eam ſervi perdunt ſtrepitu ſine belli
Suſcipitur rectè, reverenter, nobiliterque &c. ab Mathilde ſcilicet, ut ibidem legitur.

Urbanus Papa in Thusciam, & Longobardiam tranſit.

4. Interea cum catholicorum vires, & numerus in Italia, & Germania augeretur, ad confirmandos in fidelitate Romanæ Eccleſiæ, & ſubjectione Urbani Papæ Italiæ Epiſcopos, & Proceres cum ſubjectis ſibi populis, Mathildis Comitiſſa Urbano Papæ ſuggeſſit, ut in Longobardiam pergeret; de quibus hæc Donizo in vita Mathildis.

Creſcit ob id felix Chriſti victoria
Eccleſiæque Duci, paſtori ſcilicet urbis;
Hanc rem Reginæ miſſi referunt Comitiſſæ:
Hoc quicumque ſcelus cognoſcebat fore verum,
Spernebat Regis ſectam, pariterque Guiberti:
Partibus in cunctis pars Petri maxime ſurgit;
Dux bonus Urbanus factis & nomine clarus
Eſſe triumphandi tempus de Principe Raſin
Percipiens, Romam dimittens venit ad oras
Longobardiæ cum conſilio Comitiſſæ,
Quæ ſuſcepit eum, ſanctum penitus quaſi Petrum.
Pontificis dextra benedicitur iſta Poteſtas.

Tunc paſtor ſanctus Synodum celebravit &c. Placentiæ, ſcilicet anno ſequenti, ut ibidem dicturi ſumus; hoc autem anno Urbe egreſſus Urbanus, *Natalem Domini in Thuſcia glorioſiſſime cele-*

celebravit, ait Bertholdus ad annum 1095., cujus initia pro more suo cum Natale Domini allegat.

Jesu Chr. an. 1094.

5. De Concilio autem in Galiis habito ab Hugone Romanæ Sedis legato, in quo Henricus iterum cum Guiberto excommunicatus fuit, unaque cum iis Rex Francorum Philippus ob divortium cum Berta uxore sua tentatum, hæc idem Bertholdus natrat. *In Galliarum civitate, quam Ottionem vulgariter dicunt, seu potius Eduam, congregatum est generale Concilium a venerando Hugone Lugdunensi Archiepiscopo, & Sedis Apostolicæ Legato, cum Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus diversarum provinciarum decimo septimo Kal. Novemb. In quo Concilio renovata est excommunicatio in Henricum Regem, & in Guibertum Sedis Apostolicæ invasorem, & in omnes eorum complices. Item Rex Galliarum Philippus excommunicatus est, eo quod vivente uxore sua, alteram superinduxit. Item simoniaca hæresis & incontinentia sacerdotum sub excommunicatione damnata est. Item Monachis interdictum est in eodem Concilio, ne parochialium sacerdotum officia in parochiis usurpent. Hæc,* inquam, *omnia ibi sunt constituta, & Apostolica legatione firmata.* Hæc ipse de hac Synodo in chronico Flavianicensi Abbas. *Anno ab Incarnat. Domini* 1094. *Concilium habitum est apud Eduam triginta duo Episcoporum a Domno Ugone Lugdunensi, cui etiam interfuerunt Abbates quamplurimi, & viri religiosi.*

Concilium Gallicanum seu Augustodense.

Labb. to. 10. pag. 500.

Apud Labb. biblioth. Mss. p. 240.

6. Concilio causam dedit illicitum Philippi Regis divortium ab uxore sua Bertha, ut Bartradam, quæ Fulconem Andegavensem Comitem reliquerat, thoro suo sociaret biennio ante, seu anno 1092. ut his verbis indicat Clarius, seu quisquis alter chronici Petri vivi qui, ait: *Anno* 1092. *Philippus Rex dimisit uxorem suam nobilissimam de qua habuit filium suum Lodovicum, & accepit Bertradam, quæ reliquerat Fulconem Andegavensem Comitem*; Ordericus etiam de gestis circa annum 1092. agens, *circa hæc tempora* addit *in Regno Galliæ fœda turbatio exorta est. Bertrada enim &c.* ob Philippi scilicet connubium cum Bertrada: ut Philippi Regis illicitam, quin & nefariam copulam cum fama didicisset Urbanus Papa ad Rainoldum Remensem Archiepiscopum litteras dedit, quibus rem gestam, utpote divinis, humanisque legibus improbatam condemnat; eumdemque, ut tantum scelus vindicaret, his verbis excitat. *Te autem carissime frater Rainalde noxa*

Philippus Rex Franciæ, Berta uxore dimissa, Bertradam ducit *Dacherii spicileg. tom. 2.*

Urbani II. Papæ epist. de illicitis Philippi nuptiis.

JESU CHR. AN. 1094. *Labb. to.10. p.463.*

noxa hæc maxime impetit, pro eo quod Sylvanectensis subjectus tibi Episcopus hoc publici adulterii crimen, suo, ut audivimus, firmavit assensu, benedictionis sacerdotalis manus imposuit. Quod etsi licite nuberent, bigamis tamen impendi secundum canones non liceret. Nunc igitur vobis Apostolica auctoritate præcipimus, ut his visis apicibus, quod etiam non jubentibus nobis jam dudum feciſſe veſtram prudentiam decuiſſet, mature convenire curetis Regem, & ex Dei, & noſtra pariter, & veſtra parte inſtanter commoneatis, arguatis, obſecratis, increpetis, & a tanto, tamque horrendo facinore deſiſtere compellatis. Quod ſi contempſerit, & vobis & nobis neceſſitas imminebit, ut ad ulciſcendas divinæ legis injurias, pro noſtro officii debito accingamur, & Phinees gladio Madianitas adulteros perforemus &c. ac data dicitur. *Sexto Kal. Novembr. anno videlicet Dei Chriſti* 1092.

Ivo Carnot. Episc. nuptiis adesse recusat, ceteros ab iisdem revocat. *Ivonis ep. 14.*

7. Cumque ut illicitis nuptiis aſſiſterent, Epiſcopos Philippus Rex invitaſſet, unus præ ceteris Ivo Carnotenſis renuit; ceteroſque ut itidem facerent, his litteris hortatus eſt; *Archiepiſcopis, & Epiſcopis ad regales nuptias invitatis Ivo humilis cum ſpiritu conſilii ſpiritum habere fortitudinis. Exemplar litterarum, quas miſi domino noſtro Regi, charitati veſtræ tranſmitto, ut eandem cauſam me habere ſciatis, quam & vos habetis: cur nuptiis ad quas vocati eſtis, ſubtrahere vos debetis. Vos igitur, qui conveniſtis, nolite fieri canes muti, latrare non valentes, ſed ſicut boni ſpeculatores, videntes gladium convenientem ſuper terram, buccina inſonate. Ut cum feceritis quod debetis, veſtras animas, & eorum, qui ad vocem buccinæ ſe obſervaverint, vobiſcum liberetis. Exemplar autem hoc eſt: Domino ſuo Philippo magnifico Francorum Regi, Ivo humilis Carnotenſium Epiſcopus ſic militare in regno terreno, ut non privetur æterno. Sicut ſerenitati veſtræ dixi præſens ante juramentum veſtrum, ita nunc ſcribo abſens, quia huic nuptiarum ſolemnitati, ad quem vocatis, intereſſe nec volo, nec valeo, niſi prius generalis Concilii definitione decretum eſſe cognoſcam, inter vos & uxorem veſtram legitimum interveniſſe divortium, & cum iſta quare ducere vultis legitimum vos inire poſſe Matrimonium &c.* his addit, quod ſi ad cauſæ diſcuſſionem vocatus fuiſſet, certe præſentiam ſuam negaſſet; *Nunc vero ſubdit, quia abſolute vocor ad Pariſium cum uxore veſtra veniam, de qua neſcio utrum poſſit eſſe uxor propter conſcientiam meam, quam coram*

Epiſt. 15.

Deo

Deo conservare debeo, ac propter famam, quam Christi Sacerdotem bonam habere oportet apud eos, qui foris sunt, malo cum mola asinaria in profundum mergi, quam per me mentibus infirmorum tamquam cæco offendiculum poni &c., ac ne muliebri illecebra capi se sinat, hortatur; exemploque Adami, & Sampsonis ab illicitis nuptiis revocare conatur. JESU CHR. AN. 1094.

8. Ad Rainaldum vero Remensem Archiepiscopum scribens, ut sibi caveret admonet, ac qua mente præditus esset; & cuncta potius pati, quam incestis nuptiis consensum præbere se paratum esse his verbis indicat. *Nuper enim*, ait, *cum a Domino Rege fuissem invitatus ad colloquium, quorundam malevolorum meorum suggestione obnixe me rogavit, ut essem ei adjutor in celebrandis nuptiis, quas facere disponebat de Bertrada dicta conjuge Comitis Andegavensis. Ad quod cum respondissem, non ita oportere fieri, quoniam nondum esset causa definita inter eum & uxorem ejus, testatus est, pleniter definitam esse Apostolica auctoritate, & vestra, vestrorumque Coepiscoporum laudatione. Quo audito, respondi, me hæc ignorare, nec hujusmodi nuptiis velle interesse, nisi vos earum essetis conjerator & auctor, & Coepiscopi vestri assertores & cooperatores: quoniam id competit juri ecclesiæ vestræ ex Apostolica auctoritate, & antiqua consuetudine. Quoniam igitur confido de religione vestra, nihil vos de re tam periculosa, & famæ vestræ, & honestati totius regni tam perniciosa facturum, dicturumve, quod non auctoritate vel ratione nitatur: studiosissime & devotissime obsecro charitatem vestram, ut mihi fluctuanti veritatem hujus rei quam scitis, aperiatis, & sanum consilium licet arduum & asperum super hoc præbeatis. Malo enim perpetuo officio & nomine Episcopi carere, quam pusillum gregem Domini mei legis prævaricatione scandalizare. Sunt etiam latentes causæ, quas interim tacere me convenit, propter quas hoc matrimonium laudare non possum. Vale.* Ivonis epist. ad Rainaldum Remen. Episc.

9. Quot modis tentatus Ivo, quantave pati coactus fuerit, eo quod illicitis Philippi Regis nuptiis adesse, aut consensum præbere recusaverit, in epistola ad Villelmum data pluribus exponit. *Magnis honestatis propugnatoribus*, ait, *Joanni scilicet, & Eliæ assimilari me voluit in litteris vestris vestra fraternitas, quarum sanctitati quamvis longe impares simus, eorum tamen vestigia honorare, mirari, & imitari, quan-* Ivo ob negatum nuptiis consensum, persecutionem sustinet. *Ivon. ep. 19.*

Jesu Chr. an. 1094.

quantum exoptamus, donante Deo, possumus. Unde non tantum a Rege, cujus illicito conjugio contradiximus, verum etiam a quibusdam aliis filiis hujus seculi, quorum perversitatibus, quantum possumus, reluctamur, bonorum ecclesiasticorum gravia damna perpetimur, quorum direptionem lucri majoris compensatione per Dei gratiam longanimiter sustinemus, & majora, si necesse sit, subire parati sumus, attendentes illud Apostoli: 2. *ad Timot.* 2. *Quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis &c.* hæc, & alia ibidem.

Ivo Carnot. Episc. bona Ecclesiæ sibi restitui postulat. 10. Quia vero bonorum suorum, seu potius Ecclesiæ jacturam fecerat, in extrema necessitate constitutus, ut sibi restituerentur, his alteris litteris Philippum Regem rogavit. *Philippo piissimo Francorum Regi domino suo Ivo humilis Carnotensium Episcopus, sic gubernare temporale regnum, ut non amittas æternum. Quoniam præcedente divina gratia de stercore pauper usque ad solium Principum per manum vestram elevatus sum, fateor me post Dominum pro posse meo cuncta vobis debere, quæ vestro congruunt honori, & saluti. Sed quia exasperatus propter salubres monitus, quos serenitati vestræ ex summa fidelitate, & charitate direxi, me diffiduciastis, & bona Episcopalis domus diripienda adversariis nostris exposuistis: gravia, & grandia inde perpessus incommoda, regali curiæ ad præsens nec secure possum interesse, nec honeste. Supplico itaque majestati vestræ, ut regia interim manſuetudine supportetis, donec possim aliquantulum respirare, & damna quæ mihi usque ad penuriam panis inflicta sunt, aliqua ex parte reparare &c.*

Epist. 2.

Ivo Carnot. Episc. in carcerem conjicitur. 11. Post bonorum direptionem eousque in Ivonem Philippi Regis persecutio processit, ut Vicecomitis opera in carcerem conjiceretur, ex qua cum vi adhibita a suis Carnotensibus eripiendus esset, idem Ivo litteris datis prohibuit; *Audivi Primates urbis vestræ*, ait, *ad invicem conjurasse, guerram se facturos adversus Vicecomitem pro mea liberatione. Quod nequaquam mea liberatio est, sed inclusionis meæ non solum exasperatio, sed interminata productio. Quare ne fiat, prohibeo, interdico. Nec enim incendiis domorum, depræda-*

Epist. 20.

tionibus pauperum potestis Dominum placare, sed vehementer asperare, sine cujus beneplacito, neque vos, neque aliquis poterit me liberare. Nolo ergo ut adversum me implere faciatis aures Dei pauperum clamoribus, lamentis viduarum. Neque enim decens est, ut qui armis bellicis ad Episcopatum non veni, armis bellicis recu-

recuperem, quod non eſt paſtoris, ſed invasoris &c., ac ut orationibus tantum apud Deum ſui liberationem ſollicitarent admonet, ut ibidem videre eſt; Paulopoſt tamen e carcere divina ope, & S. Juliani interceſſione liberatus ad Hoellum Cenomanenſem Epiſcopum ſcribens, immenſas Deo gratias agit, & ut partem reliquiarum S. Juliani ſibi mitteret, enixe rogavit, ut ibidem, vel apud Baronium anno 1095., qui paſſim integras epiſtolas recitat, videre eſt. Pro liberatione autem Ivonis ſollicitum quoque fuiſſe Urbanum Papam indicat ſupradicta ejuſdem epiſtola, ad Rainaldum Remen., qua poſt tractatam Philippi Regis cauſam, de Ivone ſubdit. *Eamdem quoque inſtantiam pro ereptione fratris noſtri Carnotenſis Epiſcopi adhibe*; quod ſi præceptis non paruerit, *ipſum excommunicationi ſubjicite, & Caſtellis in quibuſcumque eum retinuerit, & terræ ejus divinum officium interdicite*, ait Pontifex.

JESU CHR. AN. 1094.

Epiſt. 21.

Labb. to. 10. p. 463.

12. Interea Ivo tot undique anguſtiis preſſus, cum pene ſolus conſtanti animo, & ſacerdotali libertate, inceſtis Philippi Regis nuptiis reſiſteret, ac de Epiſcopatu abdicando cogitaret, accidit, ut clericum quemdam ſuæ Diœceſis ob monetam furtim in domo ſua cuſam, officio removeret; at is ad Sedem Apoſtolicam profectus, mendaciis ſuis effecerat, ut Urbanus Papa pro ejuſdem reſtitutione ad Ivonem ſcriberet, quod cum gravate tuliſſet Ivo cum eodem Urbano Papa litteris ſuis conqueſtus; *Urbano Summo Pontifici Ivo ſpiritualis ejus filius, non ſervilis timoris, ſed caſtæ dilectionis obſequium; Ad viſitandam paternitatis veſtræ dulcedinem, ad revelandas quotidianas cruces meas præſentiam veſtram jam ſæpe adire proposui, ſed impediente Satana votum meum adhuc adimplere non valui. Nam ad beſtias quotidie pugnans &c.*, ac quanta perferret, lamentabili ſtylo exponit, ac ſubdit, *Hoc ideo ſuggero ſanctitati veſtræ, quia quidam clericus noſtræ urbis falſis delationibus aures veſtræ pietatis jam ſecundo pulſavit, dicens ſe per conjecturas accuſatum, & de ſola ſuſpicione proſcriptum. Sed cauſa illa, propter quam a Clero ſeparatus eſt, tam manifeſtis indiciis eſt revelata, tam certa accuſatione publicata, tam evidenti exitu comprobata, ut nemini non tantum civium, ſed etiam comprovincialium dubium ſit, quin in domo ſua faltam monetam fabricari fecerit, & in quadam Eccleſia ejusdem præpoſituræ, quam ei Gaufredus vendiderat,*

Ivonis querela ad Urbanum Papam.

Ivo epiſt. 25.

JESU CHR. AN. 1094.

rat, contra voluntatem omnium fratrum. Hoc publicum facinus, & quædam ejus horrenda flagitia, Deo volente, vera esse probabo suo tempore in vestra præsentia. Ideo sacramentum quod mihi obtulit, intuitu charitatis nolui suscipere, sciens eum peccatum perjurii priori peccato velle superponere. Tamen propter reverentiam vestræ paternitatis, ad quam confugerat, quamvis dolose, interim volui ei redditus unius præbendæ intergerrime dare, & cibum mecum in mensa, donec possem de hoc negotio in præsentia vestra agere, & consilio vestro, quæ restituenda viderentur, misericorditer restituere. Ipse autem uti superbus & arrogans est, tamquam falso dicendo perditam recuperasset innocentiam: neque mihi, neque amicis suis voluit acquiescere, nisi quæcunque petebat, & in manu mea non sunt, & ab his qui ea legitime acceperunt, invitis auferri non possunt, redderem integerrime. Igitur secundum quod placuerit discretioni vestræ, aliquid tale super hoc parvitate meæ rescribite, quod huic stulto & cæteris cornua non addat, & vires meas non excedat. Ipse autem nunc ad vos venire disposueram, sed ille publicavit adventum meum studiosissime per totam Romani itineris viam. Quæ damna, quas passiones, quas persecutiones intus & foris hoc anno pro lege Dei pertulerim, nota vobis facere poterit ille frater. Litteras sanctitatis vestræ, securus mei periculi Metropolitanis, & eorum suffraganeis sine mora direxi. Adhuc tumen tacent, tanquam canes muti non Isai. 15. *valentes latrare. Valete.* Galliarum Episcopos redarguens, qui Philippi Regis libidini resistere non audebant.

Remis Concilium Philippus Rex congregat.

13. Philippus autem Francorum Rex, cum ab Ivone Carnotensi, aliisque Episcopis nuptias suas cum Bertrada initas reprobari sciret, concilium Remis, hoc eodem anno congregavit, de quo hæc Clarius, seu alius coevus auctor in chronico Petri vivi. *Anno* 1094. *congregavit Philippus Rex Archiepiscopos, & Episcopos Regni sui in Remensi Urbe, & obtinuit ab Archiepiscopo* (nempe Sononensi) *Richerio magnis precibus, ut Remis ad Concilium non dedignaretur ire; attendens Raynaldum Remensem Archiepiscopum podagrico dolore contractum non posse progredi de sua sede: & perrexit Richerius Archiepiscopus Remis, & susceptus est cum maximo honore a Raynaldo Archiepiscopo, & universo Clero Ecclesiæ Remensis, & sedit in Concilio in nullo inferior Remensi Archiepiscopo, sed penitus par & æqualis, utpote qui non per aliquod debitum illuc*

Apud Dacherii spicilg. tom. 1.

illuc perexerat, sed per dilectionem, & orationem Regis. Eodem anno obiit Berta Regina, quæ a Rege Philippo prius fuerat derelicta, ipso Rege adhuc tenente Bertradam; quam huic superduxerat, reclamante justitia &c. JESU CMR. AN. 1094.

14. Remensi Synodo Ivo non adfuit, eo quod ibidem pro justitia, & veritate se certare non posse præviderat, ut in epistola ad Richerium Senonensem Archiepiscopum pluribus persequitur. Inter cetera, *Quantum vero*, inquit, *ex intentatis minis intelligo, non liceret mihi in conventu vestro impune dicere veritatem, qui pro jam dicta veritate, & Apostolicæ Sedis obedientia tantam sentio severitatem, & perjurium arguar incurrisse, & Majestatem Regiam minuisse. Quot, ut pace vestra dicam, rectius in eos retorqueri potest, qui vulnus fomentis incurabile, tanquam pii medici cauteriis competentibus dissimulante, urere, vel medicinali ferro præcidere. In qua sententia si mecum firmiter fuissetis, jam ægrotum nostrum* (nemve Philippum Regem) *ad sanitatem perduxissetis. Quod quandiu differtis, videte si fidelitatem quam debetis, pleniter exhibetis, si officii vestri munus expletis. Faciat Dominus Rex adversus parvitatem meam quantum Deo permittente libuerit, & licuerit: includat, excludat, proscribat, inspirante Dei gratia, & prosequente, decrevi pati pro lege Dei mei, nec ulla ratione cogente volo ei consentaneus in culpa esse, qui nolo consors esse in pœna &c.* hujus concilii mentio fit in epistola Raynaldi Remensis ad Robertum Flandriæ Comitem apud Dacherium, ac die decimaquinta Kal. Octobris, quæ Dominica erat, celebratum fuisse scimus. Cur Synodo Remensi non adfuerit Ivo Episc. rationem reddit. *Epist. 35.* *Dacherii spicileg. tom. 3.*

15. His autem gestis, & conciliis hoc tempore in Gallia congregatis, Hugo Lugdunensis Archiepiscopus, & Romanæ Sedis legatus præfuit; ad quem Ivonis extat epistola, qua eum ne oblatum honorem, & opus recusaret, hortatur. *Audivi dominum Urbanum Apostolicum legationem Apostolicam tuæ credidisse charitati, qua laudabiliter functus es tempore prædecessoris sui beatæ memoriæ Papæ Gregorii. Audivi & lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, tum propter sinceram, qua te amplector charitatem, tum propter communem Ecclesiæ Christi utilitatem. Sed hanc meam lætitiam postea perturbavit, quod mihi dictum est, te in tanta perturbatione humerum huic oneri nolle supponere, dissuasione quorundam, dicentium propter languidum caput ægrotanti corpori pene viribus destituto non posse.* Ivonis epistola ad Hugonem Romanæ Sedis legatum. *Epist. 24.*

JESU CHR. AN. 1094.

commode subveniri. Et ut horum consilia despiceret, fortique animo injunctam legationem susciperet, hortatur, ac ut ad se rescribat, & quo loco circa initium Quadragesimæ eum convenire poterat, sibi indicaret, rogat.

Marcianensium Monialium mira fides, & constantia. *Petr. Abb. venerab. lib. 1. de mirac. cap. 22.*

16. De Hugone Lugdonensi Archiepiscopo, & Romanæ Sedis legato, rem miram narrat Petrus Venerabilis Abbas, ab iis, qui intererant, acceptam, de mira Marcianiensium Monialium fide, & in claustrali clausura servanda, constantia. In eo quippe Monasterio, ait Venerabilis Abbas, nobilium mulierum multitudo, & Regiæ puellæ confluebant, quæ omnes mulierem mollitiem supergressæ, corpus animo, animum Deo penitus subigebant, opere manum, psalmorum cantu, oratione assidua, fletuque continuo, aut præteritæ vitæ nævos abluentes, aut meritorum cumulos augere certantes. Illud autem apud eas singulare erat, quod perpetua & inviolabili se clausura constringerent, interdicta quavis occasione, ut vel mundus in eis videat quod concupiscat, vel ipsas aliquid noxium, vel in excursu videre contingat. Eadem ratione, ut numquam a quoquam conspici possent, ab ipso in religione ingressu oculos, velo penitus obvelatas & facies circumtectas habebant. Sic mundo mortuæ, & vitali, ut ita dicam, inclusæ sepultura, prius mori quam limen suæ reclusionis transgredi malebant, quod sequenti exemplo manifeste patuit. Forte incendium in proximis illius villæ domibus subortum est, quod venti impulsu Monasterii habitacula corripere cœpit. Fit ab omnibus concursus ad repellendum vel restinguendum ignem: at, cum irritl essent conatus, una omnium vox & sententia erat, ancillas Dei simul cum Monasterio perituras, nisi e claustris egrederentur. Forte Marciniaci tunc aderat venerabilis Hugo Lugdunensis Archiepiscopus, & Apostolicæ Sedis legatus, ad quem omnes accurrunt, rogantque, ut inclusis sanctis mulieribus exitum persuadeat. Mox ille claustrum ingreditur, omnesque hortatur, ut imminenti periculo cedant. At illæ potius se mori velle, quam propositum suum, & Abbatis sui præceptum infringere constanter affirmant. Legatus vero auctoritate Beati Petri, & Domini Papæ, cujus vice fungebatur, earumque Abbati eis præcipit, ut egrediantur, nec se cum suis habitaculis incendio concremari sinant. Ad hæc quædam magnæ nobilitatis, & sanctæ conversationis soror, Gisla nomine, quam Petrus Venerabilis se multoties vidisse asserit, fide succensa respon-

ſpondiſſe traditur, ſe ex timore Dei, & præcepto Abbatis ſui, ut ignem æternum evaderent, in hæc clauſtra in perpetuum recluſiſſe, nec ullo pacto præfixos ſibi pœnitentiæ limites ſaltem vel uno pedis paſſu tranſgredi velle, niſi ab eo, qui ipſas recluſerat, ſolverentur. Noli ergo, Domine, inquit, ſi placet, hoc injungere, quod nobis agere non licet, ſed potius igni, ut a nobis fugiat, virtute Chriſti Domini noſtri armatus præcipe. Miratus Legatus fidem mulieris, & ipſe mox fide repletus, lacrymis ora perfuſus, ad flammas converſus dixit: *In nomine Domini, & per virtutem fidei hujus, quæ nunc locuta eſt, mulieris, recede ignis peſtifer ab ancillarum Dei habitaculis, nec damna aliqua ultra inferre præſumas.* His prolatis, mirum dictu! flammarum globi velut ferreo muro obſtante, ultra progredi non valuerunt, & abſque ullo humano ſubſidio, abſque vel modica pluviæ aqua, incredibili celeritate ignis penitus extinctus eſt, obediente igne voci hominis, idque Petrus, ab iis ipſis, qui viderant, ſe accepiſſe teſtatur. JESU CHR. AN. 1094.

17. Nondum, aut vix Cantuarienſem Sedem per annum Anſelmus tenuerat, cum magna inter eum, & Gulielmum Angliæ Regem diſſidia excitata ſunt; Prima diſſidii cauſa, Gulielmi Regis immodica pecuniarum cupiditas fuit, qua Eccleſiarum, Monaſteriorumque bona retinebat; etenim ob tranſmarinum bellum adverſus Robertum fratrem ſuum Nortmanniæ Ducem ſuſceptum, pecunia indigebat; cui quinquaginta auri libras Anſelmus ſponte ſua obtulit, quam ſummam tamquam modicam Rex reſpuit, Regi quippe conſiliarii peſſimi ajebant. *Tu cum præ ceteris Angliæ Principibus honoraſti, ditaſti, exaltaſti: & nunc cum tua neceſſitate conſiderata, duo millia, vel certe, ut leviſſime dicatur, mille libras pro agendis munificentiæ tuæ gratiis, tibi dare deberet, quingentas pro pudor! offert. Sed paullulum ſuſtine, faciemque tuam ſuper eo commuta; & videbis, quod conſueto aliorum ductus terrore, ovans, ad tuam benignitatem recuperandam quingentis quas offert, totidem libris adjiciet.* Id ubi Anſelmo nuntiatum fuiſſet, regem adiit, ſciſcitaturus an tale mandatum a rege proceſſiſſet; factuſque ea de re certior, regem rogavit, ut oblatam ſummam acciperet. Exiguum quidem munus eſſe, ſed non ultimum fore. Porro honeſtius eſſe pauca cum libertate, & ſæpe accipere, quam vi plura extorquere. At rex iratus, Anſelmi altercatio cum Gulielmo Angliæ Rege.

JESU CHR. AN. 1094.

tus, *sint*, ait, *cum jurgio tua tibi, sufficient mea mihi. Vade.* Recessit itaque Anselmus gratias Deo agens, quod res ita cessisset, ac paratam pro Rege pecuniam pauperibus sublevandis destinavit.

Anselmi admonitio ad Gulielmum Regem.

18. Interea cum apud Hustingam convenissent Episcopi, benedictionem Gulielmo transfretaturo in Nortmanniam impertituri, cum iis Anselmus quoque adfuit, qui Regem rogavit, ut ad emendanda quæ in Regno vigebant flagitia, concilium generale Episcoporum, quod a multis retro annis factum non fuerat, congregari permitteret. Ad quem Rex: *Cum*, inquit, *mihi visum fuerit, de his agam, non ad tuam, sed ad meam voluntatem: Instanti viro Dei, ut id pro Deo, & pro Rege fieret; Sufficiat*, dixit ille, *nolo inde ultra loquaris:* Nec plura de his Anselmus, sed vertit sermonem ad alium malum, cui remedium a Rege adhiberi suadebat: complures abbatias pastoribus esse destitutas addidit, ex quo fiebat, ut Monachi impune in animarum suarum perniciem vagarentur, quare, ut quantocius in viduatis monasteriis idoneos abbates institueret, rogavit, tunc animum suum princeps cohibere non potuit, sed supra modum ira inflammatus, dixit! *Quid ad te? nonne meæ sunt abbatiæ. Hem tu quod vis agis de tuis villis; & ego non agam quod volo de Abbatiis meis?* Ad quod Archiepiscopus: *Tuæ quidem sunt, ut illas, velut advocatus defendas atque custodias; non ut invadas aut devastes. Dei scimus eas esse, ut sui ministri inde vivant, non quo expeditiones & bella tua inde fiant. Denique villas & quamplures reditus habes, unde pleniter administrare tua potes: Ecclesiis si placet, sua dimitte.* Hæc quidem non sine irati animi indicio audivit Rex, ac nullum ex Anselmi antecessoribus talia patri suo loquutum fuisse addidit.

Anselmus Romam eundi licentiam petit.

19. Cumque ab exasperato, vel potius efferato Rege nihil se obtinere posse prævideret Anselmus, sub obtentu obtinendi pallii, quod præsentibus, ut plurimum dabatur, ut sibi liceret ad urbem pergere, licentiam petiit; At *Ille*, ut narrat Edmerus in vita Anselmi, *ad nomen Urbani turbatus dixit, se illum pro Papa non tenere, nec suæ consuetudinis esse, ut absque sua electione alicui liceret in regno suo Papam nominare. Hinc igitur orta quædam dissensio gravis est, sed in aliud tempus discutienda est dilata. Jubetur ergo ut totius Angliæ Episcopi, Abbates, & Principes in discussione dissidii hujus, apud Castrum*

quod

quod Rothingebum dicitur, ventant. Quod anno sequenti factum est; ut ibidem dicturi sumus. JESU CHR. AN. 1094.

20. Attrebatensis quondam nobilis, & populosa civitas, temporum injuria, barbarorumque incursionibus imminuta, Episcopalem Sedem, quæ Remensi Metropolitano subjecta fuerat, perderat, & Cameracensi Diœcesi subjecta remanserat; hoc tempore Clerus, populusque Attrebatensis, ut Episcopalis ibidem Sedes restitueretur ab Urbano Papa petierat; Justæ Attrebatensium postulationi favens Pontifex, ut sibi Episcopum eligerent, facultatem tribuerat, ac Lambertum ab iisdem electum Raynaldo Remensi Archiepiscopo scribens, ut eum ordinaret jusserat; in quam rem plures extant Urbani Papæ epistolæ ad Clerum, populumque Attrebatensem, ad Lambertum ab Attrebatensibus electum, ad Raynoldum Remensem Archiepiscopum, quas sane referre longum esset. In epistola ad Lambertum electum ibidem Episcopum, Episcopatus duodecim Remensi Metropoli, olim subjectos fuisse adnotat; *Inter quat*, ait, *Attrabatenſis nobilis, & populoſa civitas, quæ B. Remigium Epiſcopum Veduſium obtinuit, poſt nonnullorum Antiſtitum obitum Epiſcopalis cathedræ perdidit dignitatem, & per nonnulla tempora Cameracenſi Epiſcopo ſubdita obediòit.* Paulo post: *Nos ergo Attrebatenſis Eccleſiæ reſtitutioni, & Remenſis Metropolis redintegrationi pro noſtri officii debito imminentes, te frater cariſſime Lamberte, Cleri, plebiſque conſenſu electum unanimi B. Vedaſto, & ſanctis, qui in urbe ipſa quondam præſedere Pontificibus, conſtituimus ſucceſſorem.* Vedulfus circa annum Christi 569. Episcopus Attrebatensis ordinatus Cameracum Sedem transtulerat, indeque Episcopatus Attrebatensis nomen perierat, ut habent Ecclesiæ ejusdem tabulæ.

Attrebatensis Ecclesia Episcop. Sedem recuperat.

Ep. ſt. 3. ad 13. in Append. to. 10. concil. pag. 446. & ſeqq.

21. Ut Rainoldus, seu Rainaldus de Lamberto in Attrebatensem Episcopum electum ordinando litteras Urbani Papæ accepit, Urbano respondens reposuit Episcopos suæ provinciæ, & clericos in ea sententia fuisse, ut Lambertum electum Romam transmitteret, Summique Pontificis arbitrio relinqueret; *Timuerunt enim*, inquit, *& timent, ne Cameracenſes ex hoc facto accepta occaſione, ſe ab Remenſi Eccleſia abrumperent, cum & civitas eorum alterius regni* (sc. Germaniæ) *habeatur, & regni cujus Rex nobis, & Eccleſiæ Romanæ jam ex longo tempore inimicatur.* Attrebatenses itaque Lambertum a se electum Episcopum Romam confecrandum transmittere, & litteris suis

Lambertus Attrebatens. Episcop. ab Urbano Papa ordinatur

To. 10. pag. 465. epiſt. Rainoldi ad Urbanum.

JESU CHR. AN. 1904.

suis ibidem relatis Urbanum II. rogarunt, *ut divisio duorum Regnorum, Francorum scilicet, & Teutonicorum, sit Episcopatus nostri meta, sicut antiquis temporibus fuisse per successorum relationem, & alia indicia cognovimus.* Lambertus vir summæ humilitatis Pontificem rogaverat, ut ab imposita sibi electione absolveret, Urbanus tamen Papa præcepit, ut obediret: *Ille tandem acquiescens divinæ ordinationi; & Apostolicæ obeditioni consecratur in Episcopum Romæ apud Sanctam Mariam Novam a sæpius jam dicto Apostolico Urbano, anno Dei Christi* 1093. *xiv. Kal. Aprilis, quæ tunc Dominica* Lætare Jerusalem *habebatur*, inquit, vetus chronologus ineditus a Labbeo pag. 468. citatus, de cujus ordinatione aliæ extant Urbani Papæ epistolæ, vel ad Urbanum datæ ab Lamberto electo, & ordinato, ab Rainaldo Remensi, abClero Attrebatensi, vel ab Lamberto ad Rainaldum, & vicissim a Rainaldo ad Lambertum, quæ ibidem videri possunt.

To. 10. concil. p. 463. ad 471.

Sancius Ramirus Oscam obsidet, ibique obiit. *Mariana to. 1. p. 389.*

22. Hoc tempore, & anno, ut ait Pagius, Sancius Ramirus Aragoniæ, & Navarræ Rex postquam Mauros in Hispania sæpius vicisset, Oscam validissimum Arabum propugnaculum obsedit, cui Abdercharamus Rex præerat, semestrem, vel longiorem etiam, & biennalem obsidionem fuisse auctores tradunt, ibique Sancium Ramirum a Petro filio suo in Regni societatem jam adscito, graviter vulneratum fuisse, qui hoc anno, ut ait Pagius, vel 1096., ut adnotat Mansius vivere desiit. Res præclare a Sancio Ramiro Aragoniæ Rege gestas, tum toto Regni sui spatio, cum in Oscensi obsidione narrat Mariana, quæ ibidem videri possunt; Hujus Sancii Regis extat diploma, quo una cum filio suo Petro, & Felicia uxore pro salute animæ suæ, & parentum suorum decimas ex villis *Sejæ, & Pratelæ* Ecclesiæ S. Mariæ Majoris Silvæ concedit, ac datum dicitur, Æra 1134., ut apud Durand., & Martene legitur, vel 1132, ut legit Pagius, ejusdemque Oscitanæ obsidionis, & possessionis ab Sancio Ramiro initæ mentio occurrit in epistola Urbani Papæ ad Petrum Oscensem Episcopum data, qua ob Oscam ab Seracenorum tyrannide ereptam gratias Deo agens, Episcopalem ibidem Sedem, Charissimi filii nostri Petri Aragonensis Regis instantia restitutam fuisse narrat; Unde post aliqua. *Præsentis ergo decreti auctoritate statuimus; ut eadem Oscitana Ecclesia, totius parochiæ, quæ nunc Jacensis Ecclesiæ subdita est, & ipsius Jacensis Ecclesiæ caput, deinceps temporibus perpetuis habeatur.*

Tagi not. 29. Mansi ibid.

Tom. 1. vet. collect. pag. 271.

Concil. edit. nviss. tom. 20. pag.

JESU CHR. AN. 1094.

beatur. Locus autem Episcopalis Cathedræ in majori illa Mezchita servetur, quam Sancii Regis dono Saracenorum temporibus canonici Domini nostri Jesu Christi Nazareni possederant, sed Petrus ejus filius Rex tuæ fraternitati capta civitate concessit, cujus etiam dona cætera vestræ Ecclesiæ collata, nos præsentis decreti auctoritate firmamus, ut universa prædia, sive possessiones, aut redditus vectigalium, seu tributorum, quæ bon. mem. Ranimirus rex præsentis Regis Petri in Domino carissimi filii avus cum filio suo Sancio Jaccensis Ecclesiæ pro regalis excellentiæ Scripta concessit, Nos largiente Domino supradictæ Oscitanæ Ecclesiæ illibuta in perpetuum permanere censemus. Hæc, & alia ibidem de Oscitanæ Sedis restitutione, & privilegiis, ac datum est Urbani decretum *Laterani per manum Joannis S. R. E. Diaconi Cardinalis, quinto Idus Maii, Indict. 6. Incarnat. Domini* 1098. *Pontificatus autem Domini Papæ Urbani secundi an. undecimo.*

Bruno Carthusiæ Fundator in Calabriam transit.

23. Anno 1090. ab Urbano Papa vocatus Bruno Carthusiæ Fundator, & Chartusianorum pater in urbem transierat; *Ut solatio, & consilio in ecclesiasticis negotiis adjuvaret*, ut ait auctor anonymus libelli de institutionibus Ordinis Chartusiani, qui subdit *Sed cum tumultus, & mores curiæ ferre non posset, relictæ solitudinis, & quietis amore flagrans, relicta curia, contempto etiam Archiepiscopatu Rhegiensis Ecclesiæ ad quem ipso Papa volente electus fuerat, in Calabriæ Eremum, cui Turris nomen est, secessit, ibique laicis, & cleticis adunatis, solitariæ vitæ propositum, quamdiu vixit, exercuit &c.* Brunonis in Calabriam secessum cum anno 1092. alligavit Mabillonius; triennio post, seu anno 1095. Pagius, cum 1094. Mansius, quem in Calabriam secessisse auctor vitæ ejus, *Antequam e Placentia* Urbanus Papa *abiret in Gallias*, quod anno sequenti contigisse scimus; quare eum hoc anno urbe excessisse probabile est; Advenientem ibidem non solum Rogerius Calabriæ Comes cum honore excepit, sed etiam fovit, ac beneficiis auxit, cui locum in Squillacensi Diœcesi donavit, ubi monasterium, & eremos ædificaret, donationis exemplum refert Mabillonius, qui confirmationem ab Gofredo Melitensi Episcopo petiisse addit, deinde. *Hanc autem donationem nostrum tam domnus Apostolicus noster Urbanus, quam Squillatinus Episcopus Theodorus, in cujus Episcopatu ipse locus situs est, laudarunt, privilegiis confirmarunt*, ac datum dici-

Mabill. Annal. lib. 68. 32.

Pagi not. 16. Mansi ibid. Bulland. Sur. 6. Octob.

Bruno Carthusiaci Monasterium ædificat.

Mabill. lib. 68. 32.

JESU CHR. AN. 1094. dicitur diploma *anno Incarn.* 1093. (fortaſſe 94. ; aut 95.) eique Rogerius cum uxore ſua Adelaide, & filio Gofredo filio, cum aliis nonnullis ſubſcripſerunt, ut ibidem videre eſt; ex illa autem ſolitudine ad Rodulphum viridem tunc præpoſitum Eccleſiæ Remenſis poſtmodum Archiepiscopum epiſtolam ſcripſit, qua ei in memoriam reduxit colloquium, quod ante ſuam converſionem ſimul habuerant Remis de relinquendo ſeculo, deque arripiendo monaſtico inſtituto: tum ſolitudinis ſuæ ſitum & delicias deſcribit in hunc modum. *In finibus Calabriæ cum fratribus religioſis, & aliquot bene eruditis, qui in excubiis perſiſtentes divinis, expectant reditum Domini ſui, ut, cum pulſaverit, confeſtim aperiant ei, eremum incolo, ab hominum habitatione ſatis remotam: de cujus amœnitate, aeriſque temperie, & ſoſpitate, vel planitie ampla & grata inter montes in longum porrecta, ubi ſunt virentia prata & florida paſcua, quid dicam? aut collium undique leniter ſe erigentium proſpectum, opacarumque vallium receſſum, cum amabili fluminum, rivorum, fontiumque copia, quis ſufficienter explicet? Nec irrigui deſunt horti, diverſarumque arborum fertilitas. Verum quid his diutius immemor? Alia quippe ſunt oblectamenta viri prudentis, gratiora & utiliora valde, quia divina. Verumtamen arctiori diſciplina, ſtudiiſque ſpiritualibus animus infirmior fatigatus, ſæpius his relevatur ac reſpirat. Arcus enim, ſi aſſidue ſit tenſus, remiſſior eſt, & minus ad officium aptus.* Hæc & alia ibidem de rebus ſuis, locique amœnitate, quem cum ſuis incolebat; hoc autem anno Eccleſiam die feſto Aſſumptionis B. M. Virginis in honorem ejuſdem Virginis, & S. Joannis Baptiſtæ per venerabilem Patrem Alcherium Panormitanum Episcopum, adſtantibus Melitenſi, Tropieno, Catanenſi, & Squillacenſi Episcopis, præſente etiam Rogerio Comite conſecrari fecit, ut Rogerii diplomate apud Rocchum Pyrrum in Sicilia ſacra lib. 3. conſtat; Sed de Brunonis geſtis, deque Chartuſiani Ordinis propagatione plura dabunt auctores Annalium ejuſdem Ordinis.

Brunonis epiſt. ad Rodulphum.

Urbanus II. Papa Bizantio Tranenſis Epiſc. canizationem Nicolai Peregrini committit.

24. Dum autem Synodum in urbe hoc anno celebraret Urbanus Papa ſecundus, Bizantius Tranenſis Epiſcopus eidem adfuit, adserens ad ſepulchrum B. Nicolai Peregrini miracula frequenter patrari, ab eoque petiit, ut Sanctorum catalogo adſcriberetur; His auditis eidem Biſantio cauſam commiſit Urbanus Papa, ut in epiſtola ad Clerum, & populum Tranenſem

sem hit verbis narrat. *Cum largiente Domino, nuper cum magna Episcoporum, Abbatumque frequentia synodale Concilium ageremus, venerabilis frater noster Bisantius vestræ civitatis Archiepiscopus, venerabilis viri Nicolai (qui apud vos Peregrinus cognominatur) nonnulla miracula coram universo Concilio, scripto edita recitavit, & eumdem Dei hominem auctoritate nostra in Sanctorum catalogo adnumerari instantissime postulavit. Nos igitur causam ipsam eidem fratri nostro commisimus; de ejus nimirum probitate ac scientia nihil hæsitantes, quod ei, revelante Domino, visum fuerit, maturiori deliberatione constituat ad laudem, & gloriam illius, qui gratuita misericordia famulos suos mirifice gratificari consuevit.* Hactenus Urbani Papæ epistola.

Jesu Chr. an. 1095.

Codex Canonic. pag. 9.

JESU CHRISTI an. 1095. Urbani II. Papæ an. 8. Henrici Imp. 12. Alexii Comneni Imp. 15.

1. Jesu Christi annum 1095. rerum gestarum varietate, & magnitudine insignem ingredimur, quo Urbanus Papa secundus cum Natalem Domini in Thuscia celebrasset, ab Daiberto, seu Dealberto Archiepiscopo Pisano honorifice exceptus, in Longobardiam vere adveniente transiit, ac Placentiæ ut narrat Bertholdus; *Inter ipsos schismaticos, & contra ipsos generalem synodum condixit, ad quam Episcopos Italiæ, Burgundiæ, Franciæ, Alemanniæ, Bajoariæ, aliarumque Provinciarum canonica, & Apostolica auctoritate missis litteris convocavit. Facta est autem hæc Synodus circa mediam Quadragesimam Placentiæ, ad quam Synodum multitudo tam innumerabilis confluxit, ut nequaquam in qualibet Ecclesia illius loci posset comprehendi. Unde & dominus Papa extra urbem in campo illam celebrare compulsus est.* Quin Missas quoque non semel eadem necessitate urgente, ut scilicet populorum turbis satisfaceret, extra Ecclesiam celebravit; ut idem adnotat auctor, quem etiam Placentiæ ineunte Martio fuisse ejusdem litteræ Magalonenſi Episcopo Kal. Martii datæ testantur: ac Kal. Martii Synodum celebratam fuisse Codices præseferunt, quæ in plures postea actiones distincta, & protracta fuit. *In hac autem Synodo*, addit Bertholdus, *Praxedes Regina, jam dudum ab Henriso separata, super maritum suum domino Apostolico, & sanctæ Synodo conquesta est de inauditis fornicationum spurcitiis, quas*

Urbanus secundus Concilium Placentiæ celebrat.

Labb. to. 10. p. 501. seqq.

Bertholdi p. 373.

Labb. to. 10. p. 503.

Gesta Synodi Placentiæ

JESU CHR. AN. 1095.

apud maritum paſſa eſt. Cujus querimoniam dominus Papa cum ſancta Synodo ſatis miſericorditer ſuſcepit, eo quod ipſam tantas ſpurcitias non tam commiſiſſe, quam invitam pertuliſſe pro certo cognoverit. Unde & de pœnitentia pro hujuſmodi flagitiis injungenda illam clementer abſolvit, quæ & peccatum ſuum ſponte, & publice confiteri non erubuit. Ad hanc Synodum Philippus Rex Galliarum legationem ſuam direxit, ſeque ad illam iter incepiſſe, ſed legitimis cauſis impeditum fuiſſe, mandavit. Unde inducias ſibi uſque ad Pentecoſtem apud dominum Papam, Synodo intercedente impetravit; is quippe anno proximo in concilio Auguſtunenſi ab Ugone Lugdunenſi Archiepiſcopo eccleſiaſtica communione privatus fuerat, ob quam cauſam, ut communioni reſtitueretur, legatos ad ſynodum Placentinam miſerat; in hac etiam ſynodo Hugo Lugdunenſis, eo quod ad ſynodum vocatus non adveniſſet, nec legatos miſiſſet officio ſuſpenſus fuit, ut idem ſcribit Bertholdus.

Legatio Alexii Com. Imp. ad ſynodum Placent.

2. Item legatio Cpolitani Imperatoris ad hanc ſynodum pervenit, *qui dominum Papam, omneſque Chriſti fideles ſuppliciter imploravit, ut aliquod auxilium ſibi contra Paganos pro defenſione ſanctæ Eccleſiæ conferrent, quam Pagani jam pene in illis partibus deleverant, qui partes illas uſque ad muros Coſtantinopolitanæ civitatis obtinuerant*. Sane quidem plures eodem argumento ſcripſiſſe litteras Alexium Imperatorem ad Urbanum Papam, ut ab eo auxilium obtineret teſtatur Urſpergenſis in Chronico. Pergit vero Bertholdus: *Ad hoc ergo auxilium dominus Papa multos incitavit, ut etiam jurejurando promitterent, ſe illuc, Deo annuente, ituros, & eidem Imperatori contra Paganos pro poſſe ſuo fideliſſimum adjutorium collaturos &c.* Ideſt contra Thurcas, qui Orientali Imperio vaſtitatem minitabantur, ut infra dicturi ſumus.

Simoniaca labes, & ſchiſma damnatur.

3. In eadem autem ſynodo Simoniaca hæreſis, & Nicolaitarum, ſeu incontinentia Sacerdotum, Diaconorum, & Subdiaconorum unacum Berengarii hæreſi, & ſchiſmate Guibertino damnata fuit; ut ejuſdem acta, & canones vulgati teſtantur; ſynodo autem adfuerunt ex Bojaria *Dimo Saliſburgenſis Archiepiſcopus, & Udalricus Patavienſis Epiſcopus ejus ſuffraganeus, de Alemannia vero Gebehardus Coſtantienſis Epiſcopus, qui & Arnulphum Mediolanenſem Archiepiſcopum, diu quidem electum, ſed nondum conſecratum, eodem tempo-*

Arnulphus Mediol. Epiſc. ordinatur.

re

re ex concessione domini Papæ Mediolani consecravere. Ipse quoque dominus Papa Aldaricum Augiensem abbatem eo tempore consecravit, qui prædictæ synodo interfuit, qui cum postea accepta benedictione in præjudicium Constantiensis Episcopi abuteretur; *dominus Papa illum missis litteris ab hujusmodi præsumptione compescuit*, ait idem Bertholdus. Synodi Placentinæ Domnizo, qui ei interfuit, his versibus meminit

JESU CHR. AN. 1095.

Tunc pastor sanctus synodum celebravit, & annus
Christi Millesimus nonagesimus quoque quintus
Primus erat mensis, quo nascitur humor in herbis
Ore Sacerdotum damnantur facta malorum
Assensit his dictis Praxedis, atque Mathildis,
Catholicos plene benedixit Papa fideles
Hanc synodum sanctam Placentia continet ampla
Expleta synodo, dominus quem sæpe recordor
Papa vale dixit, clericis comitatus abivit,
Per multas urbes curas convertere plures
Gallia quem patrem suscepit maxima charum

4. In Gallias deinde maritimo itinere profectus Urbanus Papa, cum synodum Claromontii celebrandam indixisset; ad quem Philippus Francorum Rex legatos suos destinaverat, & hæc didicisset Ivo Carnotensis Episcopus, litteris suis Urbanum Papam admonuit, ut sibi ab insidiis legatorum Regis caveret, quippe qui Regi persuaserant se effecturos, ut Pontifex eum ab excommunicationis vinculo, quo tenebatur, absolveret; *Venturi sunt ad vos in proximo*, ait, *nuncii ex parte Regis Francorum, per quorum os locuturus est spiritus mendax, qui infatuati adeptione vel promissione honorum Ecclesiasticorum, infatuare moliuntur sedem justitiæ. Contrq quorum calliditatem a parvitate mea vigilantiam vestram volo esse præmunitam, quatenus rigorem vestrum promissiones eorum non emolliant. comminationes non exterreant. Ut quid enim dicent, jam securis ad radicem arboris posita est, nisi ut aut arcum remittatis, aut gladium suspendatis? Qui ergo venturi sunt, in calliditate ingenioli sui & venustate linguæ suæ prædictis de causis impunitatem flagitiis se impetraturos Regi a Sede Apostolica promiserunt, hac ratione*

Ivonis epist. ad Urbanum Papam, ut sibi caveret. *Ivo epist. 46.*

JESU CHR. AN. 1095.

ex parte usuri: Regem cum regno ab obedientia vestra discessurum, nisi coronam restituatis, nisi Regem ab anathemate absolvatis. Si autem impœnitenti venia concedatur, quanta spes impune peccandi peccantibus de cætero relinquetur &c., & post aliqua. *De cætero volo sciat vigilantia vestra, quia ex præcepto Regis, Rhemensis, & Senonensis, & Turonensis Archiepiscopi invitaverunt suffraganeos Episcopos, ut post responsa vestra apud Trecas prima Dominica post festivitatem omnium Sanctorum conveniant. Quo invitatus ire dissimulo, nisi vestro consilio munitus; timens ne quid contra justitiam & sedem Apostolicam moliatur ille conventus. De his itaque, & his, quæ circa vos sunt, quæ libuerit, rescribat mihi vestra paternitas, ut in adversis compati, & in lætis valeam congratulari. Vale.* Quæ autem rescripserit Urbanus Papa non liquet: constat tamen omnia ab eo post hæc effecta secundum ejusdem Ivonis consilium, ut adversus adeo enormiter delinquentem Regem perseverarit intrepidus, judicans Regem, & puniens ex sacrarum legum præscripto.

De Trecensi synodo indicta Urbanum Ivo admonet.

Urbanus Papa Episcopos admonet.

5. Et sane ejusdem Urbani extant adhuc epistolæ ad omnes Archiepiscopos, & Episcopos Galliarum datæ, quibus eos admonet, ut Regem hortarentur ad resipiscentiam, alioquin in eum exercerent ecclesiasticam disciplinam. Meminit harum litterarum idem Ivo Episcopus Carnotensis, qui laboravit suis litteris, ut Regem ad meliorem frugem reduceret, ut ex eis apparet. De litteris autem Urbani hæc Ivo: *Exemplar litterarum, quas misit mihi Dominus Papa de causa Regis, postquam Legati Regis nuper discesserunt, vobis transmitto; ut sciatis quia dominus Papa etsi non antecedit, non tamen retrocedit &c.* Et de iisdem etiam idem Ivo ad Dapiferum Regis Willelmum hæc scribit: *Charissime, quia te scio velle laborare de componenda pace inter me, & dominum Regem, multas gratias tibi reddo. Sed quia hæc pax non possit esse stabilis, quandiu voluerit in incepto suo durare, consilium meum est, adhuc expectare, si forte Dominus daret ei mentem bonam, ut vellet consilium suum in melius commutare. Quod si facere vellet, scias omnia esse parata, quæ necessaria sunt ad faciendum divortium inter eum & novam conjugem suam. Vidi enim litteras, quas misit dominus Urbanus Apostolicus ad omnes Archiepiscopos & Episcopos regni sui, ut cum ad rationem mit-*

mittant, & nisi resipuerit, ecclesiastica eum disciplina ad emendationem venire constringant. Hæ quidem litteræ jam publicatæ essent, sed pro amore ejus feci eas adhuc detineri: quia nolo regnum ejus, quantum ex me est, adversus eum aliqua ratione commoveri. Hæc omnia volo domino nostro Regi, & secundum hoc quod apud eum inveneris, mihi facias remandari. Vale.

Jesu Chr. an. 1095.

Ivon. epist. 23.

6. Ad placitum vero ab Philippo Rege indictum vocatus, se adesse non posse his verbis testatus est Ivo Carnotensis. *Excellentiæ vestræ litteras nuper accepi, quibus submonebar, ut apud Pontesium, vel Calvum montem cum manu militum vobis die quem statueratis, occurrerem, iturus vobiscum ad Placitum, quod futurum est inter Regem Anglorum, & Comitem Northmannorum. Quod facere ad præsens, magnæ & multæ causæ me prohibent. Prima quia dominus Papa Urbanus interdicit vobis Apost. auctoritate thorum mulieris, quam pro uxore habetis. Quia sacramentum de securitate Concilii quod vobis mandaverat, fieri vetuistis. A cujus commixtione si amodo non cessatis, separat vos eadem auctoritas a participatione corporis Dominici & sanguinis. Intercedit etiam omnibus Episcopis, ne capiti illius mulieris coronam imponant. Quam (ut ubique pene terrarum dicitur) lateri vestro illicite copulastis. Parcens igitur majestati vestræ, dissimulo vestram adire præsentiam, ne Sedis Apostolicæ jussione compulsus, cui vice Christi parere me oportet, quod nunc dico in aure, cogar in vestris, & multorum auribus prædicare.* Hæc, aliaque ibidem sacerdotali quidem libertate, sed singulari plane, cum ceteri Episcopi Regis iram metuentes crimen ejus dissimularent.

Ivo ad synodum vocatus se excusat *epist.* 28.

7. A dimittenda autem adultera alienus adeo erat Philippus Rex, ut quælibet potius sibi tentanda censeret, quam eam e latere suo, vel thoro dimittere, ut in hac altera epistola ad Vidonem Regis dapiferum idem Ivo Carnotensis Episcopus narrat. *Quæ mihi mandastis per Gandricum Presbyterum, jam audieram per Eberhardum nepotem tuum, videlicet quod Rex multa mala dimittere, & multa bona se promittat velle facere, si tum pace Sedis Apostolicæ & communione ecclesiastica, mulierem, quam illicite habet, valeat ad tempus retinere. Unde ex auctoritate divina hoc charitati tuæ rescribo, quod nulla redemptione vel commutatio-*

Philippi Regis illicitas nuptias Ivo detestatur. *epist.* 47.

JESU CHR. AN. 1095.

tione quis peccatum ſuum poterit abolere quandiu vult in eo permanere, ſecundum illud Apoſtoli: Voluntarie peccantibus non relinquitur hoſtia pro peccato. Quod eſt aliis verbis dicere, quia nemo in peccato ſuo perdurare volens, peccatum ſuum poterit aliqua eleemoſyna vel oblatione redimere &c. ac pluribus idem perſequitur argumentum, ut ibidem videre eſt.

Conradi Henrici filii cum Urbano Papa colloquium.

8. Poſt Placentinam ſynodum, Claromontanam in Galliis hoc eodem anno Urbanus Papa indixerat, de qua antequam inſtituatur ſermo, de reliquis in Italia geſtis nonnulla addimus, quo tempore, ut adnotat Bertholdus, Henricus in Longobardia degens, *pene omni regia dignitate privatus erat. Nam filius ejus Corradus jamdudum in Regem coronatus*, ac Mathildæ ceteriſque fidelibus S. Petri ſociatus, *totum robur paterni exercitus in Longobardia obtinuit.* Ait is auctor, ac paulopoſt ſubdit; Corradus cum Urbano Papa colloquium Cremonæ habuit, eique obviam progreſſus, *Stratoris officium exhibuit, quarto idus Aprilis, deinde fecit ei fidelitatem juramento, de vita, de membris, de Papatu Romano*, quem Urbanus in filium Rom. eccleſiæ recepit, eique Imperialem promiſit coronam, *ſalva quidem juſtitia illius eccleſiæ, & ſtatutis Apoſtolicis, maxime de inveſtituris in ſpiritualibus officiis a laico non uſurpandis.*

Corradus Rogerii ducis filiam uxorem ducit.

Murati rer. Ital. tomi 5. pag. 598. lib. 4. 23.

9. Inter cetera cum Urbano tranſacta in colloquio Cremonenſi, Corrado perſuaſit Pontifex, ut Rogerii Apuliæ & Calabriæ Ducis filiam uxorem duceret, quarum nuptiarum idem Pontifex conciliator fuit, ut his verbis narrat Gaufredus Malaterra, *Cum juvenis, & ſine uxore eſſet, & ſumptibus ad id quod cœperat neceſſariis minus abundaret, conſilio Apoſtolici, & præfatæ Marchiſæ Mathildis per Conradum Comitem, quem ad id legationis peragendum direxit, filiam Siculorum, Calabriæſumve Comitis ſibi in matrimonium concedendam expetiit. Apoſtolicus etiam litteras ſuas comittit, ut ſibi familiari, & amico, ad hoc idem dirigens, ad concedendum hortatur: dicens ſibi magno honori, & proficuo futurum, ſi filia, filio Regis futuro ſponſo jungatur, & juvenis S. Romanæ Eccleſiæ fidelitate adhærens, ſed ſumptibus, quibus contra patrem, qui eum injuſte oppugnabat, minus ſufficiens, quos pater cum filio daret, viribus victus ad debellandos inimicos Sanctæ Dei Eccleſiæ prævaleret.* Comes autem hac le-

ga-

gatione percepta, & suasoriis litteris Apostolici viri acceptis, ex consilio fidelium suorum, & maxime Roberti Trainensis Episcopi, filiam suam se Corrado traditurum, spopondit, ac Rogerius classe parata per Episcopum Trainensem, & alios Barones suos filiam multis thesaurorum xeniis ditatam Pisam usque conducere facit, *Ubi filius Regis Henrici, obvius cum omni honorificentia susciperent, autentice desponsata solemnes nuptias celebravit anno Verbi Incarnati Millesimo nonagesimo quinto.* Hactenus auctor coævus, qui capite 25. subdit filiam alteram Rogerii Hungarorum Regi nuptui traditam fuisse, ut ibidem videre est. JESU CHR. AN. 1095.

10. Dum tota pene Italia Urbano Pontifici, Corrado Regi, & Mathildi obsequens esset, ac Henrici Imp. & Guibertinæ factionis res decresceret, tantam felicitatem, dissidia inter Mathildem, & virum suum Velphonum excitata, aliquantulum turbarunt, quorum quæ causa fuerit, vix constat: hoc unum scimus, eousque dissidia progressa, ut Velpho ab Mathildis confortio, quam intactam hactenus reliquerat, se separaverit, Velpho autem dux, seu pater, ad Henrici partes, ut Urbano Papæ, & Mathildi injuriam faceret, transiit, ut ad hunc annum supracitatus Bertholdus narrat. *Velpho filius Velphonis ducis Bojariæ conjugio dominæ Mathildis se penitus sequestravit, asserens illam a se omnino immunem permansisse, quod ipse in perpetuum reticuisset, si non ipse prior illud satis inconsiderate publicasset. Unde pater ipsius in Longobardiam nimis irato animo pervenit, & frustra diu multumque, pro hujusmodi reconciliatione laboravit. Ipsum etiam Henricum sibi in adjutorium ascivit contra dominam Mathildam, ut ipsam bona sua filio ejus dare compelleret, quamvis nondum illum in maritali opere cognosceret. Unde diu frustra laboratum est.* Dissidiorum causas duas fuisse non immerito suspicatur Muratorius, primam, quod Mathildes maritalem cum Velphone copulam hactenus refugisset, quia ut vero proximum est, cum hac conditione nuptias cum eo inierat, altera discordiarum causa fuit, quod cum Mathildis jam antea bona sua Romanæ Ecclesiæ dedisset, ut hanc donationem revocaret, nulla umquam ratione suaderi potuit, cumque hac tantum spe illectus cum ea Velpho nuptias iniisset, eadem spe privatus, ab eadem recessit, cum nec tamquam uxore eadem uti, nec quidquam ab ea sperare posset.

Velpho ab Mathildis uxoris consortio se separat.

Bertholdi pag. 372.

Murat. hoc an.

11. Re-

JESU CHR. AN. 1095.

11. Rebus in Italia, quantum conditio temporis ferebat, compositis, in Gallias profectus est Urbanus Papa. De gestis autem ibidem usque dum Claromontium perrexit, ubi concilium celebravit, hæc in chronico narrat Bertholdus. *Dominus Papa rebus in Longobardia bene dispositis, in Galliis marino itinere cœpit divertere, & ad S. Mariam ad Podium in assumptione ipsius pervenit, synodumque ad montem clarum in octava S. Martini Apostolica auctoritate condixit, ad quam diversarum provinciarum Episcopos missis litteris canonica vocatione invitavit*, & paulo post. *In Galliis ad Clarummontem generalis synodus a domino Papa in octava S. Martini congregata est, in qua tredecim Archiepiscopi cum eorum suffraganeis fuerunt, & ducentæ quinque pastorales virgæ numeratæ sunt. In hac synodo dominus Papa, eadem statuta, quæ in præterita synodo Placentina, confirmavit, & Philippum Regem Galliarum excommunicavit, eo quod propria uxore dimissa, militis sui uxorem sibi in conjugium sociavit: ibi etiam aliam synodum in tertiam subsequentis Quadragesimæ hebdomadam Turonis celebrandam denunciavit anno sequenti*; Hactenus is auctor, eademque fere Sigebertus. Malesburiensis vero Bertrhadam quoque Regis pellicem, eadem excomunicationis sententia mulctatam fuisse tradit. lib. 4.

Concilium Claromontanum Urbanus celebrat. *Lab. tom. 10. pag. 506.*

Claromontani concilii canones.

12. Canones triginta circiter Claromontano Concilio communiter inscribuntur; nam eorum numerus, pro diversa numerandi ratione apud collectores canonum varius est, dum plures eorum nonnulli in unum confuderunt, aut unum in plures distinxerunt; Episcoporum quoque numerus in obscuro est, ac supra trecentos ibidem Episcopos, & Abbates adfuisse passim auctores tradunt; Canonum vero summa hæc est; 1. De pace non non infringenda. 2. De Itinere Hierosolymitano. 3. Ut decanus sit primo Presbyter, Archidiaconus vero Diaconus. 4. Ut Clerici arma non portent. 5. Ut Episcopus non eligatur nondum Diaconus. 6. De emptis Altaribus, vel Ecclesiis. 7. De Altaribus quæ dantur Monasteriis. 8. Ut nihil pro sepultura exigatur. 9. De clericis uxores sibi copulantibus. 10. Nec fœminas domi habeant. 11. Ut filii concubinarum clerici non fiant. 12. Nemo in duabus civitatibus præbendam habeat. 13. Ut clerici ad primum semper titulum ordinentur. 14. Nullus in eadem Ecclesia geminos honores habeat. 15. Ut nullus ecclesiasticum honorem de manu laici accipiat. 16. Ut

Lab. pag. 506.

16. Ut Principes inveſtituras non faciant. 17. Ut Epiſcopus aut Presbyter fidelitatem laicis non faciat. 18. Nullus ſine licentia Epiſcopi Capellanus fiat. 19. Ut laici decimam non retineant, nec recipiant. 20. Ut laici altaria, vel eccleſias deinceps non retineant. 21. Ut nullus alterius ſibi hæreditatem uſurpet. 22. Nemo niſi perfectam confeſſionem fecerit ad pœnitentiam recipiatur. 23. Ut carnes tota quadrageſima non edantur. 24. De tempore quo ordines conferri poſſunt 25. Ne filii presbyterorum fiant clerici, niſi ſint Monachi, aut Regulares. 26. De ſabbati ſancti jejunio. 27. De jejunio veris, & æſtatis. 28. Vt omnes de altari corpori, & ſanguini ſeparatim communicent. 29. Vt liberi ſint qui ad crucem, vel eccleſiam confugiunt. 30. Vt nullus clericorum bona diripiat. 32. De iis, qui Epiſcopos incarcerant. His alterum addit Gratianus, quo clericis, & monachis prohibetur, ne Eccleſiæ bona ſibi vindicarent; poſſeſſa vero hactenus ut retinerent, permittitur; canone altero cautum eſt; ut *in Eccleſiis, ubi monachi habitant, populus per monachum non regatur, ſed Capellanus, qui populum regat, ab Epiſcopo per conſilium monachorum inſtituatur: ita tamen, ut ex ſolius Epiſcopi arbitrio tam ordinatio, quam depoſitio, & totius vitæ pendeat converſatio.* At non ita de regularibus clericis faciendum reſpondit Ivo his verbis adverſus Lemovicenſem Epiſcopum, talia in Synodo diœceſana ſtatuentem. *Quantum intellexi ex litteris ex veſtra parte mihi nuper oblatis, graviter fert veſtra fraternitas, quod Lemovicenſis Epiſcopus in Synodo agens, interdixit omnibus regularibus clericis, & regimen parochiarum, & confeſſionem pœnitentium. Qui rectius quidem feciſſet, ſi omnes ſacerdotes ad regularem vitam invitaſſet, quam regulariter viventes a Dominicarum ovium cuſtodia penitus removiſſet, quibus tanto plus displicet aliena malitia, quanto longius diſceſſerunt a ſua &c.* Suadet tamen, ut Epiſcopo obedirent, & epiſtola altera, quæ ultima eſt, Pontiniacenſis monaſterii monachos arguit, eo quod Parochorum officia exercere præſumerent, ac pro iiſdem exercendis litigarent. *Qua audacia*, ait, *o monachi, præſumitis, ſeu vinum de vinea, quam non plantaſtis, ſeu lac de grege quem non paſcitis? Quo pacto ibi exigitis ubi nihil exhibetis? Certe ſi ita vultis, baptizate naſcentes, ſepelite morientes, viſitate jacentes, copulate nubentes, inſtruite rudes, corripite delinquentes, ex-*

Diſtinct. 16.

Ivo epiſt. 169. pag. 123.

JESU CHR. AN. 1095.

communicate contemnentes, absolvite resipiscentes, reconciliate pœnitentes; & in medio denique Ecclesiæ aperiat os suum monachus, cujus officium est sedere, & tacere &c. Hæc aliaque in eamdem rem.

Sacra communio sub unica specie prohibetur.

13. Notatu quoque dignus est canon 28. his verbis conceptus; *Ne quis communicet de altari nisi corpus separatim, & sanguinem similiter sumat, nisi per necessitatem, & per cautelam*; Hæc adversus Berengarii hæresim ibidem decreta fuisse adnotavit Baronius, *qui per unam tantum speciem satis esse impleri figuram*, ait, nihil tamen hic canon cum Berengarii hæresi commune habuit; Vera itaque hujusce canonis explicatio, ut de Marca, alique adnotarunt, hæc est, ut tolleretur abusus, qui jam in nonnullis Ecclesiis irrepserat, sub unica specie panis, sanguine intincta fidelibus daretur, quod ne ultra fieret prohibitum fuit; cujus rei testis est Micrologus, qui ante tempora Gregorii septimi scripsit cap. 26. quod sane institutioni Eucharistiæ, qua Dominus Jesus Christus corpus suum separatim ab sanguine Apostolis porrexit, consentaneum magis est, unde in Concilio Vestmonstarienſi anno 1173. celebrato can. 26. prohibitum fuit; *Nemo*, (seu a nemine) *fiat intinctio corporis in sanguine Domini*, ut sic intincta panis specie in sanguine utramque speciem fideles aliquo modo sumerent.

Eucharistiæ species miscendi apud Græcos frequens usus.

14. Hic autem usus commiscendi utrasque species, apud Græcos jamdiu vigebat, ac ab iis graviter contra Christi institutionem peccari Nicetæ Pectorato Abbati disputatione cum eo Constantinopoli habita objecit Humbertus Sylvæ candidæ Cardinalis Episcopus legatus ad Constantinum Monomachum anno 1054. missus: Cumque idem communicandi usus paulatim in Occidente inveheretur, ne ultra fieret, eo canone prohibitum fuit; præscriptæ regulæ, hanc nihilominus exceptionem Synodus addidit, *nisi per necessitatem, & cautelam*; nempe si communio præbenda esset ægris, vel pueris, tunc enim ad adjuvandum esum, panis intinctio permittebatur, ut scripsit Paschalis II. Urbani successor ad Pontium Abbatem Cluniacensem Epist. XXXII. *Novimus enim per se panem, per se vinum ab ipso Domino traditum. Quem morem sic semper in sancta Ecclesia conservandum docemus atque præcipimus: præter in parvulis, ac omnino infirmis, qui panem absorbere non possunt.* Necessitati additum est verbum, & *cautelam*; Veriti enim ne in frequenti communicantium cœtu sanguis effunderetur,

retur, ut consecrato tantum pane adstantes communicarent, permittebatur; quod cum passim contingeret, ut testis est Rodulphus S. Trudonis Abbas hujus ætatis scriptor, factum inde est, ut sub unica tantum specie fideles sequenti seculo, ac deinceps communicarent, quam consuetudinem D. Thomas ea de re consultus probavit; *Provide*, inquit S. Doctor, *in quibusdam Ecclesiis observatur, ut populo sumendus sanguis non detur*, cujus auctoritas cum maxima in scholis esset, nil mirum quod communio sub unica specie temporis tractu communis evaserit, cum præsertim commodior, & minoris dispendii esset, iis maxime in locis, ubi vinum nonnisi summo pretio haberi potest. At de his hactenus, plura videri possunt apud de Marca, qui egregium de Primatu Lugdunensis Ecclesiæ, aliisque in Claromontano Concilio gestis tractatum edidit, Labbeanæ conciliorum editioni insertum, aut Bossuetium tractatu de communione sub unica specie: cetera, quæ canonis Claromontani Concilii observatione digna occurrunt, consulto præterimus, ut majora tractemus; scilicet de militari Crucesignatorum expeditione in Orientem suscipienda.

Jesu Chr. an. 1095.

S. Thom. 3. part. qu. 80. art. 12.

15. Rebus itaque, quæ ecclesiasticam disciplinam spectabant absolutis egregium Vrbanus secundus opus aggressus est, Turcarum scilicet gentem armis aggrediendam, & e Christianorum finibus, & terra sancta, seu Palestina, & Hierusalem exterminandam, unde tunc primum classicum adversum eos conclamatum est, primaque Crucesignatorum expeditio suscepta; Celebrem magnitudine rerum, gestorumque varietate, incertique exitus historiam coevi oculatique testes, vel ea ætate proximi prosequuti sunt, ex his Gulielmus Tyrienſis Archiepiscopus styli prolixitate ceteros vicit, cujus libri decem extant, uno volumine in folio editi sub titulo *Historia*, *seu gesta Dei* per Francos in expeditione Hierosolymitana; Cumque difficile sit, in tanta historicorum, rerumque gestarum copia, ut stylus intra brevitatis limites se contineat, præcipua tantum dabimus, ac imprimis adnotare juvabit, frequentes copiosæque Christianorum Occidentalium ex Italia, Germania, & Gallia in terram sanctam peregrinationes causam, & stimulum hisce expeditionibus dedisse. Cum etenim sicuti supra non semel narravimus in extrema passim pericula, ex Arabum infestatione, Turcarumque feritate, Christiani incurrerent, namque illuc pervenientibus nisi pretio dato, se ipsos redimere, aut

Quænam causæ sacræ expeditioni causam dederint.

JESU CHR. AN. 1095.

loca sancta adire licitum iis erat. Cumque Christi incunabula, ejusque Sepulchrum, ceteraque loca ejusdem Redemptoris nostri præsentia consecrata, ab infidelibus Turcis prophanata, omnique contumeliarum genere deturpata viderent, vix ac ne vix quidem eorum pietas a lacrymis continere se poterat, ac ad sua reversi lamentabili sermone hæc narrantes, Christianorum animos ad injurias, quas veluti Christo illatas credebant, ulciscendas, Turcasque inde expellendos excitarunt.

Petrus Eremita sacram expeditionem urget.

16. Præ ceteris, qui orbem pene totum ad arma in Palestinam inferenda commovit, Petrus natione Gallus, Ambianensis Diœcesis fuit, Eremita etiam dictus, qui dum Hierosolymis esset, & ad Templum Resurrectionis oraret, divinitus se ad id muneris excitatum fuisse credidit; quare consiliis cum Simeone Hierosolymorum Patriarcha communicatis, ac litteris lugubri stylo, de luctuoso Palestinæ statu, christianorumque ibidem degentium conditione ob Turcarum tyrannidem, ab eo acceptis, inde discedens Urbanum Pontificem adiit; eumdemque ut sibi opem ferret, rogavit, cui cum se totis viribus adfuturum tempore opportuno Pontifex promisisset, Petrus Eremita excursa prædicationibus suis Italia, Alpes transiit, ac Principes ubique per Gallias, Germaniamque adiens, ut fratribus in tanta afflictione positis, subveniret; locaque sacra ab infidelium tyrannide, ludibrioque vindicarent, excitavit; *Fuitque Domino Papæ*, ait Gulielmus, *qui cum ultra montes sine mora sequi decreverat, in eodem verbo plurimum necessarius*; *Nam præcursoris sanctus officio, auditorum mentes ad obediendum præparaverat.*

Gulielm. Tyr. hist. lib. 1. cap. 13.

Orientale Imperium ab Turcis arctatum, & imminutum.

17. Christianorum clamoribus, qui in Palestina degebant, querelisque peregrinorum illuc adventantium Alexii Imperatoris repetitæ accesserunt preces Occidentalibus porrectæ, ut sibi auxilium ferrent, ne penitus ab Turcis, qui Orientale Imperium decurtaverant, penitus obrueretur, cujus legati in Placentino concilio excepti sunt, ut his verbis narrat Bertholdus; *Item legatio Constantinopolitani in primis ad hanc Synodum pervenit, qui Dominum Papam, omnesque Christifideles imploravit, ut aliquod auxilium sibi contra Paganos pro defensione Sanctæ Ecclesiæ conferrent, quod Pagani jam pene in illis partibus deleverunt, qui partes illas usque ad muros Constantinopolitanæ civitatis obtinuerunt*; Et sane ad ultimas fere incitas tunc Orientale Imperium redactum fuisse non semel

Anna

Anna Comnena Alexii filia commemorat; *Multum siquidem* inter cetera ait, *Imperii Romani limites, ex quo Turci præsertim invaluerant, a priſtina latitudine coarctati fuerant &c.*, & cum olim ut ſubdit, ab Herculis columnis hinc inde latiſſime ſe ſe extenderet, hoc tempore ipſa Coſtantinopolis Imperii Sedes periclitabatur, atque jam Syriam, & utramque Ciliciam, Iſauriam, Pamphyliam, Lyciam, Piſidiam, Lycaoniam, Cappadociam, Galatiam, & utrumque Pontum, Bythiniam, & Aſiæ majorem partem ſibi ſubjecerant; chriſtianoſque undique variis, diriſque modis vexabant, Eccleſias deſtruebant, chriſtianamque religionem undique non ſine maximo fidelium ſcandalo, & periculo extirpare funditus ſatagentes.

Jesu Chr. an. 1095.

An. Comn. hiſt. lib. 6. p. 175.

18. Tot fidelium itaque clamoribus, qui in extrema neceſſitate poſiti, auxilium implorabant, excitati Occidentales ad præſtandam miſeris opem incenſi ſunt, quibus etiam ſtimulum addidit Urbani ſecundi oratio in concilio Claramontano habita coram frequentiſſimo populo, & in loco aperto eo quod tantam cujuslibet conditionis hominum multitudinem nullus locus capere poſſet; *Urbanus namque Apoſtolicus, ultramontanas partes*, ſeu in Gallias, *profectus eſt cum ſuis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & Presbyteris, cœpitque ſubtiliter ſermocinare, & prædicare, dicens; Ut ſi quis animam ſuam ſalvam facere vellet, non dubitaret humiliter viam incipere Domini &c.*, ait auctor anonymus natione Italus, qui his interfuit, Bohamundum ſcilicet in ea expeditione ſecutus, qui librum de geſtis Francorum, aliorumque in Hieroſolymitana expeditione vulgavit, ac primus inter ſcriptores hujuſce expeditionis recenſetur; Robertus vero Monachus hujus collectionis ſecundus, de eadem expeditione hiſtoriam juſſu Bernardi Abbatis texens, cum ipſe ab eadem rediiſſet, hæc narrat; *Anno igitur Dominicæ Incarnationis* 1095. *magnum inter fines Galliæ concilium celebratum eſt in Alvernia ſcilicet in civitate, quæ Clarusmons appellatur, cui Papa Urbanus ſecundus cum Epiſcopis, & Cardinalibus præfuit; Fuit autem illud concilium valde celeberrimum conventu Gallorum, ac Germanorum tam Epiſcoporum, quam Principum. Ordinatis igitur in eo rebus eccleſiaſticis exivit Dominus Papa in quadam ſpatioſæ latitudinis platea, quia non poterat illos capere cujuslibet ædificii clauſura &c.*, atque ad aſſtantes verba convertens,

Urbani ſecundi oratio in Concilio Claramontano.

Apud Labb. concil. t. 19. pag. 511. & ſeqq.

Collectio ſcript. de expedit. Hieroſolymit. pag. 31.

JESU CHR. AN. 1095.

tens, orationem ſuam his verbis auſpicatus eſt; *Gens Francorum, gens tranſmontana, gens ſicut in pluribus veſtris elucet operibus a Deo dilecta, & electa, tam ſitu terrarum, quam fide catholica; quam honore ſanctæ Eccleſiæ, ab univerſis nationibus ſegregata. Ad vos ſermo noſter dirigitur, vobiſque exhortatio noſtra protenditur: ſcire vos volumus, quæ lugubris cauſa ad veſtros fines nos adduxerit; quæ neceſſitas veſtra cunctorumque fidelium attraxerit. Ab Hieroſolymorum finibus, & urbe Conſtantinopolitana relatio gravis emerſit, & ſæpiſſimæ jam ad aures noſtras pervenit: quod videlicet gens regni* Perſarum, *gens maledicta, extranea gens, prorſus a Deo aliena: generatio ſcilicet quæ non direxit cor ſuum, & non eſt creditus cum Deo ſpiritus ejus, terras illorum Chriſtianorum invaſerit ferro, rapina, incendio depopulaverit, ipſoſque captivos partim everterit, aut ſuorum ritus ſacrorum mancipaverit. Altaria ſuis fœditatibus inquinata ſubvertunt, Chriſtianos circumcidunt, cruoremque circumciſionis, aut ſuper altaria fundunt, aut in vaſis baptiſterii immergunt. Et quos eis placet turpi occubitu mulctare, umbilicum eis perforant, caput vitaliorum abſtrahunt, ad ſtipitem ligant, & ſic flagellando circunducunt, quoadusque extractis viſceribus ſolo proſtrati corruunt. Quaſdam ſtipiti ligatos ſagittant: Quoſdam extento collo & nudato gladio appetunt, & utrum uno ictu truncare poſſint pertentant. Quid dicam de nefanda mulierum conſtupratione? De qua loqui deterius eſt quam ſilere. Regnum Græcorum jam ab eis emutilatum eſt, & ſuis uſibus emancipatum, quod tranſmeari non poteſt itinere duorum menſium. Quibus igitur ad hoc ulciſcendum, ad hoc eripiendum, labor incumbit: niſi vobis, quibus præ ceteris gentibus contulit Dominus inſigne decus armorum, magnitudinem animorum, agilitatem corporum, virtutem humiliandi verticem capilli vobis reſiſtentium &c.* eoſdem majorum ſuorum exemplo, Caroli ſcilicet Magni, & Ludovici ad id exequendum longa oratione excitavit; Præter hanc vero, in eamdem rem aliæ duæ ſuperſunt orationes eodem in Concilio recitatæ, quas Annalibus ſuis inſeruit Baronius, primæ initium - *Noſtis fratres dilectiſſimi, & veſtram noſſe id expedit charitatem, Jeſum Chriſtum noſtra humanitate indutum Paleſtinam præſentia ſua, miraculiſque illuſtraſſe &c.* quam utpote ab infidelibus poſſeſſam, & deturpatam, ad eam recupe-

BARON. ANN. 1095. n. 35. ad 50.

cuperandam excitat; at ne immensum oratio excurrat, hæc adnotasse sufficiat.

Jesu Chr. AN. 1095.

19. Cum semel iterumque hæc, & alia Vrbanus exposuisset, quotquot ibidem adstantes erant, cumpuncti corde, publicam peccatorum suorum, generatim confessionem fecerunt, *& unus ex Cardinalibus nomine Gregorius*, ait Robertus Monachus in sua relatione, *pro omnibus terræ prostratis confessionem suam, & sic omnes pectora sua tundentes impetraverunt de his, quæ male commiserant, absolutionem, & facta absolutione benedictionem, & benedictione consecuta ad propria remeandi licentiam obtinuerunt*; laicis itaque ad sua reversis, die crastina subdit is auctor, Vrbanus Papa cum Episcopis residens, de duce iis, qui ultra mare transituri erant, eligendo consilium iniit, *Universi vero elegerunt Podiensem Episcopum asserentes eum rebus humanis, ac divinis valde esse idoneum*; *Ille utique licet invitus suscepit quasi alter Moyses ducatum ac regimen Dominici populi cum benedictione Domini Papæ, ac totius Concilii*; Baldricus vero his præsens addit; *Inter omnes autem nobis videntibus, in eodem Concilio vir magni nominis, & summæ ingenuitatis Episcopus Podiensis nomine Najmarus ad Dominum Papam vultu jucundus accessit, & genuflexo licentiam, & benedictionem eundi popposcit, & impetravit*; *Insuper & ab Apostolico mandatum promeruit, ut omnes ei obedirent*, tamquam expeditionis duci iis dato; cui, ut subdit, eodem tempore adjunctus est Raymundus Tolosanus Comes de S. Ægidio; cujus legati synodo retulerunt eum, *jam sibi Crucem coaptasse*, eique quamplurimos milites, aliosque ex ducatu ejus adjunctos fuisse, unde turmatim *Sancta Cruce palliabantur*; ideo rubram Crucem in humeris supra pallium, vel habitum sibi imponebant; Sicque concilio soluto, Episcopi in Diœceses suas reversi prædicatione sua fideles ad Hierosolymitanum iter suscipiendum excitabant; *Et voce liberiori jam illud idem vociferabantur laici*; ut vix ad eos excitandos Episcoporum opera opus esset, ait Guilelmus Tyrius, qui subdit, *Episcopi ad sua reversi, juxta statuta Synodi laborantes, ut pax, quæ verbo vulgari tregua dicitur ab omnibus observetur illibata, ne ire volentibus, & ad necessaria discurrere, illum ministraretur impedimentum &c.*, quanto autem cum animi ardore, non solum qui Claromontanæ Synodo præsentes fuerant, sed etiam absentes

Urbani oratione excitati ad expeditionem se parant.

Pag. 64.

JESU CHR. AN. 1095.

tes fama excitati, se se ad iter paratos cujuslibet conditionis hominum, & fœminarum obtulerint; idem Gulielmus oratione sua prosequitur, itaut de clausiris monachi, & de carceribus vincti etiam egrederentur; *Nec tamen* subdit, *apud omnes erat in causa dominus, & virtutum mater discretio, sed quidam ne amicos desererent, quidam ne desides haberentur, quidam sola levitatis causa, aut ut creditores suos declinantes eluderent, aliis se adjungebant &c.* Vnde hanc primam Crucesignatorum expeditionem tanto cum fervore susceptam non eum, qui sperari poterat exitum habuisse mirum non est, de quo anno proximo, quo Crucesignati iter ingressi sunt, iterum sermo redibit.

Officium Dei genitricis ad clericos, & laicos propagatur.

20. Vrbanus autem Papa, ut in tanto fidelium discrimine, tantoque opere exequendo divinum sibi, totique Ecclesiæ promeretur auxilium, cum probe sciret ardua quæque feliciter progressura, cum Beatæ Virginis faveret gratia, & patrocinium, idem Pontifex Patrum concilii Claromontani rogata sententia egit, ut horariæ illæ preces, & laudes, quæ vulgo Dei genitricis appellari consueverunt Officium, apud monachos eremitas institutionis Petri Damiani (ut superius vidimus) frequentari cœptæ, ex illis deducerentur ad clericos, a quibus digne ex animo eidem sanctissimæ Virgini persolvi deberent, ut ipsa apud Filium precibus ageret, quo fidelis populus in tot, & tantis discriminibus subeundis, ejus sulciretur auxilio, atque præsidio muniretur. Quod quidem tunc a sancta Synodo, Vrbano agente, ea occasione indictum, & a clericis pie susceptum, ad laicos quoque tam viros quam mulieres propagatum, & quidem cum magno fœnore gratiarum, ut experti sunt omnes, jugiterque experiuntur Fideles, illud ex animo recitantes: B. Virginis officium ineunte seculo Ecclesiæ decimo, seu quinto Benedictino, frequentatum, usuque receptum, aut majori cum frequentia hoc labente seculo usitatum fuisse adnotat Mabillonius, quo etiam tempore, tum Sabbati jejunium in ejus honorem a pluribus servatum, cum etiam rosarii recitationem introductam fuisse, ait idem auctor ut ibidem videre est.

Mabill. præfatio in secul. 5. Ord. Bened. pag. 75. & seqq.

Claromontani Concilii canones.

22. Claramontano concilio absoluto, inde digressus Urbanus Papa cum pluribus Archiepiscopis, & Episcopis *mense Decembr. x. Kal. Januarii* Lemovicas venit, & Basilicam Sancti Mar-

Martialis dedicavit *secundo Kal. Januarii*, ac in perpetuum *diem illum solemnem, & celebrem dedicationis agi constituit*, ut narrat Besly us in Hist. Pictavienſi, ex Tabulario Lemovicenſi. Gaufredus Prior Vaſienſis in Cron. hoc anno ſcribit: *Decimo Kal. Januarii, Lemovicas advenit Urbanus Papa*, additque Humbaldum Lemovicenſem Epiſcopum accuſatum, & convictum ab Urbano II. depoſitum fuiſſe, additque de eodem Pontifice Cronographus Malleacenſis, qui hoc tempore vivebat, ad annum 1096. *Ubicumque fuit, præcepit Cruces facere hominibus, & pergere Hieruſalem, & liberare eam a Turcis, & Gentibus.* Jesu Chr. an. 1095.

23. Cum duo jam in Gallia concilia Urbanus Papa celebraſſet, ac tertium etiam Lugdunenſis Epiſcopus Romanæ ſedis legatus indixiſſet; Epiſcopoſque Regni Lotharii, ut ibidem adeſſent, juſſiſſet, nimia conciliorum frequentia, et Epiſcoporum fatigatione offenſus Lotharius Rex Ivonem conſuluit, utrum id liceret, cui reſpondens Ivo hæc adnotat *Philippo Regi &c. Ivo &c. De eo, quod parvitati meæ mandavit veſtra ſublimitas, poſt duo Concilia hoc anno a Domino Papa celebrata, nunc Legatum ejus Lugdunenſem Archiepiſcopum infra eumdem annum, tertium generale convocare, & hoc regni veſtri Epiſcopos invitare: ſerenitati veſtræ reſpondeo, quia cum litteras ejuſdem habuerim, nihil tale ibi legi, vel a Miſſo ejus audivi. Quod tamen ſi faceret, non eſſet hæc Apoſtolica inſtitutio, vel Eccleſiaſtica conſuetudo. Si autem aliquis pro culpis ſuis, indulto ſibi congruo ſpatio, a Legatis Apoſtolicis vocatus fuerit, non poteſt ſubterfugere; quin ad diem ſibi præſcriptum occurrat, niſi cum legitima cauſa detineat. Quod ſi quis eos ultra terminos a Patribus conſtitutos angariare voluerit: vos habito cum eis communi conſilio, injuſtis oppreſſionibus pro perſona veſtra reſiſtite; ſic ut quæ ſunt Dei, Deo reddant, & quæ Cæſaris ſunt, Cæſari reddere non omittant. Valeat multo tempore ſublimitas veſtra.* De nimia conciliorum frequentia Lotharii que relæ, & Ivonis ſententia

Ivonis ep. 56

24. Cum hoc tempore Papæ auctoritas in Anglia nutaret, ac Gulielmus Rex cum Epiſcopis Guiberto ſchiſmatico paſſim faverent, Anſelmus vero Cantuarienſis, totiuſque Angliæ Primas, cum Epiſcopis aliis Vrbani partes ſequeretur, ad componenda ibidem excitata diſſidia Epiſcoporum, Procerumque Regni conventus habitus eſt, ut in Sancti Anſelmi vita Concilium Angliæ in cauſa Urbani Papæ.

Labb. to. 10. p. 597. Vilkins Concil. to. 1. p. 373.

JESU CHR. AN. 1095.

lib. 2. narrat Adamerus, eademque ceteri Angliæ scriptores; Cum enim etenim Anſelmus ab Gulielmo Rege petiiſſet, ut facultatem ſibi faceret petendi pallium ab Urbano Papa, Rex *dixit ſe Urbanum ipſum pro Papa nec dum ſuſcepiſſe, & ideo nolle me ad eum illius rei gratia properare. Quinetiam ait, ſi eundem Urbanum, aut quemlibet alium ſine mea electione, & auctoritate in regno meo pro Papa ſuſcipis, aut ſuſceptum tenes, contra fidem, quam mihi debes facis, nec in hoc me minus offendis, quam ſi coronam meam mihi tollere conareris; unde ſciai, in regno meo nullum te participium habiturum, ſi non apertis aſſertionibus probavero, te omnis obedientiæ ſubjectionem Urbano, de quo agitur pro voto meo negaturum &c.*, cumque his plura objeciſſet Anſelmus, ac ſe ab Vrbani obedientia numquam receſſurum dixiſſet, verbaque ejus non ſine irati animi indiciis ab Rege, Proceribuſq. excepta eſſent, tandem juſſit Rex ut *Totius Angliæ Epiſcopi, Abbates, & Principes ad diſcuſſionem diſſidii hujus apud Caſtrum, quod Rochingham dicitur una veniant, & tertia ſeptimana Quadrageſimæ juxta edictum convenerunt*, atque ibidem cum iterum in utramque partem magna animorum contentione diſputatum eſſet, dum Epiſcopi paſsim Regiæ voluntati obſequentes, uno Roffenſi Epiſcopo excepto, obedientiam Vrbano negarent; *Tres dies in iſto negotio, clamoribus expenſi ſunt*, ait auctor vitæ ejus; Quare ut ſubdit. *Tunc Anſelmus in ſuo propoſito conſtans, per internuntium conductum a Rege poſtulat, quo tutus regno decedat. Quod principes multi damnoſum fore dignoſcentes, pro reſtituenda pace inducias utrimque uſque ad Pentecoſten dari precantur, & obtinent; ac ſic eum ne de regno decedat, impediunt. Spondet igitur Rex ſe rebus ejus, uſque ad præfixum tempus induciarum plenam pacem, & tranquillitatem indulturum: & tunc voluntate illius pro ſua religione multum in negotio, quod emerſerat, condeſcenſurum. Verum omnino in contraria lapſus eſt, & Anſelmus, domino Baldueno ejus domus præfecto extra regnum depulſo, hominibuſque ſuis captis, & expoliatis, terriſque vaſtatis, in immenſum afflictus eſt.* Hactenus Edmerus, ſed iſta pluribus eſt proſecutus Vvillelmus, qui & ea quæ iſta ſunt conſecuta; ſic enarrat: *Nuntii duo ſingulares verſutiarum artifices, ipſo ignorante, & nihil minus ſuſpicante, Romam miſſi, ut explorato Vrbis ſtatu agerent apud Papam, ut Regi pallium mit-*

Vilkins pag. 371.

Concilium Richinghamiæ,

mitteret, tradendum cui liberet. Strenue illi, & impigre qui missi fuerant, executi, Albanensem Episcopum Vualterum ex præcepto Papæ in Angliam adduxunt: is Dofris appulsus, clam Anselmo curiam venit, ingentibusque promissis animum Vuillelmi Regis sitientem explevit, si Urbanus in Anglia reciperetur in Papam, fore ut quæcunque Rex petenda existimasset, ille privilegio Sedis Apostolicæ roboraret. Cæterum ad causam Archiepiscopi nihil suffragii, nisi quod rogatus ut eum expelleret: impossibile facto respondit, ut vir celebratissimæ sanctitatis, & scientiæ, & in præsulatum introductus legitime. deturbaretur nullius obnoxius culpæ. Continuo igitur edictum per provinciam promulgatur, Urbanum Apostolicum debere dici, & credi. Eo audito, miratus est Anselmus.

Jesu Chr. an. 1095.

25. Rex vero Gulielmus ad tempus cum eo placatus, accepto pallio in suam recepit amicitiam. *Dataque ei potestate ut per totum Regnum primatus sui jus exerceret libere in dies præfixos, qua Albanensis Episcopus cum pallio Cantuariam veniret. Venienti, & sacrum insigne in vase argenteo deferenti, vulgo applausum, ab Archiepiscopo nudipede, sed Sacerdotalibus vestimentis induto occursum. Inde super altare Domini Salvatoris pallium assumptum sacratus Pontifex beatis humeris composuit, & ad divina celebranda processit. Erat tunc dies Dominica, quarto Idus Junii, fuitque nonnullis ingenti miraculo, quod idem Evangelium illa die occurrit, quod ante prognosticon ejus fuerat: Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos, & misit servos suos hora cœnæ &c.*

Anselmus pallio accepto in Anglia Primatum exercet.

26. Hoc etiam *anno* 1095. *Vir venerabilis, & valde admirabilis vitæ Vualstanus Episcopus sanctæ Virgonienſis Ecclesiæ ab adolescentia divinis mancipatus obsequiis, post multos sanctæ sudoris agones; quibus pro gloria Regni cœlestis adipiscendi, magna mentis devotione; & humilitate, sedulo Deo servivit intentissime, die mensis Januarii decimo octavo nocte Sabbati septima hora mediante migravit e seculo*, inquit Hovedenus part. 1. Annal. p. 465. Idem habet Vigornienſis ejus vitæ scriptor, sed loco, *die mensis Januarii xvii.* in utroque legendum, *die mensis Januarii xix.* qua die in variis Martyrologiis a Bollando ad *diem xix. Januarii*, ubi ejus vitam exhibet, relatis, nomen ejus insertum est.

Vulstani Virgonienſis Episcop. obitus.

27. Hoc etiam anno S. Geraldus Abbas Monasterii Sylvæ majoris non longe a Burdigala diffiti, vivere desiit, nonis Apri-

Geraldi Abbatis obitus, inter Sanctos relatus.

JESU CHR. AN. 1095.

lis, ut in ejus vita legitur a Christiano Monacho ejusdem Monasterii vulgata circa annum 1190., ut adnotant Bollandistæ ad diem quintam Aprilis, ubi altera ejusdem Abbatis vita legitur ab auctore anonymo, & ut videtur syncrono digesta; Is porro, ut idem auctor narrat de longinquis regionibus ad Monasterium Sylvæ majoris anno 1079. cum sociis aliquot venerat, ubi cum reliquum vitæ tempus sanctissime transegisset, sancto fine ibidem quievit, ac anno 1197. ab Celestino tertio Sanctorum fastis adscriptus est, ut ex Celestini Papæ diplomate constat, apud Fontaninum. *Datum Laterani quinto Kalen. Maii Pontificatus anno septimo.*

Fontanin. Codex Canonizationum p. 33.

28. Hoc eodem tempore congregatio Antoniana in Gallis erecta est; cujus auctores Gasto vir nobilis provinciæ Viennensis, cum filio suo Guerino, qui cum meritis B. Antonii Abbatis sanitatem recepissent, statim se suaque omnia pietatis officiis consecrarunt; præsertim vero infirmis adjuvandis, qui sacro igne tacti erant; cumque octo alii viri, iis se adjunxissent, eorum opera nova religio, seu congregatio sub regula S. Augustini erecta tunc est, quæ tractu temporis in varias Occidentis provincias per Gallias, Italiam, Germaniam. & Hispanias propgata fuit, ut in historia ejusdem ordinis narrat Aymarus ejusdem ordinis Generalis præceptor. Hæc autem religio seu congregatio, quæ diu, & usque ad nostram ætatem perseveravit, etsi numero, & observantia jamdiu imminuta esset, tandem nostris hisce diebus extincta penitus est, cujus origines, progressus, variasque vices, apud Helliot, aliosque ab eo citatos videri possunt.

Institutio Congregationis Antonianæ in Gallia.

29. Hoc quoque anno Ladislaus Hungariæ Rex; *sanctitate, & gratia plenus transiit ad consortia Angelorum anno Regni sui decimonono, & sepultus Varadini in Monasterio suo, anno Domini* 1095., *tertio Kal. Augusti feria prima*; ait Thurocrius in chronico Hungarorum, sed legendum quarto Kalen. Augusti ut adnotat Pagius; ac Ladislai mortem hoc anno ab chronologis alligatam fuisse addit, successoremque in Hungariæ Regno Colomannum habuit, qui postea, ut narrat Monachus Malaterra Rogerii Siciliæ Comitis filiam uxorem duxit; Erat autem Colomannus, seu Calomannus Ladislai nepos filius Jeisæ, fratris Ladislai.

Ladislai Hungariæ Regis obitus.

Not. 22.

Murat. to. 5. rer. Ital. lib. 4. 25.

JE-

JESU CHRISTI AN. 1096. URBANI II. PAPÆ AN. 7. HENRICI IMP. AN. 13. ALEXII COMNENI IMP. 16.

JESU CHR. AN. 1096.

1. Hujus quoque anni partem maximam in Galliis Urbanus secundus transegit, ubi concilia celebravit, Ecclesias consecravit, monasteria visitavit, cujus peregrinationis auctores historiæ litterariæ Galliæ, Mabillonius, & Pagius describunt. Nobis sat erit adnotare, quod cum Natale Domini anni elapsi Lemovici celebrasset, ineunte Januario inde digressus, in festo S. Hilarii, ut narrat chronographus Malleacensis *Pictavis fuit, & benedixit monasterium novum sexto Kal. Febr., post hæc perrexit Andegavis, & benedixit monasterium S. Nicolai, deinde abiens Turonis tenuit concilium in monasterio S. Martini, in quo inter alia restauravit Abbatiam S. Mauri, & præcepit habere Abbates &c., Inde reversus est Santtones civitatem, & celebravit ibi S. Pascha, & inde remeavit Romam, & in eundo remeavit Neamusum civitatem, ubi item tenuit concilium, & reconciliavit Philippum Regem Francorum &c.* Pontificis iter describens Bertholdus, *dominus Papa* ait *Arelati* seu potius, ut adnotat Pagius *Lemovici, diem Dominicæ Nativitatis cum diversarum provinciarum Episcopis gloriosissime celebravit. In his locis ex parte schismaticorum Virdunensis Episcopus ad Apostolicum pervenit, ejusque misericordiam consecutus est, ita tamen ut eadem misericordia a Legatis Papæ in Teutonicis partibus perficeretur eidem. In tertia hebdomada Quadragesimæ dominus Papa Synodum celebravit cum diversarum Episcopis provinciarum in civitate Turonensi, ubi iterum suorum præteritorum statuta Conciliorum generali Synodi assensione roboravit. Et non multo post Episcopum Strazburgensem de excommunicatione respiscentem recepit in communionem, ita tamen, ut de illatis criminibus se expurgaret &c.* deinde post plurima de militari expeditione adnotatis, de gestis in Gallia iterum agens, subdit. *Philippus Rex Galliarum, jamdudum pro adulterio excommunicatus, tandem Domino Papæ, dum adhuc in Galliis moraretur, satis humiliter ad satisfactionem venit, & abjurata adultera in gratiam receptus est, seque in servitium Domino Papæ promptum exhibuit &c.* Gestorum Urbani Papæ in Galliis varia adhuc supersunt monumenta a Baronio, alii-

Urbani secundi gesta in Galliis. *Mabill. annali Bened. pag. an.n 1076. pagi ibid. Dacheri spicileg. tom. 12.*

Concilium Turonis celebrat.

Philippus Rex Franc. ab Urbano reconciliatus.

JESU CHR. AN. 1096.

aliisque relata, ac primum cum Turonis esset, antiqua Turonensis Ecclesiæ privilegia probavit, confirmavitque, deinde controversiam inter Canonicos, & Monachos Cormericenses prope Turonos composuit, cautumque est, ut abbas electus, ab Canonicis, seu e tumulo S. Martini baculum pastoralem acciperet: Andegavis vero profectus cum accepisset ibidem Præbendas, & Canonicatus nonnisi soluto prætio dari, hunc abusum, & simoniacam labem edito diplomate, ne ultra id fieret, prohibuit, eamdemque S. Martini Ecclesiam sub Apostolicæ Sedis protectione recepit, quam etiam ab omni secularis potestatis gravamine immunem penitus esse voluit, ita ut *Nullus in villis, aut mansionibus, sive territoriis, sive ecclesiis, aut pagis adjacentibus vestram Ecclesiam pertinentibus, invitis vobis judicia agere, ingenuos, servosque seculi potestate constringere, nec teloneum, vel naulum exigere præsumat &c.* deinde post alia. *Si quis in crastinum*, sive imposterum, *Archiepiscopus, aut Episcopus, Imperator, aut Rex. Princeps, aut Dux, Comes, Vicecomes, Judex, aut Ecclesiastica quælibet, sæcularisve persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertiove communitus, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reumque se divino Judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri* JESU CHRISTI *alienus fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat*: hæc & alia ibidem.

Lab. tom. 10. pag. 602.

Monasterium S. Mauri Cassin. si Urbanus subiicit.

2. Dum Turonensi concilio præsideret Urbanus Papa 2., *Monasterium S. Mauri in Glammafoglio a Fossatensium monachorum tyrannide priscinæ dignitati libertatique restituit, sub magisterio tantum Cassinensis cœnobii perpetuo mansurum*, ait Petrus Diaconus, hoc autem privilegium ab eodem Urbano subreptum fuisse, cum Urbani successore Pasquale Pontifice conquestus est Ivo Carnotensis Episcopus, & ut illud revocaret, datis ad eum litteris exoravit. *Quoniam judicia Romanæ Ecclesiæ nemine foris retractare posse eadem Romana Ecclesia docente, didicimus: si qui aliquando se prægravatos ipsius Ecclesiæ auctoritate conqueruntur, hoc eis consilium damus, ut non descendant in Egyptum propter auxilium, sed ab ipsa ad ipsam confugiant, & inde expectent levamen, unde se conqueruntur accepisse gravamen: quia quæ ali-*

Petri diac. Chr. Cassin. lib. 4. 18.

Ivon. epist. ad Paschal. n. 159.

JESU CHR. AN. 1096.

aliquando corripit paterna severitate, eadem frequenter colligit materna pietate. Quod id eo prælibavimus beatitudini vestræ, ut causam Fossatensium monachorum patienter audiatis: & quantum salva Apostolica reverentia fieri potest, anxietatem eorum misericorditer relevetis. Conqueruntur enim se in Concilio Turonensi prægravatos, quoniam ad suggestionem Comitis Andegavensis dicant fuisse subreptum domno Papæ Urbano, ut monasterium S. Mauri, situm in patria Andegavensi, quod sub jure Fossatensis monasterii antea per trecentos, aut eo amplius annos extiterat, de ejusdem monasterii jure auferret, & ordinato ibi Abbate, liberum esse constitueret, quod factum est, Fossatensibus monachis jus suum reclamantibus, & multis, qui Concilio intererant, aliter sentientibus, cum viderent privilegium, quo nitebantur Fossatenses monachi, de manibus eorum ab Andegavensibus fuisse ereptum, & in plures partes fuisse conscissum. Adhibitis ergo multorum intercessionibus supplicant prædicti monachi, ut eorum negotium a majestate vestra legitima discussione retractetur, & vel misericordia flectente, vel justitia dictante, terminetur. Hucusque Ivonis epistola.

Nemausense concilium, ejusque canones.

3. Dum in Galliis adhuc Vrbanus esset, Philippum Francorum Regem, qui adulteram abjuraverat, & ejecerat, in gratiam ab eo receptum, seu ab excommunicationis sententia absolutum fuisse, ex Bertholdo supra adnotavimus, idque in concilio Nemausensi gestum adnotat Pagius, cujus concilii etsi acta perierint, canones tamen ibidem sexdecim ad ecclesiasticam instaurandam disciplinam vulgati adhuc supersunt, quorum hæc summa est: ut Episcopi de monachorum ecclesiis, præter censum nihil exigant: sacerdotes tamen in illis constituant. 2. & 3. ut monachos sacerdotali officio fungi liceat. 4. Contra eos, qui Episcopos, vel alios clericos capiunt. 5. Defuncti Episcopi res nemo invadat. 6. Vt laici oblationes & decimas Ecclesiæ non retineant. 7. Vt nullus Ecclesiæ bona hereditario jure possideat. 8. Vt qui de manu laici beneficium susceperit, illo careat. 9. Vt qui relicta minore Ecclesia majorem appetiit, utraque careat. 10. De iis qui consanguineas vel adulteras ducunt. 11. De raptoribus. 12. De presbyteris fornicatoribus. 13. Ne puellæ nubant ante annos XII. 14. Vt nemo rem, quam ipse aut sui Ecclesiæ dederint, ab ea repetat, nec clericum ad seculare ju-

Lab. tom. 10. pag. 606.

JESU CHR. AN. 1096.

judicium cogat. 15. Vt Episcopus, alterius excommunicatum non recipiat. 16. Ne monachi ad sepulturam, vel ad divinum officium recipiant excommunicatos.

Urbanus Papa expeditionem in Orientem urget.

4. De Urbani itinere per Gallias, ac de gestis ibidem hæc etiam narrat Fulco Andegavensis Comes, ab Holstenio in collectione Romana monumentorum parte 2. pag. 222. vulgatus. In fine istius anni 1096. venit Andegavum Papa Romanus Urbanus, & admonuit gentem nostram, ut irent Jerusalem expugnaturi gentilem populum, qui civitatem illam, & totam terram Christianorum usque Cpolim occupaverant. Tunc in Septuagesima dedicata est Ecclesia Sancti Nicolai ab ipso Papa. Constituit etiam idem Apostolicus, & edicto jussit, ut in eodem termino, quo dedicationem fecerat, indictum *publicum celebraretur* (idest, nundinæ, ut recte Ducangius in Glossario explicat) *unoquoque anno apud S. Nicolaum, septima pars pœnitentiarum populo convenienti ad illam celebritatem dimitteretur, Unde discedens, Cenomannum venit, & inde Turonum, ibique datis venerabili Concilio decretis media Quadragesima coronatus est, & cum solemni processione ab Ecclesia S. Mauricii ad Ecclesiam B. Martini deductus: ubi mihi florem aureum, quem manu gerebat, donavit: quem ego etiam ob memoriam & amorem illius in Osanna semper mihi, meisque successoribus deferendum constitui*, ex Tolosana urbe Magdalonam transiisse constat ex catalogo Episcoporum Magalonensium ab Arnaldo de Verdala circa annum 1340. vulgato, quo hæc leguntur. *Anno* 1096. *in vigilia Apostolorum Petri, & Pauli Urbanus Papa secundus, qui ad visitandas & confirmandas Galliæ Ecclesias alpes transisset, ad preces dicti Gothofredi Episcopi* (nempe Magalonensis) *intravit Magalonem, ibique stetit per quinque dies, & tunc secunda die adventus sui, scilicet dominica*) quæ hoc anno incidit in diem XXIX. mensis Junii, festo SS. Apostolorum Petri & Pauli sacrum) *Congregatio totius pene Magalonensis Episcopatus, Clero & Populo sermone facto, assistentibus Archiepiscopis, Pisano, & Tarraconensi, ac Episcopo Albanensi, Signensi, Nemausensi, & Magalonensi, præsentibus Comite Substantionensi, Guillelmo Montispessulani domino, de terra nobilibus totam insulam Magalonensem, solemniter consecravit, & omnibus in ea sepultis ac sepeliendis absolutionem omnium delictorum concessit, & multa alia privilegia eidem*

Rosam auream Fulconi donat.

apud Labb. bibliot. tom. 1. pag.

Eccle-

Ecclesiæ donavit &c. atque his ab Urbano Papa in Gallia, gestis, in Italiam, & ad urbem rediit.

Jesu Chr. an. 1097.

5. Rebus itaque in Gallia bene dispositis, ait Bertholdus, *post reconciliationem Regis Galliarum, & post multa concilia, tandem in Longobardiam cum magno Triumpho & gloria repedavit, & exaltationem S. Crucis apud Hortarium prope Papiam solemniter celebravit: multosque Episcopos & Principes in suo comitatu habuit.* Et inferius de reditu Romam: *Dominus Papa tandem ad Apostolicam Sedem cum magna gloria & tripudio reversus, Nativitatem Domini Romæ cum suis Cardinalibus gloriosissime celebravit, quippe tota Romana urbe bene sibi subjugata, præter Turrim Crescentii, in qua adhuc latitabant Guibertini &c.* hæc is auctor de gestis sub finem hujus anni, quem a Nativitate Domini Bertholdus auspicatur.

Urbanus Papa ad urbem redit. *Bertholdi pag. 376.*

6. Occidentalis interea expeditio in Orientem, ut Turcis bellum inferrent, tanto animi ardore ab Urbano Papa anno proximo indicta, tantoque animi ardore suscepta initium habuit, utinam eo exitu, quo indicta, vel suscepta fuit, pro militiæ stipendio Urbanus Papa, omnes ad hanc expeditionem excitans, omnium peccatorum remissionem eis promisit, ait Bertholdus, eaque spe illecti, subdit auctor, *maxima multitudo de Italia, omni Gallia, & Germania Hierosolymam contra Paganos, ut liberarent Christianos ire cœpit*, ac turmatim *Signo Crucis seipsos in vestibus notare fecit, quod signum nonnulli etiam in carne ipsa sculpebant*, ut idem auctor adnotat, ac tanta Crucesignatorum multitudo fuit, ut ultra-trecenta millia in hac prima expeditione in varias distincti turmas, sub variis ducibus, itineri se dederint, quorum numerum eousque auget Moshemius, ut scribere non dubitaverit. *En consequence de ces grands préparatifs, huit cent mille homme partagis en differens corps partirent pour Cple*; quæ sane vix verosimilia sunt, nisi cum iis, qui hoc tempore Cruce signati sunt, ii quoque addantur, qui sequentibus annis, & proximo seculo, idem susceperunt iter. Italorum sane plurimos hoc, & sequenti anno undique concurisse his versibus narrat Fulco.

Expeditio Crucesignatorum in Orientem suscepta.

Tom. 2. histor. pag. 327. Gallice scripta edit. Iverd.

JESU CHR. AN. 1097.

Quos Athesis pulcher præterfluit, Eridanusque,
Quos Tyberis, Macra, Volturnus Chrustumiumque
Concurrunt Itali &c.
Pisani, ac Veneti propulsant æquora remis
& paulo post iterum.
Qui ligures, Itali, Tuschi, pariterque Sabini
Umbri, Lucani, Calabri, simul, atque Sabelli
Aurunci, Volsii, vel qui memorantur Etrusci
Quæque etiam gentes sparguntur in Apula rura

Ducheſne rer. Franc. tomi 4. pag. 891.

Hinc merito adnotavit Anna Comnena

Motus enim revera tunc est totus
Occidens, hoc est quantum barbararum gentium
(Sic Græci Occidentales omnes vocabant,)
Ultra mare Adriaticum, usque ad Herculis
Columnas extenditur, & universa velut
Europa inopinato exurgens, convulsis sedibus
Tumultuoso cursu se in Asiam transtulit.

Anna Comn. lib. 10. pag. 283.

Alexius Imper. occidentalium adventum, suspectum, habet.

7. Occidentalium innumerabilem turbam, eorumque adventum Cpolim inviſum Alexio Imper. fuiſſe addit; *Norat quippe expertus abunde Roberti bellum, Francorum subitos vehementes impetus &c.* ac tantæ molis opus, auctore Petro, ſeu *Cucupetro*, cucullato ſcilicet Petro, ſeu Monacho ſuſceptum fuiſſe narrat, cujus exhortatione, & relatione earum rerum, quæ Hieroſolymis viderat, ac ab Saracenis ſuſtinuerat, excitati adeo auditores fuerunt, ut *Concussi ea voce animi Gallorum* ut ait Anna, *fervere undique cuncta, aliis aliunde cum armis, equis, ceteroque apparatu bellico affluentibus, mira singulorum alacritas, mirus impetus euntium, quorum assiduo accursu viæ semper publicæ terebantur, nec turmis eo modo, ac cohortibus militum. Gallorum, sed & arenæ, astrorumque numerum vincente multitudine redundabant*, ac iter per Daciam ingreſſi, *Viæ quasi ducibus locuſtis utebantur*, addit, *pari fere cum his populis numero exercitum istorum adventum modico loco, temporumque spatio præcedentium*, ſicque cum locuſtarum numerum æquarent, locuſtas quodammodo pro ducibus habuiſſe adnotat, quæ quidem etſi in vineas ſoevirent, ſegetibus tamen parcebant, quod boni portenti indicium habitum fuiſſe addit, atque his de

pag. 284.

de ea expeditione adnotatis, antequam Crucesignatorum iter, vel gesta describamus justa ne eadem expeditio, rectoque fine suscepta fuerit, paucis inquiramus, cum diversæ super his sint scriptorum opiniones. Jesu Chr. an. 1097.

8. De fine autem juriſque æquitate, adnotandum inprimis est; Crucesignatorum mentem, vel Urbani Papæ intentionem, qui eosdem ad eam expeditionem excitavit, ex belli exitu non esse conjiciendam, quem sane toti Europæ luctuosum fuisse dubitari non potest, ob immensas in ea divitias frustra consumptas, & ob innumeras Christianorum strages, ea occasione editas; At quo fine susceptum fuerit, ex Petri Eremitæ prædicatione, ex Urbani Papæ orationibus in concilio Claromontano recitatis, ex scriptorum hujus temporis testimoniis, satis aperte patet; in eo scilicet positum, quod ægre ferrent Palestinæ loca, præsentia sua, & miraculis a Jesu Christo illustrata ab infidelibus retenta, ac prophanata, atque Christianos, non sine maximo vitæ periculorumque discrimine ad ea adeunda, ob Turcarum feritatem, & avaritiam, viam patere, cumque jamdiu in Christianorum mentibus ea invaluisset opinio, quod peregrinatione ad loca sancta peccatorum remissionem facilius obtinerent, hinc mirum non est, tanta animi promptitudine, & alacritate expeditioni indictæ Christianos nomen dedisse; Atque hinc futilia omnino sunt, quin & absurda a nonnullis, ad conflandam Urbano Pontifici, ejusque successoribus invidiam tradita, quasi lucri causa, & ut Crucesignatorum, qui in ea expeditione perierunt, ecclesias ditarent, ad bellum suscipiendum fideles excitaverint, nam etsi dubitari non possit, ecclesiarum facultates, auctas inde fuisse, eo quod plurimi in ejusdem expeditionis procinctu, de exitu, redituque incerti, bona sua cum præsertim filiis carerent, Ecclesiis testamento, vel pro animarum suarum redemptione, pauperumque sustentatione reliquerunt, eo tamen fine eam expeditionem, indictam fuisse dici, vel suspicari non potest, cum diversum omnino exitum futurum, felicioremque expeditionis Urbanus Papa, Petrus Eremita, ceterique cujuslibet conditionis homines, sibi augurarentur; Nec meliora sunt, quæ ab malignis conjectoribus de Principum mente traduntur, eos scilicet expeditioni sacræ consensum præbuisse, manumque dedisse, ut Magnatum potentiam comprimerent, quos in ea periclitari, bonisque spoliari sperabant; Quo fine bellum sacrum susceptum fuerit.

JESU CHR. AN. 1097. cum præſertim eorum plurimi, ut impenſas ad expeditionem pararent, Principatus, Ducatus, Comitatuſque ſuos, ea occaſione, Principibus majoribus vendiderint; Sic Robertus Normandiæ Ducatum, fratri ſuo Angliæ Regi renunciavit, ut in hiſtoria majori teſtatur Matthæus Paris; Odo Burgenſis Comes eadem occaſione Francorum Regi Comitatum vendidit, aliaque ex hujuſce rei exempla profert Dufresne in vita S. Ludovici Regis; vide etiamſi lubet Des Molets memoires de litterature. e d' hiſtoire tom,9., aut Cramerum de juribus, & prærogativis nobilitatis tom. 1. At hæc, quæ temporis decurſu acciderunt, aut prævisa fuiſſe, vel expeditioni cauſam dediſſe, non niſi ſomniator, vel delirans, dicere poteſt; Unde plura addere ſuperfluum eſt.

lib. 1. p. 24. Gallia Chriſt. Benedict. to. 2. 45.

Quo jure, & juſtitia bellum ſuſceptum ſit.

9. Jure vero, juſteque adverſus Turcas tantum tunc bellum ſuſceptum fuerit, dubitarunt nonnulli, quorum agmen Cathari, & Valdenſes ducunt, quos poſtea alii plurimi ſecuti ſunt, Benedictus ſcilicet Accoltius de bello ſacro contra infideles lib. 1. p. 16. Baſnagius hiſt. d' Egliſe Reformée tom. 1. pag. 235. Vertot hiſtoire des Chevaliers de Malte tom. 1. Baillet hiſtoire des Demelés de Boniface octave avec Philippe le bel, aliique: Valdenſes porro hæc objiciebant, Apoſtolum chriſtianis præcepiſſe. *Sine offenſione eſtote Judæis, & gentibus, & Eccleſiæ Dei.* Per gentes autem Saracenos intelligebant, quibus moleſtiam, & offenſionem afferre vetitum erat; at venerabilis Moneta Ordinis Prædicatorum ab clariſſimo Auguſtino Ricchinio ejuſdem Ordinis, & Magiſtro Sacri Palatii Romæ editus, notiſque illuſtratus anno 1743. his reſpondens, Paleſtinæ terram Abrahe filiis datam fuiſſe adnotat, Chriſtianos vero Apoſtolo teſtante promiſſionis Abrahæ factæ ſucceſſores fuiſſe addit, quibus propterea jus erat vindicandæ paternæ hæreditatis, quæ cum ingenioſa magis, quam vera ſint hæc, veroſimiliora addit. *Terra illa Chriſtianorum fuit hominum, ſcilicet ad Chriſtum converſorum ibidem, & poſſeſſa fuit a Chriſtianis. Saraceni autem poſtea expulerunt Chriſtianos, & occiderunt eos, & terram illam occupaverunt injuſte, moniti autem ab Eccleſia ut ceſſarent ab iſta violentia, noluerunt reſipiscere; unde ſicut Paulus Actor. 23. v. 17. & ſeq. ad ſuam defenſionem impetravit a Tribuno per nepotem, & accepit milites armatos; ita Eccleſia ad ſui defenſionem pro illa terra impetrat, & recepit auxilium a Principibus terraram, & aliis hominibus,*

1. *ad Corint.* 10.

ad Galat. 3.

Ven. Moneta lib. 5. cap. 13 pag. 531.

bus. & indulgentiam facit eis merito hujus auxilii. Hæc is auctor, quæ quidem etsi plausibilia sint, aliæ nihilominus eæque graviores causæ ad id adversus Turcas bellum suscipiendum non deerant, & imprimis Constantinopolitanus Imperator auxilium ab Occidentalibus adversus infensissimos hostes, missa legatione postulaverat, ut de Placentina Synodo agentes, anno superiori adnotavimus. Occidentalium etiam quammaxime intererat Turcarum feritatem, audaciamque comprimere, ne Orientali exciso Imperio, in Europam irruerent, ut temporis tractu accidit, eamdemque, & præcipue Italiam suo subjugarent Imperio, uti Mauhumetes secundus seculo decimoquinto ineunte tentavit; Quamobrem eodem tempore, quo auxiliares in Orientem profecti sunt, suam quoque causam, tutelamque susceperunt. JESU CHR. AN. 1097.

10. In tres itaque turmas divisi hoc anno, tres quodammodo exercitus in Orientem profecti sunt; Primæ cohorti, quæ pecudum more magis, quam militari ordine profecta est Petrus Eremita præerat; vir quidem zelo fidei incensus, ac Monachis magis, quam militibus regendis aptus, qui etiam non militares ordines, sed turbam cujuslibet conditionis hominum, & fœminarum ducebat. Unde in Hngariam ingressi, cum eam vastare cœpissent, iis occurrens Hungarorum Rex, partem plurimam, aut delevit, aut ultra progredi prohibuit, *cujus etiam non parva pars ad introitum Hungariæ occubuit*, ut narrat Bertholdus, *reliqui vero cum Hungariam non permitterentur intrare, domum mœste cum magna tristitia repedare cœperunt*; Secundæ cohorti præerat Dux Gottifredus, Bulionus dictus, & Balduinus frater ejus, & Comes Balduinus de Monte, viri quidem prudentia, militarique scientia præstantes, tertium verum exercitum ex Italis præcipue collectum Bohamundus Apuliæ Dux, seu Comes in Orientem anno proximo duxit, qui hoc anno dum navigandi tempus aptum expectaret, ad expeditionem necessaria paravit; Gothofredus vero cum Balduino eadem incedens via, dum adhuc in Germania esset, militum quoque suorum proterviam, feritatemque expertus est, quam in Judæos præcipue exercuerunt, ut Bertholdus, & auctor chrnici Augustensis, aliique narrant, *In quibusdam civitatibus*, ait Bertholdus *Judæi magna cæde trucidati sunt ab iis, qui Hierosolymam petierunt; ita dico, ut apud Spiram fugientes in Palatium Regis, & Episcopi, etiam repu-* Tres exercitus in Orientem profecti

Pag. 375. 6. Freher. Chron. Aug

JESU CHR. AN. 1097.

repugnando vix se defenderent, eodem Episcopo Joanne illis auxiliante. Qui & postea ob hoc ira commotus, & pecunia Judæorum conductus, quosdam fecit obtruncari Christianos. Item apud Vormatiam Judæi persecutionem Christianorum declinantes ad Episcopum properabant, qui cum non aliter in illis salutem nisi baptizarentur, promitteret, inducias colloquii rogaverunt, & eadem hora Episcopi cubiculum intrantes nostris foras expectantibus, quid responsuri essent, Diabolo, & propria duritia persuadente se ipsos interfecerunt. Interea etsi itineris fatigatione, aeris intemperie, ciborum inopia, & gladio, Crucesignatorum numerus quammaxime innumerus esset; tot tamen tantique remanserant, ut hostem vincere potuissent, si Gottifredo Duci paruissent, nec in factiones divisi essent.

pag. 356. Judæi a militibus trucidati.

Petri Eremitæ exercitus CP. venit gesta ibidem, & stragem.

11. Omnium primus *Petrus Eremita Constantinopolim venit in Kal. Augusti, & cum eo maxima generatio Allemannorum. Illic invenit Lombardos, & alios plures congregatos, quibus Imperator Græcorum jusserat dari mercatum* (ideſt cibaria ad alimoniam exercitus) *sicuti mos erat in civitate. Dixitque illis: Nolite transmeare Brachium* (nempe S. Gregorii, seu Helespontum), *donec veniat maxima Christianorum virtus, quia vos tot non estis, quod cum Turcis præliari valeatis.* Crucesignati interea Constantinopoli morantes se se flagitiis, rapinisque dederunt, itaut palatia diruerent, & diriperent, plumbum, etiam quo Ecclesiæ erant coopertæ auferentes. Quare eosdem Imperator ut ultra fretum abirent, hortatus est; Ii vero fretum transgressi Nicodemiam pervenerunt, ac illic natio quælibet Ducem sibi præfecit, cum Lombardi, Francis, aut Germanis parere recusarent, Alemanni Francis, vel Franci Alemannis subesse nollent: sicque divisi in Romaniam transierunt, & per quatuor dies iverunt, ultra Nicæam civitatem, & invenerunt quoddam castrum, cui nomen Sieregorgo, quod vacuum erat, ibique Castra fixerunt, ubi etiam frumentum, vinum, & carnem, & omnia bona invenerunt, ait auctor anonymus historiæ belli sacri apud Mabillonium tomo primo Musei Italici; Eademque fere ceteri scriptores in unum collecti, sub titulo *Gesta Dei per Francos*; Hannoviæ anno 1611. editi, inter eos Robertus Monachus, & Gulielmus Tyriensis Archiepiscopus, qui præ ceteris fusiori stylo eadem narrat.

At

JESU CHR. AN. 1097.

12. Adepta tamen ſtatione non ſine maxima Chriſtianorum ſtrage inde ejecti ſunt, nam ab Turcis obſeſſi, omnes fere, aut occiſi, aut in captivitatem ducti ſunt, quorum plures eo quod Chriſtianam fidem abjurare recuſaſſent, gladio percuſſi ſunt. *Iſti autem*, ait auctor, *acceperunt feliciter Martyrium pro Chriſti nomine. Audientes autem Turci, quod Petrus Eremita & Gualterius ſine habere* (ita cognominabatur) *fuiſſent in civitate, quæ ſupra Nicæam, venerunt illuc gaudendo occidere illos. Cumque venirent, lætantes obviaverunt Gualterius, & ſui milites, quos omnes confeſtim occiderunt*, At Petrus Eremita Conſtantinopolim redierat; *Eo quod nequibat retinere illam diverſam gentem, quæ nolebat eum audire, & verba ejus auſcultare etc.* Turci vero undequaque excurrentes, ingentem Chriſtianorum numerum, hinc inde diſperſos occiderunt, vel captivos duxerunt; Audiens hæc Imperator, ſubdit auctor, *lætatus & gaviſus fuit*, & ab Turcis omnia Chriſtianorum arma comparavit, ſicque impoſterum quos ſibi auxiliares in Orientem vocaverat, tamquam hoſtes habuit; utpote quos ſibi, & Orientali Imperio, æque ac Turcis infeſtos expertus fuerat.

Chriſtianorum ſtrages circa Nicæam

13 Gottofredi vero, & Balduini fratris exercitus, per Germaniam tranſiens, crudelitatis, & avaritiæ indicia, in Judæos præcipue cum reliquiſſet, ut ſupra adnotàvimus; per Sclavoniam, & Hungariam Conſtantinopolim, *duobus ante nativitatem Domini diebus pervenit, & juxta urbem in burgo, ut ſibi ab Imperatore juſſum fuerat hoſpitabatur*. Alexius autem Imperator ſuis militibus juſſit, ut quoslibet diſperſos invenirent, occiderent, quare Balduinus inſidiis detectis, vim vi repellere cœpit, ac Alexii milites in ſuos irruentes, ex improviſo aggreſſus, in fugam, ſexaginta ex eis occiſis, convertit, at ex Burgo egreſſus ad urbem acceſſit, quos Alexius vi aperta, inde ejici præcepit, at fugati iterum Alexii milites, cum ad urbis portas Balduinus adeſſet, poſt dies quinque, eum rogavit Imperator, ut brachium S. Georgii transfretaret. *Promiſitque facere illuc conduci omnem mercatum, ſicut erat Conſtantinopoli, & pauperibus eleemoſinam erogare unde vivere poſſent*; quibus etiam naves, & evectionem conceſſit, cumque inter ſe Francorum Duces, & Alexius Imp. fide data, ac juramento firmata, ne alter alteri injuriam, aut dolum faceret, ſibi invicem promiſiſſent, ut pluribus ſupracitati ſcriptores

Gottofredi Bullionis adventus Conſtantinopolim, & geſta.

Ano-

JESU CHR. AN. 1097.

Anonymus, ſcilicet Robertus Monachus, Baldricus Archiepiſcopus, & Gulielmus Tyrenſis narrant.

Ugo Magnus a Græcis detentus, paulopoſt dimittitur.

14. Dum hæc agerentur, exercitus pars tertia, *per antiquam viam Romam venit, in iſta vero parte fuit Robertus Comes Flandrenſis, & Robertus Comes Normannus, & Ugo magnus*, frater philippi Francorum Regis, *& alii plures, ac deinde appropinquaverunt ad portum Brunduſii, aut Bari, aut Taranti*; ut vere adveniente opportuno tempore transfretarent. *At Ugo magnus, & Gulielmus Marchuſi filius confeſtim miſerunt in mari ad portum Bari, & transfretantes applicuerunt Duracchium, Audiens itaque Dux illius civitatis illos prudentiſſimos viros illuc eſſe applicatos. continuo mala cogitatione in cor ejus aſcendente, juſſit eos moveri, & Conſtantinopolim ante infelicem Imperatorem caute deduci, quo ei fidelitatem facerent*, cumque illuc biduo ante nativitatem Domini cum exercitu perveniſſet Rogerius ab Alexio. ut liber Hugo dimitteretut, obtinuit, ut Baldricus, aliique narrant.

Geſta Dei per Francos p. 91. Tirienſis pag. 654.

Milites Rogerii Cruce ſe ſignant. *Murat. rer. Ital. tom. 5. p. 46. & 599*

15. Cum autem eo tempore Rugerius Apuliæ Dux, cum patruo ſuo Rugerio Siciliæ Comite Amalphim obſiderent, Cruceſignatorum fama perſonante, factum eſt, ut Bohamundus Calabriæ Dux, Cruce ſuſcepta, Cruceſignatorum Ducem ſe declararet: *Porro juventus bellica*, ut ait Malaterra, *tam Ducis, quam Comitis* (Rugerii ſcilicet) *novarum rerum, ut in tali ætate aſſolet, appetens, viſa Cruce Bohamundi*, certatim Cruce ſe ſignarunt, ut in Orientem tranſirent, *Dum autem, & Comes Rugerii evercitum ſuum magna ex parte ſibi taliter deficiſſe videntes*, ab Amalphitana obſidione triſtes receſſerunt; Ad eam expeditionem vigintimillia Seracenorum Rugerium conduxiſſe narrat Lupus Protospata; Horum tamen numerum exageraſſe adnotat merito Muratorius, nam ſi tantam Saracenorum multitudinem ſecum habuiſſet, qui ſane Cruce nequaquam ſignati fuerunt, Amalphitanam obſidionem non reliquiſſet.

Urbani Papæ epiſt. ad Alexium Imp. *Labb. to. 10. pag. 438.*

16. Urbanus autem Papa expeditione in Orientem jam ſuſcepta, ut Occidentalium votis faveret, Alexium Imperatorem hortatus eſt. *Cum ſtatutum fuiſſet apud Clarummontem Averniæ, ut communibus votis bellum adverſus Saracenos gereretur, tanta hominum multitudo Cruce ſignata eſt, ut ad trecenta hominum millia cenſa fuerint. Ducum autem fortiſſimorum tantus ardor, ut de recuperanda Hieroſoly-*

m

ma multum sperare debeamus. Primus omnium Petrus Eremita innumerabilibus se Ducem præbuit, cui Godofredus, Eustachius, & Balduinus fratres Bolioni Comites se addiderunt, majores etiam copias paraverunt. Hinc Podiensis Episcopus belli Dux, & Raymundus sancti Ægidii Comes, inde Hugo magnus Philippi Francorum Regis frater, & Robertus Nortmanniæ, & alter Robertus Flandriæ, & Stephanus Carnuti Comites. Quid dicam de Boamundo ipso, qui ingenti animi magnanimitate iis se Comitem adjunxit cum septem milleque delectæ juventutis Italicæ relicta fratri rerum omnium cura, quo cum diu bello contenderat? Ad hos belli maximos apparatus unum illud in primis est necessarium, ut tuo præsidio commeatuque tantæ copiæ juventur. Quare ab te peto majorem in modum, ut quibuscumque rebus poteris justissimo bello glorioseque faveat. Illud autem, tametsi non dubitem abi te curatum iri, volui tamen te per litteras nostras scire id mihi, & universæ Christianæ reipublicæ jucundissimum fore. Vale Romæ &c.

JESU Chr. an. 1097.

JESU CHRISTI an. 1097. Urbani II. Papæ an. 10. Henrici Imp. an. 14. Alexii Comneni Imp. 17.

1. Anno superiore in urbem rediisse Urbanum Pontificem, ibique summa cum gratulatione exceptum, Natalem Domini celebrasse, diximus; Turrem tamen Crescentiam ab Gibertinis Schismaticis adhuc retentam fuisse Bertholdus, & Otto Frisingensis adnotant, ac opera eorum, ut narrat Otto, qui Hierosolymam profecturi per urbem transierant, ut inde per Apulliam mare ingrederentur, *Gibertum ab urbe, excepto castro Crescentii ejecit, sedemque propriam recepit*; paulopost vero schismaticos ab eadem Crescentiana arce, seu S. Angeli ejecit; *Ad urbem regredientes*, ait Otto, *corruptis eis, qui castrum Crescentii servabant, muneribus, Giberto tam urbe, quam castro expulso libere tota potitur urbe.* Quem paulopost objisse addit, anno scilicet 1099., ut ibidem dicturi sumus.

Urbanus Papa in urbem reversus, schismaticos inde ejicit. *Otto Frising. chron. l. b. 7. cap. 6.*

2. Cum ejectis ab urbe, & castro Crescentii schismaticis, securus in urbe tandem degeret Urbanus Papa, gratulatorias ad eum litteras dedit Ivo Carnotensis. *Quoniam Romana Ecclesia*, ait, *post multa naufragia sub vestro regimine ad portum jam pene pervenit, & Italiæ regnum jam diu rebelle*

Ivonis epist. gratulatoria ad Urbanum Papam epist. 43.

JESU CHR. VN. 1097. *in conspectu vestro totum pene conticuit; ita ut novus Rex ad voluntatem Dei, & vestram in manus vestras se dederit; gaudeo in Domino, & gaudium meum nullis syllabarum mentis explicare sufficio. Quotidianas etiam preces coram Deo pro vestra incolumitate, & pace multiplico, ut sermo Dei per vos currat, & de die in diem magis proficiat; & bona quæ per vos inchoavit, & ad finem usque perducat*; ac de Villelmo in Parisiensem Episcopum electo ibidem agit, cujus electionem ab omni regali violentia, vel simoniaca labe immunem fuisse, post inquisitionem a se factam, adnotat, cui hoc unum objici poterat, *quod infra annos legitimos esse videbatur*, ac ut de hoc defectu indulgentiam ab Apostolica Sede postularet, se ei suggessisse addit; Pontificem deinde admonet, ne obtrectatoribus ejus aures præbeat; quanta autem benevolentia Vrbanum Pontificem, reverentiaque Romanam Sedem prosequeretur Ivo Carnotensis, quam plurimæ ejusdem epistolæ ad Vrbanum, & ad successorem ejus Paschalem datæ testantur, ac se Romanam Sedem adire non semel in animo habuisse testatus est; *Ad visitandam paternitatis vestræ dulcedinem, ad relevandas quotidianas cruces meas, præsentiam vestram jam sæpe adire proposui. Sed impediente sathana votum meum adhuc implere non valui. Nam ad bestias quotidie pugnans, non invenio requiem spiritui meo, & miserabiles Christianæ religionis ruinas, quibus reficiendis vix aliquis, aut nullus insudat, cum multa cordis contritione deploro. Unde quia video me præesse, sed nulli fere prodesse, sæpe delibero renuntiare curæ pastorali, & ad priscinam quietem redire, ubi illum expectem, qui salvum me faciat a pusillanimitate spiritus, & tempestate. Sed pene sola retinet me paternitatis vestræ dilectio, cui quantum debeam nec ipse pensare sufficio &c.*, ac Pontificem admonet, ne clerico quodam a se damnato, aures præberet, *qui falsis delationibus jam secundo pulsavit, dicens se per solas conjecturas accusatum, & de sola suspicione proscriptum &c.*; quem certis probationibus convictum fuisse addit, ac tandem. *Igitur secundum quod placuerit discretioni vestræ, aliquid tale super hoc parvitati meæ rescribite, quod huic stulto, & ceteris cornua non addat, & vires meas non excedat. Ipse autem nunc ad vos ire disposueram, sed iste publicavit adventum meum studiosissime per totam Romani itineris viam*; ac aliis distentum curis, id se nequaquam exequi posse adnotat: longum porro esset Ivonis

Aliæ Ivonis litteræ ad Urbanum. *Epist.* 25.

Epist. 25.

nis referre litteras, quibus suum vel in Pontificem, & in Romanam Ecclesiam obsequium obedientiamque testatur.

Jesu Chr. an. 1097.

3. Hinc cum audiffet, adversum se aliquatenus Vrbani Papæ ob quasdam ab eo datas epistolas exacerbatum fuisse, continuo non sine maximo animi sui mœrore, hisce ad eum rescripsit: *Audivi dulcedinem vestram in me amaricatam, serenitatem vestram adversum me turbatam: audivi, & conturbatus est venter meus, & ossa mea conturbata sunt. Et diligenter consului animam meam quid dixerim, quid fecerim, unde mansuetudinem vestram exasperaverim. Nec occurrit mihi, nisi quod dixerunt quidam mihi quasdam litteras me composuisse adversus Romanam disceptantes Ecclesiam, quas miseram Legato vestro Lugdunensi Archiepiscopo, pro causa Senonensis electo. Sed cum has apud me reperiens diligenter perlegissem, multa ibi pro Romana Ecclesia, nihil contra Romanam Ecclesiam in his scriptum intellexi: nisi quis forte ad voluntatem scriptoris non accedens, ut unam faciem castorum eloquiorum non attendens, dicat, quod absit, authentica scripta sibi invicem adversari, & auctoritatem auctoritate impugnari, cum multa dissona ibi legantur, nisi suo modo intelligantur, & ad sententiam scriptoris accomodentur &c.*, & post aliqua, se pro eodem Urbano gravia hactenus pertulisse narrat; quamlibet tamen satisfactionem se ei daturum promittit. *Ego de me sentio*, subdit, *quod non est aliqua persona transmontana, quæ pro fidelitate vestra, pro assertione præceptorum vestrorum tot contumelias pertulerit, tot injurias acceperit. Sed quia illa verba quacumque occasione animum vestrum exacerbaverint, non est meum adversus vos intrare in judicium. Malo enim Episcopatui renuntiare, quam iram vestram juste, vel injuste sustinere. Hæc satisfactio si placuerit vestræ paternitati, placet & meæ parvitati. Hanc si placet accipite: si plus placet, plus addite. Si desisto vester esse servus, non desistam vester esse filius: & sicut expertus sum ante Episcopatum, plus potero prodesse in Ecclesia Dei exemplo privatus, quam verbo prælatus &c.*, ac tandem litteris suis Urbanum admonet, ne electo ab Turonensi Archiepiscopo pro Aurelianensi Sede obtinenda consensum præberet; *Persona est*, ait, *ignominiosa, & de inhonesta familiaritate Turonensis Archiepiscopi, & fratris ejus defuncti, multorumque aliorum inhoneste viventium, per urbes Franciæ turpissime diffamata. Quidam enim concubii sui appellantes eorum Floram, multas rithmicas cantilenas de*

Ivonis epist. ad Urbanum Papam. *Epist* 54 55. 59. 60. 61. 65.

JESU CHR. AN. 1097.

eo compoſuerunt, quæ a fœdis adoleſcentibus, ſicut noſtis miſeriam terræ illius, per urbes Franciæ in plateis, & compitis cantitantur, quas & ipſe cantitare, & coram ſe canticari non erubuit. Harum unam domno Lugdonenſi in teſtimonium miſi, quam cuidam eam cantitanti violenter abſtuli: Providendo itaque veſtræ honeſtati, & Eccleſiæ utilitati, nunquam eum conſecrari permittatis, ne Eccleſiam Dei prſtoibulum publicum, & ſpeluncam latronum faciatis. Sciatis etiam quia Turonenſis Archiepiſcopus contra interdictum Legati veſtri in Natale Domini Regi coronam impoſuit, & ut iſte Episcopus fieret, hanc mercedem promeruit. Et ut ſciatis puerilem fuiſſe electionem, quidam etiam de eligentibus in Natali Innocentium in eligendo ita jocatus eſt. Diligimus puerum, puerorum feſta colentes non noſtrum morem, ſed Regis juſſa ſequentes. Hæc Ivo pro domo Dei decertans, cujus cauſa aliæ ejuſdem extant epiſtolæ, quas referre longum eſſet.

Bohemundus cum exercitu in Orientem tranſit.

4. Tertia Crucefignatorum exercitus pars, ſeu potius tertius exercitus, ex Apuliæ littoribus ſolvens, Coſtantinopolim hoc anno ſub Bohamundo Tarenti Principe pervenit; Tantorum autem Occidentalium turba territus eſt Alexius Imp., *qui jam arma Cisalpinorum graviter expertus erat*, & maxime Bohamundi filii Roberti Guiſcardi, qui alias adverſus Alexium exercitum duxerat, ut ſupra narravimus; Alexius itaque, utpote fallendi arte peritiſſimus, ſub pacis ſpecie eoſdem dolo decipere conatus eſt, ait Ordericus libro nono; *Legatos igitur ad nobiles peregrinos miſit, & pacem ab eis* humiliter requiſivit, liberumque tranſitum per terram ſuam, & neceſſarium negotium, atque ſubſidium, ſe illis daturum cum juramento promiſit, Dux vero Bohamundus, qui fraudes ejus bene dudum expertus fuerat, eumque bello bis devicerat, ſimulatis ſermonibus non adquievit, ſed ſocios ſuos ad obſidendam Conſtantinopolim viriliter incitavit, & multis ac probabilibus hoc ſibi commodiſſimum eſſe allegationibus manifeſte oſtendit. *Franci autem dixerunt: Nos divitias noſtras dereliquimus, & peregrinationem ſponte aggreſſi ſumus, ut pro amore Chriſti Paganos confundamus, & Chriſtianos liberemus, Græci autem Chriſtiani ſunt. Pacem ergo cum illis faciamus, & quæ Turcis eis abſtulerunt, reddamus. Coactus eſt itaque ſagax Buamundus conſiliis Francorum, ut pacem faceret cum Imperatore Græcorum, ad magnum, ut poſtea claruit, detrimentum Chriſtianorum*

Crucegnati pacem cum Alexio ſervant.

norum; ait Ordericus de rebus hoc anno geſtis; eademque Gulielmus Tyrius, lib. 2. cap. 20. & ſeqq.

Jesu Chr. an. 1097. Cruceſignati obtinent Niceam.

5. Cruceſignatorum itaque Principes, *Kal. Maii concordes, & unanimes facti cum Imp. Alexio*, ait Chronographus Malleacenſis, cum jam ſtrages, cædeſque Chriſtianorum anno proximo factas, ſub Rainaldo, & Petro Eremita, qui vix cum ſuorum paucis illæſus abierat. narraſſet, de geſtis hoc anno ſubdit. *Colle&ti Principes, & conſociati firmiter mediante Majo pugnaverunt apud Nicæam civitatem cum Turcis, & interfecerunt innumerabilem multitudinem Turcarum, ipſamque quæ eſt caput totius Romanæ urbis, & multa alia cæperunt, fuerantque in obſeſione illa per ſeptem hebdomadas, & in die Aſcenſionis pridie Idus* (nempe menſis Maii) *cæperunt primum invadere. Fueruntque vulnerati, multi, & martyrizati: quas inter duas pugnas ceciderunt tredecim millia Chriſtianorum, & ducenta millia Turcorum. Eodem anno apparuit ſtella Cometa pridie Nonas Octobris per ſeptem noctes, fuitque terræ motus tertio Idus Octobris. Menſe Novembri magna perditio ſeminum, partim ex pluviis. & flumina creverunt magna, & caſtella, & vicos, & homines necaverunt, maxime pedites. Fuitque bellum aliud primo die Julii contra trecentos & ſexaginta millia Turcorum, Saracenorum, Publicanorum, Perſarum, & Agulanorum, in quinque generalibus bellis, Deo opitulante triumphaverunt, acceperunt quadraginta, & unam principales civitates, & ducenta caſtra in Romania, & Syria: et poſt hæc omnia 12. Kal. Novembr. obſederunt tres partes civitatis Antiochiæ*, quæ anno ſequenti in Cruceſignatorum poteſtatem tranſiit, ut ibidem dicturi ſumus, eademque de his loco ſupracitato Gulielmus Tyrius, qui Solimani conatus, ad chriſtianos inde ejiciendos, variaſque pugnas varia fortuna geſtas deſcribit, toto libro tertio, his adde anonymum auctorem lib. 2. & Robertum monachum lib. 3., in collectione quæ, Geſta Dei per Francos, dicta eſt, extatque adhuc Bohamundi Ducis epiſtola ad Rogerium fratrem, qua Niceam ſe per deditionem occupaſſe narrat, & ingentem Saracenorum, Arabumque ſtragem deſcribit, ut apud Baronium videre eſt; Anna etiam Comnena hæc proſequens, Bohamundi, quidem conſilium fuiſſe Cpolitanæ urbis occupandæ adnotat quem ab ceteris Principibus prohibitum fuiſſe addit, cetera deinde uſque ad Nicææ occupationem latino-

JESU CHR. AN. 1098.

tinorum gesta enarrans, infenso ubique, fusiorique stilo hæc describit.

Henricus Imp. in Germaniam redit.

6. Cum in urbem Urbanus Papa rediisset, schismaticosque inde, & ex Crescentii arce, cum Giberto schismatico ejecisset, ut anni hujus initio diximus, Illustris Mathildis Comitissæ opera & industria factum est, ut Italia quoque Henricus Imperator, schismaticorumque patronus excederet, *Domina Mathildis egregia dux, & Marchionissa devotissima Sancti Petri filia, magnum sibi nomen ubique eo tempore acquisivit. Nam ipsa pene sola cum suis contra Henricum, & hæresiarcham Gilbertum, complicesque eorum jam septennio prudentissime pugnavit, tandemque Henricum de Longobardia satis viriliter fugavit, & ipsa recuperatis suis bonis Deo, & S. Petro gratias referre non dellitit.* Henricum autem Imp. currenti anno ex Italia in Germaniam rediisse, affirmant Ulspergensis Abbas, & Dodechinus Abbas in appendice ad Marianum Scotum, sicque tandem non sine sui nominis ignominia Italia excedere coactus fuit.

JESU CHRISTI AN. 1098. URBANI II. PAPÆ AN. 2. HENRICI IMP. 15. ALEXII COMNENI IMP. 18.

Urbanus Papa in Campaniam, & Apuliam transit.

1. Compositis post reditum suum in urbe rebus, schismaticisque ejectis, Urbanus Papa *Romæ Natalem Domini celebravit*, anni millesimi nonagesimi septimi, a quo anni initium is auctor auspicatur Bertholdus *maximamque pacem in ipsa urbe, & ejus finibus firmissime composuit, ibidemque Paschalem solemnitatem cum magna gloria itidem celebravit* anno 1098. Eodemque tempore, ut subdit, Guibertus ejusdem æmulus, *Ravennæ eo tempore demoratus munitionem quamdam perdidit, in qua ipse spem suam maxime habuit, videlicet Castellum nomine Argentum, quod Pado imminet, & omnes padum transeuntes distringere potest*, sicque omnis pene Ravennatensis Exarchatus, schismate abjecto, in Urbani potestatem rediit; Pontifex vero his gestis in Campaniam, & Apuliam post Paschatis festum transiit, quo eum tum Rogerii arma in Capuana obsidione jamdiu perstantis eum vocabant, tum etiam ut Græcos iis in regionibus frequentes, ne in Græcorum schisma se abripi sinerent, prohiberet, quorum causa octobre ineunte Barense concilium celebravit, ut infra dicturi sumus.

Bertholdi script. rer. German. p. 376.

2. De

JESU CHR. AN. 1098.

2. De Capuana obſidione plura refert Malaterra, inter cetera, de Urbani adventu, ut pacem ibidem conciliaret, cum præſertim Romana Eccleſia ſupremum in Apulia, & Capua, aliiſque oppidis dominium retineret, ut idem auctor adnotat, deinde hæc addit. *Cum iſta aguntur Papa Urbanus colloquium Ducis, & Comitis*, Rogerii ſcilicet Apuliæ ducis, & Rugerii patrui Siciliæ Comitis, ſeu ducis, *deſiderant, a Roma progrediens apud Capuam, ubi obſeſſionem tenebant, venit, quem Comes benigne ſplendideque excepit, ſexque illi ad habitandum tentoria deſtinavit. & ſumptus neceſſarios abundantiſſime miniſtravit.* Urbanus vero *Comitem, & Principem pariter conveniens*, Ricardum ſcilicet Capuæ, & Rogerium Apuliæ, *de pace inter ipſos reformanda attentare cœpit*, cui cum ſpem ineundæ pacis Comes dediſſet, Capuam Urbanus tranſiit, & ad conſtitutam diem ex utraque parte convenientes, causaque coram delectis judicibus diſcuſſa, cum ii Rogerio Comiti faverent, Capuani, ſe judicio eorum ſtare recuſarunt, quare Pontifex in eos iratus Beneventum ſeceſſit, interea Comes, & Princeps Rugerii, patruus & nepos Capuanæ obſidioni inſtantes, ea tandem potiti ſunt, ut idem monachus Malaterra proſequitur, unde ad hunc annum Protoſpata hæc adnotat. *Hoc anno comprehenſa eſt Capua a Rogerio Comite menſe Martio.*

Urbanus Papa pacis conciliator.

Malaterra lib. 4. 26. 27. 28. Murat. rer. Ital. tom. 5. pag. 601.

3. Dum in Capuana obſidione Rogerius Siciliæ Comes, ſive Princeps perſiſteret, accidit, ut Sergius quidam inſidias ei pararet, quas Rogerius ab Brunone abſente didicit, cujus rei gratia factum eſt, ut Carthuſianorum familia latius per Calabriam & Siciliam propagaretur, rem geſtam diplomate ſuo his verbis Rogerius teſtatus eſt, *Ego Rogerius divina miſericordia Comes Calabriæ, & Siciliæ, nota eſſe volo omnibus fidelibus Chriſtianis beneficia, quæ mihi peccatori conceſſit Deus orationibus reverendi mei fratris Brunonis piiſſimi patris Fratrum qui habitant in Eccleſiis ſanctæ Mariæ de Eremo, & ſancti Stephani Protomartyris, quæ ſitæ ſunt in terra mea, inter oppidum quod dicitur Stillum, & Arenam. Cum eſſem in obſidione Kalendis Martii, & præciſſem Sergium natione Græcum principem ſuper ducentos armigeros nationis ſuæ, & exercitus excubiarum Magiſtrum, qui ſatanica perſuaſione præventus, prius ipſi Principi Capuæ promittenti auri non modicam quantitatem, ad invadendum me, meam-*

Murat. ut ſup. p. 47.

S. Bruno Rogerium, de inſidiis patratis admonet.

JESU CHR. AN. 1098.

meumque exercitum, nostu auditum pollicitus est se præbere &c. atque se in somno a viro quodam, qui Brunonis formam præferebat, ut sibi caveret admonitum fuisse addit, unde eodem momento surgens suos arma sumere jussit, & in insidiatores progressus, in fugam non sine eorum strage, conjecit, deinde cum post captam Capuam Squillaci Rogerius esset, quartanis detentus febribus, ad eum Bruno cum sociis aliquot advenit, cui Princeps redditus pro monachorum sustentatione obtulit, quos tamen Bruno recusavit, ac vix rogatus munusculum accepit, ei autem Rogerius, ejusque successoribus Monasterium Sancti Jacobi cum castro, & amplissimis bonis in perpetuum donavit, ac ab temporali servitio, dispensavit, ut idem in diplomate suo narrat Rogerius, cujus exemplum integrum refert Baronius.

Urbanus Papa Rogerium Rom. sedis legatum in Sicilia constituit.

4. Capua expugnata Salernum uterque Rugerius transierat, Urbanus vero Papa *nolens Comitem donec sibi loquatur, versus Siciliam remeare*, ad eum continuo properavit, ut narrat Malaterra, ideſt Salernum cum Rogerio Siciliæ Comite colloquium habiturus, *venientque Salernum cum Archiepiscopis*, magno cum honore ibidem acceptus est, *In crastinumque convenientes alter alterius colloquio cum maxima dilectione fruuntur, sed quia ipse Apostolicus jamdudum Robertum Episcopum Trajanensem Comite inconsulto, legatum in Sicilia ad exequendum jus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ posuerat, perpendens hoc Comitem grave ferre, & nullo modo, ut stabile permaneat, assentire, cognoscens etiam ipsum Comitem in omnibus negotiis Ecclesiasticis exequendis zelo divini ardoris exfervescere, cassato, quod de Episcopo Trajanensi fecerat, Legationem Beati Petri super Comitem per totam Siciliam, vel habendam hæreditaliter ponit, ea discretione, ut dum ipse Comes advixerit, vel aliquis hæredum suorum zeli paterni Ecclesiastici executor superstes fuerit, legatus alius a Romana Sede, ipsis invitis nullus superponatur, sed si quæ Romanæ Ecclesiæ juris exequenda fuerint, chartulis a Romana Sede in Siciliam, vel Calabriam directis, per ipsos consilio Episcoporum eorumdem Provinciarum authentice definiantur. Quod si Episcopi ad Concilium invitati fuerint, quot & quos ipsi Comiti, vel suis futuris hæredibus visum fuerit, illuc dirigant, nisi forte de aliquo ipsorum in Concilio agendum sit, in Sicilia, vel Calabria in præsentia sua authentice definiri nequi-*

Malaterra apud Murat. ut supra.

Murat. tomi 5. p. 601.

nequiverit, & ad hoc comissum perpetualiter permanendum, privilegio suæ auctoritatis firmavit, cujus sententiam subtitulamus. Idcst bullæ Urbani exemplar damus his verbis conceptum.

Jesu Chr. an. 1098.

5. *Urbanus Episcopus servus servorum Dei carissimo filio Rugerio Comiti Calabriæ, & Siciliæ salutem & Apostolicam benedictionem. Quia prudentiam tuam superna Majestatis dignatio multis triumphis, & honoribus exaltavit, & probitas tua in Sarracenorum finibus Ecclesiam Dei plurimum dilatavit, & sanctæ Sedi Apostolicæ devotam se multimodis semper exhibuit: nos in specialem atque charissimum filium ejusdem universalis Ecclesiæ assumsimus. Idcirco de tuæ probitatis sinceritate plurimum confidentes, sicut verbis promisimus, ita litterarum auctoritate firmamus. Quod omni vitæ tuæ tempore, filii tui Simonis, vel alterius, qui legitimus tui hæres extiterit, nullum in terra potestatis vestræ, præter voluntatem aut consilium vestrum, Legatum Romanæ Ecclesiæ statuemus. Quinimo quæ per Legatum acturi sumus, per vestram industriam, Legati vice, cohiberi volumus. Quando ad vos ex latere nostro ad salutem sanctarum Ecclesiarum, quæ sub vestra potestate consistunt, ad honorem beati Petri, sanctæque ejus Apostolicæ sedis cui devote hactenus obedisti, quamque in necessitatibus suis strenue & fideliter adjuvisti Si vero celebrabitur Concilium, & tibi mandavero, quatenus Episcopos & Abbates tuæ terræ mihi mittas, quos & quot volueris mittes, alios vero ad servitium Ecclesiarum tuarum retineas. Omnipotens Deus actus tuos in beneplacito suo dirigat, & te a peccatis absolutum in vitam æternam perducat. Datum Salerni per manus Joannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconi, tertio Nonas Julii, Indictionis septimæ, anno Pontificatus Domini Urbani secundi anno undecimo.*

Urbani Papæ diploma quo Rogerium Siciliæ, Regem legatum Rom. Ecclesiæ delegat.

6. Hactenus Urbani diploma, quo Siculæ Monarchiæ, usitato vocabulo, & invidiæ pleno, fundamenta innituntur, quodque inter Siciliæ Reges, & Apostolicam sedem frequentes, diuturnasque contentiones peperit, cum non solum de ejusdem veritate non semel disputatum sit, sed etiam de ejusdem interpretatione, atque in utramque partem hinc inde edita scripta testantur. Baronius præ ceteris cum ad hæc deveniisset, longiori dissertatione annalibus inserta, totam Siculæ Monarchiæ machinam subvertere conatus, ea styli vehementia usus est, ut Philippi Hispaniarum Regi edicto publico volumen ejus undecimum ecclesiasticorum annalium.

De sinceritate, & interpretatione diplomatis Urbani Papæ.

Bar. an. 1097.

JESU CHR. AN. 1098.

lium, quo hæc continebantur, in toto Hiſpaniarum dominio, Regnoque utriuſque Siciliæ prohibitum fuerit, ignique traditum, ut addit Muratorius, quod ſane in Philippi Regis decreto nequaquam legitur: eadem quæſtio ſeculi hujus initio, ſub Clementis ſcilicet undecimi Pontificatu, recrudeſcens, cum Siciliæ Regnum ſub poteſtate Victoris Amadei Sabaudiæ Ducis tranſiiſſet, variis hinc inde ſcriptis agitata, finem tandem ſub Benedicto decimotertio habuit, cum certi denique, diſcretique limites, eccleſiaſtico tribunali ibidem, pro eccleſiaſticis finiendis controverſiis, ab Rege delegato, conſtituti ſunt, de quibus, ne longius ab hiſtoriæ decurſu diſtrahamur, plura non addimus, cum præcipue volumina integra hinc inde, dum ea ferveret quæſtio, tum ſub Hiſpaniæ Regibus, cum tempore Victorii Amedei Sabaudiæ Ducis, in lucem edita fuerint.

Murat. an. 1098.

Anſelmus Cant. Epiſc. Urbanum Papam in Apulia convenit.

7. Nunc ad alia tranſimus, nam cum in Apulia eſſet Urbanus Papa, conciliata jam, poſt ſolutam Capuæ obſidionem, pace, concilium in Barenſi urbe celebravit, cui Anſelmus Cantuarienſis Epiſcopus adfuit; qua autem de cauſa, ex Anglia Urbanum Pontificem Anſelmus adierit, Edimerus in ejus vita pluribus refert, nos paucis rem complectemur. Innovatæ adverſus eum Gulielmi Regis querelæ, contentioneſque, ad Italicum iter eum cœgerant, nam cum fruſtra in Eccleſiæ adminiſtratione, obnitente Rege, ſe fatigari cerneret, Epiſcopalem ſarcinam apud Pontificem deponere cogitabat, aut ſi Pontificis auxilio fretus rediiſſet, muneri ſuo liberius fungi poſſe ſperabat, ut Villelmus Malesburienſis, Edimerus, & Hovedenus narrant, *mox inter Regem, & Dorobernenſem, ſeu* Cantuarienſem, *Archiepiſcopum Anſelmum orta diſſenſione, quia ex quo Archipræſul factus eſt, ſynodum tenere, & prava, quæ per Angliam pullulaverant, non licuit corrigere, mare tranſiit, & ad tempus in Galliis manſit, & poſt ad Urbanum Papam perrexit*, eademque leguntur apud Simeonem Dunelmenſem libro de geſtis Regum Anglorum, Edimerus vero lib. 2. novorum cap. 2., *Anſelmus*, inquit, *cœpta petitionis ſuæ non immemor, rogavit Regem, quatenus quæſitam jam olim licentiam, vel tunc, repetitis precibus non negaret. Sed ſecundo negat, ſicut primo negarat. Poſtea conventu ſoluto in menſe Octobri, Vintoniæ ad Regem, ex condicto venimus. Inſtantius itaque tam per ſe, quam per*

Anſelmus ab Rege Romam eundi licentiam obtinet.

alios

alios Regem Pontifex orat, quatenus bono animo sibi concedat, quod se jam tertio postulare necessitas sua cogebat, ac tandem importunitate sua abeundi licentiam obtinuisse addit, hæcque idibus octobris anno Incarn. Dominicæ 1097. contigisse adnotat, cum maximo honore ab Episcopis, religiosisque viris exceptus ubique fuit, Cluniaci præsertim ubi, ut ait Edimerus in vita Anselmi, *Venimus* ait, *Cluniacum die tertio ante Nativitatem Domini &c.* Lugdunum deinde profectus, apud Hugonem Archiepiscopum sibi amicissimum, aliquandiu, ut vires reficeret, substitit, atque inde per Alpium clusas Italiam hoc anno ingressus, *Celebratis in cœnobio Sancti Michaelis Archangeli, quod in monte situm clusa vocatur, Passionis, & Resurrectionis Dominicæ solemniis, in iter reverti Romam festinavimus* ait Edimerus.

Jesu Chr. an. 1098.

In Gallias transit. *Mabill. Annali Ordin. Bened. to. 5. ann. 1097.*

8. In urbem adveniens, ab Urbano Pontifice cum honore & benevolentiæ signis exceptus fuit, ut auctor vitæ ejus his verbis narrat. *Romam usque prosequutus, Lateranis ubi tunc temporis summus Pontifex morabatur, advenit, Nunciatur Pontifici patris adventus, & ovans jubet illum in parte sui palatii hospitari, & de illo indulgere quieti. Mane confluit ad Papam Romana nobilitas, & de novi hospitis adventu sermo conferitur. Adducitur cum reverentia vir in medium, & in qua coram Papa sedeat, sella profertur. Ingressus humiliat se pro more ad pedes summi Pontificis, sed statim ab ipso erigitur ad osculum ejus, sedet, ac pro adventu illius lætari se Apostolicus cum Romana curia dicit. Acclamat Curia tertio. Postremo, silentio facto, multa in laudem hominis Papa locutus est, virum illum virtutis, & totius Religionis esse contestans &c.* ac plurima alia in ejusdem laudem addidit, quæ silens, & cum rubore, utpote humilis Anselmus excepit, post hæc, subdit, auctor de adventus sui causa percunctatus a Pontifice, *eo sibi modo narravit omnia, quæ veritatis, & discretionis ratio popposcit. Ille audita miratur, & subventionem plenam pollicetur*, & ut aliquandiu subsisteret, Pontifex præcepit.

Anselmus a Pontifice, cum honore exceptus.

9. Interea moras in urbe trahere coactus: *quia calor æstatis*, sequitur auctor vitæ, *in partibus illis, cuncta urebat, & habitatio urbis nimium insalubris, sed præcipue peregrinis hominibus erat, Joannes quidam nomine, olim monachus Becci, ubi Anselmus fuerat Abbas, tunc autem Abbas cœ-*

Anselmi commentarium cur Deus homo sit factus.

JESU CHR. AN. 1098. *cœnobii ſancti Salvatoris Teleſini, annuente Papa, ſuſcepit eum, ut proprium patrem amice, & duxit in ſuam villam, Sclaviam nomine, quæ in montis vertice ſita, ſano jugiter aere, atque tepente, converſantibus illic habilis extat. Igitur habitatio noſtra erat in montis ſummitate collocata, a turbarum tumultu, inſtar ſolitudinis vacua. Quod Anſelmus advertens, & ſpe futuræ quietis exhilaratus ait: Hic requies mea, hic habitabo. Ad primum igitur converſationis ordinem, quem antequam Abbas eſſet, habebat, quemque ſe in pontificatu poſitum maxime perdidiſſe deflebat, vitam inſtituit, ſanctis operibus, divinæ contemplationi, myſticarum rerum enodationi die noctuque mentem intendens. Unde Chriſtianæ Fidei amore permotus, inſigne volumen edidit, quod, cur Deus homo? titulavit, quod opus (ſicut in prologo ejus ipſe teſtatur) in Anglia cœpit, ſed hic in Capuana videlicet provincia conſtitutus abſolvit.* Contra infideles vulgatum fuiſſe librum illum, idem Anſelmus in præfatione docet. Quamplurimos ibi fuiſſe Infideles ſtipendia merentes ſub Rogerio Siciliæ Comite in obſidione Capuana, idem auctor Edinerus, fuisse addit, eoſque plurimum coluiſſe Anſelmum teſtatur. Mahometi cultores erant iſti, qui nihil auditu magis horrent quam Deum factum hominem dici; quos ad Fidem amplexandam ab eo ſuaſos; tamen fidem quo minus ſuſceperint, ſævitia Principis fuiſſe prohibitos, idem teſtatus eſt Edinerus, qui etiam ſeceſſus ejuſdem locum, prope Teleſiam urbem fuiſſe adnotat in libro novorum lib. 2. cap. 3., Urbs olim Beneventani Ducatus, nunc pene deſerta: hoc autem tempore accidit, ut Urbanus Papa ad Rogerium in Capuana obſidione intentum pergeret, ut Capuanis conſuleret, pacemque conciliaret, uti ſupra diximus, cumque illuc Anſelmus quoque conveniſſet, ac in caſtris Rugerii cum Pontifice moraretur, *ſuſcipiebat omnes*, ait auctor vitæ, *& quos amnes, Paganos etiam*, ſeu potius Mahumetanos, quos Rugerius ad Capuæ obſidionem auxiliares duxerat, *ut de Chriſtianis taceam. Siquidem nonnulli talium fama bonitatis ejus inter ſuos exiti, manſionem noſtram frequentabant, & ſumptibus ab Anſelmo corporalibus cibis, gratioſi revertebantur, admirandam viri benignitatem ſuis prædicantes, quam experiebantur. Unde in tanta deinceps veneratione apud eos habitus eſt, ut cum per caſtra illorum, quæ in unum collocata*

Anſelmi op. in *appendic.* *pag.* 51.

Anſelmus in caſtris pro fidelium converſione laborat.

ta erant, transiremus, ingens multitudo eorum, elevatis in cœlum manibus, ei prospera imprecarentur, & osculatis pro ritu suo manibus propriis etiam coram eo genibus flexis, pro sua benigna largitate grates agendo venerarentur. Quorum etiam plurimi, velut comperimus, se libenter ejus doctrinæ submisissent instruendos, ac Christianæ Fidei jugo sua per eum colla injecissent, si crudelitatem Comitis sui per hoc in se sævituram non deformidassent. Nam revera nullum eorum pati volebat Christianum impune fieri. Quod qua industria (ut ita dicam) faciebat: nihil mea interest. Deus ipse viderit. Hucusque Hedmerus, totoque eo tempore, quo in castris Urbanus, & Anselmus fuerunt, tanta inter eos familiaritas intercedebat, *ut familia utrorumque magis videretur una, quam duæ, nec facile quivis declinaret ad Papam, qui non diverteret ad Anselmum*, & quos majestas Pontificia deterrebat, ad Anselmum benignitas trahebat, unde subdit *Majestas Papæ solos admittebat divites, humanitas Anselmi sine personarum acceptione suscipiebat omnes*, Rogerius etiam dux in Capuana obsidione perseverans, *fama viri permotus, mittens rogavit eum venire ad se*, ait auctor, *ascendimus, ivimus, & plures in obsidione dies exegimus*; quo tempore accidit, ut nocte quadam ad necessaria corporis surgens Anselmus, qui in Ecclesia quadam deserta, cui cisterna adjuncta erat, morabatur, surgens, inquam, nocte intempesta, in cisternam rueret, unde exclamans cadendo *Sancta Maria*, expergefacti ejusdem socii, ac electo surgentes divina ope illæsum non sine stupore invenerunt, ut pluribus narrat auctor vitæ ejus. Jesu Chr. an. 1098.

10. Post hæc, *soluta obsidione*, prosequitur auctor, *multa prece Anselmus Papam ad hoc flectere conatus est, quatenus ab honore Pontificali cum absolveret, & quieti liberum vacare concederet, verum cum in quantum quidem ad effectum ad nihilum laboraſſet, fretus benedictione ejus Sclaviam reversus est, opperiens tempus concilii, quod idem Papa apud Burim Kal. Octobris erat celebraturus*: quam utilis Anselmi tunc præsentia, & opera fuerit addit: *Cui concilio dum Anselmus se præsentasset & persuasus a Papa Græcos in processione Spiritus Sancti, utpote quem a Patre non a Filio procedere astruebant, errantes, rationabili atque catholica disputatione confutasset, magni apud omnes habitus est, & veneratione di-* Anselmus Episc. renunciare tentat.

JESU CHR. AN. 1098.

dignissimus comprobatus est, extatque adhuc inter ejusdem opera egregium de Processione Spiritus Sancti opus contra Græcos vulgatum, quod post synodum ab amicis rogatus Anselmus edidit, ut in præfatione testatur, eoque latinorum æque, ac Græcorum Patrum auctoritatibus abstinuit, eo quod Græci latinos doctores non reciperent, Græcos vero mutilatos afferrent, & ne cum iis de genuina eorum lectione, utpote linguæ Græcæ ignarus, contenderet; quare ex divinis tantum scripturis, de quarum auctoritate nulla inter Latinos, & Græcos quæstio erat, sagittas ad hostes confodiendos eduxit, ut ex eodem commentario quilibet lector videre potest.

Anselmi op. *pag. 49. edit. Gerberon.*

11. Die itaque condicta, seu Kal. Octobris, Barim comitante Anselmo Urbanus Papa synodus celebraturus transiit, cujus acta cum perierint, multa nihilominus ejusdem monumenta supersunt, atque inprimis de eadem synodo Lupus Protospata in chronico. *Anno MXCIV.* seu 1099., *Mense Octobri Papa Urbanus celebravit universum synodum in civitate Bari, in qua fuerunt* 185. *Episcopi, & mense Junii in festivitate S. Petri Apostoli comprehensa est Hierusalem civitas a Christianis . . . . . & Mense Julii prædictus Papa Urbanus obiit, & dictus est Paschalis Papa.* Chronographus vero Barensis: An. 1099. *indict. VII. tertia die intrante Mense Octobr. venit Papa Urbanus cum plures Archiepiscopi & Episcopi* (solœcismi auctoris sunt) *Abbatibus & Comitibus intraverunt in Bari, & susceptus est cum magna reverentia, & præparavit Domino Helia nostro Archiepiscopus mirificam sedem* (addendum, *pro Papa*, cujus gratia sedes illa Heliæ jussu parata fuit) *intus in Ecclesia Beatissimi Nicolai Confessoris Christi, & fecit ibi synodum per unam hebdomadam, post, completis diebus octo perexit in pace* (nempe Papa), *& in Mense Julii obiit ipse Papa Urbanus, & surexit Paschalis Papa.* Ex his liquet, Protospatam, & Chronographum Barensem annum illum Christi 1099. a Kalendis Septembr. anni Christi 1098. inchoare, exemplo Græcorum Apuliam, Calabriam & Siciliam incolentium, qui tam indictionem, quam annum mundi juxta æram Cpolitanam a Septembri incipiebant, unde hoc eodem anno 1098. hæc contigisse scimus.

Urbanus Papa synodum Barim celebrat, gesta ibidem. *Murat. to. 5. rer. Ital. p. 48. et p. 155.*

12. De gestis autem ibidem Malesburiensis, hæc refert. *Ut ergo ventum ad concilium, Apostolicus ante corpus S. Nicolai*

Barensis synodi gesta *Malesbur. de gestis Pont. Angl. lib. 1.*

colai constitutus, tapetibus & palliis, ipse casula cum pallio amictus tribunal ascendit, cæteri, cum cappis sedebant. Omnibus ergo suum locum ex antiquo vindicantibus, Anselmus humilitate summus quo poterat, assedit. Exciderat animo summi Pontificis ingruente tumultu, ut ei locum delegaret. Sed erroris admonitus est quæstionis necessitate, a Græcis propositæ, probare volentibus Spiritum sanctum non nisi a patre procedere. Proposita autem quæstione, cum vix ibidem esset, qui Græcis respondere posset, Pontifex Anselmum ex turba evocatum, ut Ecclesiæ succurreret, Græcosque confutaret, rogavit, ac in sequentem diem quæstionis tractatus dilatus est, qua cum iterum convenissent, Anselmus *Ita tractavit quæstionis latera, ita penetravit, & enubilavit intime, ut Latini clamore testarentur gaudium, Græci de se præberi dolerent ridiculum: nullus porro inops & inanis scientiæ discederet. Sensus illius sermonis procedente tempore luculenter digessit in libro de Processione Spiritus sancti facto. Tunc ubi verbum absolvit, omnes in eum oculos & ora conversi, hic laudare fidem, ille scientiam, omnes eloquentiam. Sedato fragore, quem laus ejus suscitaverat; intendens in eum summus Pontifex, ait: Benedictum sit cor tuum, & spiritus tuus, os & sermo oris tui benedictus. Nec mora, cum consensu omnium roboratus, in aliter sentientes salmen excommunicationis intorsisset*: hisque hæc prima causa ibidem tractata finem habuit, in qua primas partes Anselmum egisse dubitari non potest, alterum contra Græcos tractatum seu epistolam de Azimo & fermentato pane in Eucharistia adhibendo Anselmus scripsit, ac Valerano Noverburgensi inscripsit, ad quem alium etiam tractatum, seu epistolam de varietate rituum in Sacramentorum consectione misit. Jesu Chr. an. 1094.

13. Post hæc *Ventilari de Rege Anglorum sermo cœpit*, addit idem Malesburiensis, *proferuntur in medium scelera dictu horrenda, adjicitur contemptui humano cœlestis injuria, quod scilicet bis terque admonitus, nihil correctionis exhibuerit. Quocirca cum suffragio & clamore omnium Papa ad excommunicandum jam paratus esset: Anselmus genibus affusus ejus, orat dilationem, & vix impetrat. Quæ res ei non mediocrem apud cunctos videntes peperit gratiam, eo quod ostensione veræ sanctitatis vicisset famæ suæ gloriam. Quam pulchrum erat, ut ille oraret veniam, a quo tantam acceperat con-* Anselmus pro Guglielmo Angl. Rege apud Papam intercessor.

JESU CHR. AN. 1098.

contumeliam. Hucusque de Barensi synodo Willelmus Malesburiensis. Ejusdem Bariensis concilii meminit ipse Urbanus Papa in epistola ad Ansonem Beneventanum Episcopum, qua de restituendo monasterio S. Sophiæ Cassinensibus monachis agit, ubi inter cetera. *Nuper in Barensi concilio*, ait, *cum scriptis, & monumentis Ecclesiæ suæ justitiam suam astruere parati fuissent, Abbas S. Sophiæ occasione tui causæ actionem fugit, cum Beneventum etiam venissemus, in ipsa S. Sophiæ domo fratres ipsi, quantum questi fuerint, audisti, quid nos tibi da eadem causa dixerimus meministi. Tunc nobis pro voluntatis tuæ placito respondisti &c.* cumque indecisa tunc hæc controversia remansisset, ea epistola Ansoni jubet Pontifex, ut Cassinatibus rationem redderet, aut ad se, ex utraque parte litigantes venire compelleret, Cassinensem quippe Abbatem, *In quantum videtur, plenam habere justitiam credimus*, ait Pontifex, ac data dicitur *Ceperani tertio nonas Novemb.* eaque epistola ex Gattola in Historia Cassinensi, novissimæ conciliorum collectioni inserta est.

Labb. conc. t. 20. p. 950. edit. noviss. venetæ.

14. In eadem Barensi Synodo simoniacam labem damnatam fuisse narrat Paschalis Papa secundus, Urbani successor in epistola ad Anselmum Episc. Cantur., qua hæc occurrunt. *Adversus illam venenosam simoniacæ pravitatis radicem, Ecclesiarum videlicet investituram, reverendæ in Christo memoriæ prædecessoris nostri Domni Urbani tempore apud Barim collecto venerabiliam Episcoporum, & Abbatum ex diversis partibus concilio, in qua tua religio, & nos ipsi interfuimus, in eamdem pestem excommunicationis ell prolata sententia*; Hæc ibidem Pontifex, de gestis in Barensi Synodo.

Barense concilium Investituras Ecclesiarum damnavit. *Apud Mansi supelem. ad concil. to. 2. p. 151.*

15. In eam rem extat epistola Hildeberti Cenomanensis Episcopi ad Anselmum, cum jam in Angliam rediisset data, qua post multa benevolentiæ indicia, ut disputationem cum Græcis in Barensi Synodo habitam, scripto exarare dignaretur, rogat, ne temporis tractu excideret; *A proborum relationibus didici, vos in concilio Barensi sermonem habuisse de Spiritu sancto, quem calumniosa Græcorum versutia a Filio minime procedere fabulatur. Quod igitur adversus hanc illorum dementiam in præfato promulgastis Concilio, succincto tractatu deprecor annotari. Et qua ipsi Latinorum Patrum testimonia non suscipiunt: his auctoritatibus opus flagitatum munire non tædebis, quas Græca cullibitas, & suas fateatur & nostras. Ma-*

Hildeberti Cenomanen. Episc. epist. ad Anselm.

JESU CHR. AN. 1098.

Magna quidem, beate pater, postulo, sed pariter suscipienti proficua, & danti. Nobilis enim est possessio scientia, quæ distributa suscipit incrementum, & avarum dedignata possessorem, nisi publicetur, elabitur. Conservet nobis Dominus sanctitem vestram, & videant vos oculi mei, antequam moriar. Hæc Hildebertus; qui paulopost alteram dedit epistolam, qua ob acceptum de Spiritus sancti processione a Patre, & Filio contra Græcos tractatum gratias agit. Is porro Hildebertus, anno proximo elapso Cenomanensis Episcopus ordinatus fuerat, ut Pagius adnotat, ac vetera gesta Episcoporum Cenomanensium a Mabilonio tom. 3. Analect. publicata probant, qui Hoello, *anno Incarn.* 1097. *duodecimo ordinationis suæ, quarto Kal. Augusti* defuncto, ut ibidem legitur, successerat; eo tempore ejusdem Cenomanensis Ecclesiæ Archidiaconus, & Scholarum magister erat; *Ipse autem ni fallor*, ait auctor gestorum, *nondum quadraginta annos ætatis exegerat*, quem post adeptum Episcopatum in summa vitæ austeritate vixisse, delictaque juventutis eleemosynarum largitione, piisque operibus redimisse addit.

Hildebertus Cenomanen. Episc. ab Gulielmo Rege Angl. vexatus.

15. Diu quippe, acriterque Episcopatus ejus initio, hoc, & sequenti anno ab Gulielmo Anglorum Rege eousque vexatus est, ut nulla dignitatis ratione habita, in carcerem quoque conjectus fuerit; Cum enim, ut narrat Hovedenus ad annum 1098. *Villelmus Rex Anglorum civitatem, quæ Cenomanis dicitur, magnamque partem illius per vim suæ ditioni subjecisset*; Hildeberti fidem suspectam habens, Ecclesiæ turres dirui præcepit, urbemque igni tradere minatus est, ut auctor anonymus de gestis Episcoporum Cenomanensium, ab Mabilonio editus, narrat, ac in Hildebertum præcipue exasperatus in carcerem conjecerat, ubi cum esset, ad Episcopos suæ Metropolis, & ad omnem Clerum litteras dedit, quibus de vi sibi illata modeste conqueritur, & ut pro se orarent, hortatur; cujus est inscriptio. *Omnibus Episcopis, Presbyteris, atque universis filiis Ecclesiæ Hildebertus Cenomanorum Sacerdos vinctus Christi Jesu &c.*; ac narrat se Rodrothum Cenomanensem Comitem, qui in vinculis tenebatur, visitasse, *qui mihi confessus*, subdit, *domui suæ disposuit, testamentum fecit, Ecclesiis distribuit*, res suas scilicet, & ut matri suæ hæc referret, rogavit, quam cum adiisset Hildebertus, *in osculo me suscepit; applausit testamento gratias agens. Quinta feria in*

Mabill. to. 3. Anaclet. cap 35.

Biblioth. PP. tom. 21. pag. 135.

Epist. 35.

JESU CHR. AN. 1098. *oſculo ſum ſuſceptus, ſexta feria tamquam cum Chriſto iturus ad Crucem contumelioſe captus ſum, & poſitus in cuſtodia publica &c.* Cum eo tunc erat Ivo Carnotenſis Epiſcopus, *venerandæ vir auctoritatis*, ait qui, Hubertum, totius factionis Principem, adiens *de ſacrilegio libere arguit, obſecravit opportune, importune increpavit, poſtremo tradidit Satanæ in interitum carnis, anathematis vinculo, quo debuit, alligavit*, furor tamen ejus non eſt averſus, etſi Religioſi Abbates, virique pietate præſtantes idipſum poſtulaſſent, quem exitum hæc habuerint, infra ſuo loco dicenda reſervamus.

16. Nunc ad Anſelmum redimus, qui Barenſi Synodo abſoluta, ut ſcribit Eadmerus in ejus vita, *Romam cum apoſtolico redimus, ibique per anni dimidium morati fumus continue circa Papam degentes, & quaſi in commune viventes*; Ipſum ſæpe Urbanus conveniebat, omnique officiorum genere proſequebatur, ut ſocium, ac addit eodem tempore alterum ab Rege Anglorum legatum miſſum fuiſſe, qui adverſus Anſelmum ageret, cui ex Anglia vix egreſſo bona omnia Cantuarienſis Eccleſiæ invaſerat, pro Regis tamen defenſione nil aliud attulit, niſi quod Anſelmus invito Rege, ex Anglia in urbem advenerat. At hujuſmodi prætextum non ſine indignatione accepit Urbanus, ac ad legatum converſus. *Quis unquam audivit talia? pro hoc ſolo Primatem Regni ſuis omnibus ſpoliavit, quia ſanctam Matrem Eccleſiam omnium Romanam viſitaret, omittere noluit? Vere & ſine omni ambiguitate dicere poſſumus a ſeculo tale quid non eſſe auditum. Et pro tali reſponſo mirabilis homo huc te fatigaſti? Redi, quantocius redi; & præcipe illi ex parte Beati Petri, quatenus remota omni contradictione illum ſuis omnibus integre reveſtiat, ſi excommunicari recuſat. Itaque, fac ut quid hinc velit ſcire me faciat ante Concilium, quod tertia hebdomada Paſchæ in hac urbe ſum celebraturus; alioqui certiſſime noveris ſe eodem Concilio damnationis ſententia puniri, quam promeruit.* At ille: *Priuſquam abeam, tecum ſecretius agam.* Manſit ergo ibi per dies plurimos idem *Villelmus*, ac deinde *acta ſunt hæc in ipſis ſolemniis nativitatis Chriſti*, ait Eadmerus; Anſelmus vero Lugdunum redire deſtinaverat, *Quam licentiam*, ſubdit auctor, *tum nullatenus impetrare potuiſſemus, remanſimus Romæ uſque ad præfinitum tempus Concilii &c.*, de quo anno ſequenti ſermo occurret: ob dilationem Villelmo Regi datam immerito

Urbanus causam Anſelmi apud Regem tuetur.

Anſelmi op. pag 54.

Ur-

Urbanum Papam fugillat Malesburiensis, quasi muneribus Regis corruptus, usque ad S. Michaelis festum anni sequentis eam dilationem concesserit, quæ sane in tanta locorum distantia vix privato cuilibet viro, nedum Anglorum Regi negari potuisset; At ut paulo supra retulimus, Regis legatus Pontificem ex sententia excommunicationis tunc ferendæ Aulicorum factione deduxit; *Prudenter operam dando hos, & illos suæ causæ fautores efficere, ac ut domini sui voluntati satisfaceret, munera, quibus ea cordi esse animadvertebat dispertiendo, & polliendo &c:*, ait Edimerus in libro novorum pag. 55. Et sane plurimi in urbe tunc erant, qui Anglorum Regi, & Imperatori faventes, Urbano infesti erant; itaut die quadam ut narrat Eadmerus in vita Anselmi pag. 21. *Quadam die Anselmi a Lateranis ad S. Petrum euntem cum suis conglobati, propter odium. Papæ capere volentes, sed mox viso vultu ejus territi, projectis armis terræ procumbentes, se illius benedictione insigniri postularent.* Sed de Anselmi gestis hactenus.

JESU CHR. AN. 1098.

Malesb. de gestis Pontif. lib. 1.

17. Nunc ad gesta in Oriente ab exercitu Crucesignatorum transimus, qui anno proximo Nicæa capta Antiochiam profecti, hoc anno, post diutinam obsidionem ea potiti sunt; quorum varia certamina, cædesque Turcorum factas, vel ab his acceptas fusiori stylo Gulielmus Tyrius, ceterique hujusce expeditionis historici narrant. Hæc autem *anno ab Incarnatione Domini* 2098. *mense Junio* 28. *die mensis*, gesta fuisse adnotant; ac Bohamundo urbem concessam fuisse addentes; quorum primas curas fuisse addit Ecclesias ab Mahumetannorum sordibus expurgare; clerum ibidem constituere, qui Christiano ritu officia inibi celebrarent; Joannem vero Patriarcham ab Græcis jamdiu ibidem electum reliquerunt; cum præsertim sub Turcarum tyrannide pro christiana religione injurias, & supplicia pertulisset; Biennio tamen post, cum sponte Patriarchali Sedi renunciasset, & Constantinopolim transiisset, eo quod homo Græcus latinos regere vix posset, Artasiensem Episcopum Bernardum nomine Francum, patria Valentinum, qui Podiensem Episcopum in ea expeditione secutus fuerat, quique Capellani munere fungebatur, Clerus, & populus latinorum Antiochiæ Patriarcham constituerunt; *At urbe capta, & consummata victoria*, subdit Tyrius, *postquam res jam erant in tranquillo collocatæ, tanta clades in populo*

Antiochia ab Crucesignatis capitur. *Guliel. Tyr. lib. 6. Duchesn. tomo 4 script. Gall.*

JESU CHR. AN. 1098.

fuscitata est, ut vix aliqua præteriret dies, in qua triginta, vel quadraginta non efferrentur funere, ita quod de populo superat, jam quasi penitus deleretur &c., ita ut intra paucos dies pene quinquaginta millia deficerent, ait auctor. Ex his, qui lue tacti obierunt inter primos Ademarus Podiensis Episcopus fuit, qui die S. Petri ad Vincula, seu Kal. Augusti obiit, teste Roberto Monacho in sua historia pag. 66. Is vero post Petrum Eremitam, primus fere hujus expeditionis auctor, & incensor fuerat, luem vero inde exortam conjicit, quod cum diu milites in urbis obsidione perseveraſſent, ac labore, fameque consumpti fuiſſent, cum urbem captam ingressi sunt, largiori cibo, quam stomachi debilitas ferebat, usi sunt; Interea cum peregrinationis scopus Palæstina esset, ut loca ibidem a Christo Domino illustrata, ab Turcarum potestate liberarent, cum vix lues cessaſſet, ac reliqui respirare cœpiſſent, de itinere Hierosolymitano suscipiendo, rebusque ad eam expeditionem necessariis parandis consilium exercitus Duces inierunt, sed de gestis ibidem sequenti anno: de Antiochiæ obsidione, ac possessione ab latinis inita præter Petrum Tudebodum, Fulcherium, aliosque apud Duchesnium, vel relatos in collectione inscripta gesta Dei per Francos aliæ adhuc extant epistolæ in eamdem rem scriptæ, inter ceteras occurrit epistola Stephani Comitis Carnotensis, & Blesensis ad Adelam uxorem suam, qua ibidem gesta narrat.

Epist. Principum ad Urbanum Papam de Antiochia capta *Apud Duchesne to. 4. p. 830.*

18. Exercitus quoque Duces de Antiochia capta litteris suis Urbanum Pontificem certiorem fecerunt. *Hit gestis*, ait Fulcherius Carnotensis, *inclita Principum turma totius exercitus, epistolam hanc Romano Pontifici direxerunt; Domino sancto ac venerabili Papæ Urbano; Bohamundus, & Raymundus S. Ægidii Comes, Gothefridus Dux Lotharingiensis, & Robertus Comes Normanniæ, Robertus Flandrensium Comes, & Eustachius Comes Boloniæ, salutem, & fidelia servitia, & ut filii suo Patri spirituali veram in Christo subjectionem. Volumus omnes, & desideramus notum fieri vobis, quam magna Dei misericordia, quamque evidentissimo ejus amminiculo a nobis capta est Antiochia, & Turci, qui multa Domino nostro Jesu intulerant opprobria capti, & interfecti sunt: & nos Hierosolymitani Jesu Christi injuriam summi Dei vindicavimus: & nos qui Turcos prius obsederamus, qualiter postea a Turcis de Corozana, &*

Hic-

Jerusalem, & Damasco, multisque aliis terris venientibus obsessi fuimus; & quomodo Jesu Christi misericordia liberati fumus. Cum igitur capta Nicæna illa, maximam multitudinem Turcorum, sicut audistis, in Kal. Julii nobis obviam in campo florido deviciſſemus, & illum magnum Solimannum fugaviſſemus, fuiſque omnibus & terra, & rebus expoliaſſemus, acquiſita & pacificata tota Romania, ad obſidendum Antiochiam venimus. Cujus in obſidione multa mala perpeſſi ſumus, tum de bellis finitimorum Turcorum, & Paganorum in nos tam frequenter, & copioſe irruentium, ut verius diceremur obſeſſi ab eis, quos in Antiochia obſederamus. Tandem ſuperatis omnibus bellis, ex eorum proſpero eventu fides Chriſtiana exaltata eſt, hoc modo. Ego Buamundus, conventione iacta cum quodam Turco, qui ipſam tradidit civitatem, ſcalas ante diem parum muro applicui: & ſic civitatem antea Chriſto reſiſtentem III. Nonas Julii accepimus, & Gratianum ipſius civitatis tyrannum cum multis militibus interfecimus &c., & cetera, quæ ibidem fuſiori ſtylo narrantur, ac Lanceam, qua Jesu Chriſti latus percuſſum fuerat, ſe ibidem inveniſſe addunt; quod an verum fuerit, tunc nonnulli dubitarunt, ac pium Presbyteri cujuſdam inventum fuiſſe ſuſpicati ſunt, ut Chriſtianorum animos excitaret ad expellendos Turcos, quos innumerabili exercitu Antiochiæ concluſos obſidebant, atque ad extremas incitas redigerant, ut ſupracitati auctores fuſiori ſtylo narrant. Urbanus vero Papa his acceptis, ad eccleſiaſticas res ibidem componendas, Theobertum Piſanæ Eccleſiæ Archiepiſcopum legatum ſuum miſit; ait Bertholdus; at legationi ejus Alexium Imp. reſtitiſſe addit, dum geſta hujus anni recitat.

Jesu Chr. an. 1098.

19. Labentem Chriſti annum 1098. Ciſtercienſis Ordinis ortus Ordinem Benedictinum per tot ſecula celebre, celebrius reddidit; Annum fundati Ordinis exhibent verſus in fronte Eccleſiæ Ciſtercienſis inſcripti, *anno milleſimo centeno, bis minus uno Pontifice Urbano, Gallorum Rege, Philippo Burgundiæ Odone Duce, & fundamina dante ſub Patre Roberto cœpit Ciſtercienſis Ordo*: Robertus itaque tanti operis auctor fuit, qui primum Moliſmenſis Monaſterii Abbas in Epiſcopatu Lingonienſi fuit, at cum ibidem regularem diſciplinam collapſam videret, cum viginti, & amplius ſui cœnobii Monachis Ciſtercienſium tranſiit, ut rigidiorem S. Benedicti regulam ſervaret; Ubi vero ad Moliſmenſes Monachos redire compulſus eſt, Albericum Cistercii Abba-

Ciſtercien. Ordinis Origo. *Mabill. Annal. to. 5. p. 393. Pag. not. 9. an. 1098.*

JESU CHR. AN. 1098. Abbatem reliquit, cui defuncto ſucceſſit Stephanus, omnes viri ſanctiſſimi, ſub quibus Ciſtercenſium Monachorum congregatio mirifice eſt propagata. Idque Sedis Apoſtolicæ auctoritate, hoc ipſo anno, & Legato Apoſtolico annuente, & adjuvante, Sigisbertus teſtatur his verbis: *Hoc igitur anno, ab Incarnatione ſcilicet Domini milleſimo nonageſimo octavo venerabilis Ugonis Lugdonenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi Sedis Apoſtolicæ tunc Legati, & religioſi viri Walterii Cabillonenſis Epiſcopi*, licentia, & conſenſu, *nec non, & clariſſimi Principis Odonis Burgundiæ Ducis freti conſilio, & auctoritate roborati, incœtam eremum in Abbatiam conſtruere cœperunt, præfato Abbate Roberto ab illius Diœceſi Epiſcopo, videlicet Cabillonenſi, ſuſcipiente curam, virgamque paſtoralem, ceteris ſub ipſo in eodem loco firmantibus ſtabilitatem. At vero poſt non multum temporis factum eſt, ut idem Abbas Robertus, requirentibus eum Monachis Moliſmenſibus, Papæ Urbani Secundi juſſu, Walterii Cabillonenſis Epiſcopi licentia, & aſſenſa Moliſmum reduceretur, & Albericus vir religioſus & ſanctus in ipſius loco ſubſtitueretur, hoc ſane inter utramque Eccleſiam ſequeſtro, pacis gratia, retento, & Apoſtolica auctoritate confirmato, ut ex eo jam tempore, neutra earum utriuslibet Monachum ad habitandum ſine commendatione regulari ſuſciperent. Quo facto novum Monaſterium novi patris ſollicitudine, & induſtria in brevi, & non mediocriter, Deo cooperante, in ſancta converſatione profecit, opinione claruit, rebus neceſſariis crevit.* Hucuſque Sigebertus: plura de ejuſdem Ordinis initiis, & progreſſu in vita Roberti, apud Oldericum lib. 8. videri poſſunt, Labbeus etiam ejuſdem Ordinis origines, ex variis ſcriptoribus refert, ac Urbani Papæ, & Paſchalis ſecundi litteras ea de cauſa datas recitat, multaque alia de Roberto fundatore, ejuſque canonizatione adnotat, quæ exſcribere longum eſſet.

Lab. biblior. to. 1. p. 640.

Hugonis diploma pro fundatione Ordinis Ciſtercenſis.

20. Rem geſtam Hugo Lugdunenſis Archiepiſcopus, & Romanæ Sedis Legatus, diplomate ſuo in eam rem dato his verbis exponit: *Hugo Lugdonenſis Epiſcopus, & Romanæ Sedis Legatus Roberto Moliſmenſi Abbati, & fratribus cum eo ſecundum regulam S. Benedicti Deo ſervire cupientibus. Notum ſit omnibus de ſanctæ Matris Eccleſiæ profectu gaudentibus, vos & quoſdam filios veſtros, Moliſmenſis cœnobii fratres, Lugduni in noſtra præſentia adſtitiſſe, ac Regulæ beatiſſimi Benedicti, qua*

qua illuc usque tepide ac negligenter in eòdem Monasterio tenueratis, arctius deinceps ac perfectius inhærere velle professos fuisse. Quod quia in loco prædicto pluribus impedientibus causis constat adimpleri non posse; nos utriusque partis saluti, videlicet inde recedentium, ac illic commorantium providentes, in locum alium, quem vobis divina largitas designaverit, declinare, ibique salubrius, ac quietius Domino famulari utile duximus fore. Vobis ergo tunc præsentibus, Roberto Abbati, fratribus quoque Alberico, Odoni, Joanni, Stephano, Letaldo, & Petro; sed & omnibus, quos regulariter, & communi consilio vobis sociare decreveritis, hoc sanctum propositum servare ex tunc consulimus, & ut in hoc perseveretis præcipimus, & auctoritate Apostolica per sigilli nostri impressionem in perpetuum confirmamus; Hactenus de Cistercienſis Ordinis ortu, quem non multo post Bernardus Clarævallenſis cum ſociis celebriorem reddidit.

JESU CHR. AN. 1098.

21. Paulo ante, circa annum ſcilicet 1090. Beatus Adelmarus Congregationem Canonicorum Regularium Aroaſiæ dictam loco ubi initium ſumpſit fundavit, quæ etiam nunc cum laude floret, ait Pagius, de qua plura dabit Bollandus ad diem 13. Januarii in vita Reati Adelmari.

Congregatio Canonicorum Regularium Aroaſiæ. *Pagi not. 19. an. 1097.*

22. Hugonis Lugdunenſis Archiepiſcopi, & Romanæ Sedis in Gallia legati mentio nuper facta, nos admonet, ut de gravi contriverſia, quam hoc tempore cum Daimberto Senonenſi Archiepiſcopo, & Ivone Carnotenſi, qui ejus partes tuebatur, habuit, nonnulla dicamus, quam fuſiori ſtylo a numero primo ad vigeſimum Baronius anno 1099. exponit, paulo quidem tardius, ait Pagius, quam res geſta fuit, eo quod anno 1096. orta, vix hoc anno ſopita fuerit; Anno quippe 1096, ut narrat continuator chronici Petri vivi, Richerius Senonenſis Epiſcopus obiit, *vir bonæ vitæ, & beatæ memoriæ, qui antequam moreretur ſexto Kal. Januarias in die ſcilicet feſto S. Joannis Evangeliſtæ*, accerſitis ex Eccleſiæ ſuæ primoribus, per eos fratribus monaſterii S. Petri juſſit, ut ſe vivente Abbatem ſibi eligerent, quod & factum eſt, Richerio autem defuncto, *ſucceſſit Daimbertus ipſius Eccleſiæ Vicedominus, nobilis, & clarus, ab omni clero, & populo electus; permanſit autem ſine benedictione Paſtorali, anno uno, & duobus menſibus. Poſtea vero Romæ a Papa Urbano conſecratus, cum Apoſtolica benedictione, & Pallii decore rediit, in Sede collocatus xiv. Kal. Maii, anno* 1098. *ab Incarnatione Domini, lætante Clero, & bona devotione populi &c.*

Controverſia inter Hugonem Lugdun. & Daimbertum Senon. Archiepiſc.

Daim-

JESU CHR. AN. 1098. Hugo Lugdun. Archiepisc. Daimbertum ordinari vetat.

23. Daimberto itaque electo, comprovinciales Episcopos Senonensis Clerus admonuit, ac ut cum ordinarent, rogavit, quem cum Quadragesimæ tempore ordinare statuissent, Hugo Lugdunensis Archiepiscopus, & Romanæ Sedis legatus id fieri prohibuit, nisi prius sibi tamquam Primati reverentiam, quam Richerius denegaverat profiteretur, missisque litteris ad provinciæ Episcopos, ut ab ejusdem consecratione se abstinerent, jussit; His acceptis Ivo Carnotensis Episcopus, qui Hugonem Romanæ Sedis legatum de Daimberti electione certiorem fecerat, & quid de eo ab se suisque Comprovincialibus agendum esset, an scilicet ordinandum, vel ab ordinatione abstinendum significaret, rogaverat; *Cujus electio*, ait, *si justa vobis videtur, petimus, ut nullas moras innectatis, si injusta qua lege differenda sit, vel cassanda, me & confratres meos sic litteris vestris instituatis, ut nec uni, nec alteri, sed omnibus hoc onus imponatis etc.* Cumque Daimberti ordinationem fieri Hugo prohibuisset, nec justam, ut id fieret, causam adesse Ivo putaret, mandatis quidem ejus paruit, at graviorem ad eum epistolam dedit, qua eum admonuit, ut cautius ageret, parciusque imperaret; *Factum est ut imperastis*, ait, *& manus a consecratione Senonensis electi continuimus, & litteras vestras per comprovinciales Episcopos pro Apostolicæ auctoritatis obedientia direximus. Petendo itaque consulimus, & consulendo petimus discretionem vestram, ut parcius de cætero nos Apostolicæ obedientiæ vinculis astringatis, ne humeris nostris importabilia imponendo, in inobedientiam labi, prohibente aliqua impossibilitate, vel imperante aliqua necessitate, faciatis, quia facile esi vobis, comminante arcu de longinquo, pugnare: nobis autem nimis periculosum, adversantem gladio de præsenti ferire. Nos tamen interdicta seu mandata pro fideli defensione, pro fidelium correctione, pro sceleratorum emendatione, pro imminentium, vel futurorum malorum interdictione, promulgata a Sede Apostolica sic volumus observare, ut parati sumus, Deo cooperante, quælibet adversa pro eorum defensione tolerare*, in reliquis vero, subdit, quæ ad animarum salutem vix pertinent, *Attendere debet prudentia vestra, quid saluti eorum, quia per omnia prodesse debetis, confratris, vel quorum institutio sit potius tenenda, vel quibus obedientia potius sit exhibenda, an illi sanctis Patribus*, Romanis scilicet Pontificibus, *qui adhuc nobis in scriptis suis loquuntur; an vobis, quibus nihil*

JESU CHR. AN. 1093.

nihil eſt aliud propoſitum, niſi priorum ſequi & honorare veſtigia. Neque hæc dico, quod contra novos exceſſus non liceat nova promulgare mandata; ſed hoc dico, quod dicit Papa Zoſimus Narbonenſibus: Contra ſtatuta Patrum concedere aliquid vel immutare, nec hujus quidem Sedis poteſt auctoritas: apud nos enim inconvulſis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum ſanxere reverentium. Hiſque Romanorum Pontificum auctoritates ſubjicit, quibus ſe tum in fidei profeſſione, quam in ſuis decretis, teſtati ſunt, ſe Patrum regulas, ſacrorumque canonum ſtatuta ſervaturos; cumque canonum auctoritate cautum eſſet, ut electus Epiſcopus, niſi crimen obſtaret, aut legitimum impedimentum, a Metropolitano ſine mora ordinaretur; *Miramur*, ait *cur privatis legibus, & novis traditionibus veteres traditiones, & conſuetudines removere contenditis, præcipiendo, ut Senonenſis electus ante conſecrationem ſuam vobis præſentetur, & jure primatus veſtri ſubjectionem, & obedientiam profiteatur. Quod hactenus nec in Senonenſi provincia, nec in aliis provinciis antiquitas inſtituit, nec conſuetudo ſervavit. Unde Papa Nicolaus inter cætera ſcribit Rodulpho Archiepiſcopo Bituricenſi, aliqua ultra jus ſibi uſurpanti; Primates vel Patriarchas nihil privilegii habere præ cæteris Epiſcopis, niſi quantum ſacri canones concedunt, & priſca illis conſuetudo contulit, ita definimus ut ſecundum regulas Nicænas ſua privilegia ſerventur Eccleſiis; Quid ſi privilegio veſtræ legationis eum vobis contenditis præſentari, qui nec apud nos, nec apud vos ab aliquo eſt accuſatus, non ita Papa Leo Anaſtaſio inſtituit Theſſalonicenſi Epiſcopo Vicario ſuo, ſed ut tantum de nomine electi ad notitiam ejus provinciales referant ſacerdotes: ipſe autem nullis difficultatibus, nullis dilationibus juſtas fatigaret electiones. Quantum enim audivimus, perſona nobiliter nata, competenter erudita, boni teſtimonii inter notos, cum in Eccleſia ſua diaconatus fungeretur officio, ſine ulla diſſonantia gratuitam habuit electionem. Sed ſi his actionibus cederet, diceretur, munere linguæ vel officii ſuam comparaſſe conſecrationem.* Hæc Ivo de his, quæ ſpectant ad jura male uſurpata per Archiepiſcopum Lugdunenſem, contra antiquam conſuetudinem, atque ſancita decreta Patrum, & ſanctorum Romanorum Pontificum, eo magis temere agentem, cum ex privilegiis conceſſis a Gregorio Papa Septimo Eccleſiæ Lugdunenſi, ut ſuper quatuor provincias primatum gereret, nempe ſuper

JESU CHR. AN. 1098.

Lugdunenſem, Turonenſem, & Senonenſem; nihil amplius tribuit ipſi, quam quod antiquitus ab aliis Romanis Pontificibus ei conceſſum fuerat.

De accepta Inveſtitura Daimbertum Ivo excusat.

22. Quia tamen Daiberto, id præcipue ab Ugone Lugdunenſi objiciebatur, quod a Rege Epiſcopatus inveſtituram accepiſſet, pro ejuſdem defenſione, hæc etiam Ivo Carnotenſis adnotat. *Quod autem ſcripſit prædictum electum inveſtituram Epiſcopatus de manu Regis accepiſſe, ne relatum nobis ab aliquo, qui vidit, nec cognitum. Quod tamen ſi factum eſſet, cum hoc nullam vim ſacramenti gerat in conſtituendo Epiſcopo, vel admiſſum, vel omiſſum, quid fidei, quid ſacræ religioni officia, ignoramus: Cum poſt canonicam electionem Reges ipſos Apoſtolica auctoritate a conceſſione Epiſcopatuum prohibitos minime videamus. Legimus enim ſanctæ recordationis ſummos Pontifices aliquando apud Reges pro electis Eccleſiarum, ut eis ab ipſis Regibus concederentur Epiſcopatus, ad quos electi erant, interceſſiſſe; aliquorum, quia conceſſiones Regum nondum conſecuti fuerant, conſecrationes diſtuliſſe. Quorum exempla ſuppoſuiſſemus, niſi proxilitatem epiſtolæ vitaſſemus. Dominus quoque Papa Urbanus Reges tantum a corporali inveſtitura excludit, quantum intelleximus, non ab electione, in quantum ſunt caput populi, vel conceſſione, quamvis Octava Synodus ſolum prohibebat eos intereſſe electioni, nec conceſſioni. Quæ conceſſio, ſive fiat manu, ſive nutu, ſive lingua, ſive virga, quid refert? cum Reges nihil ſpirituale ſe dare intendant, ſed tantum aut votis petentium annuere, aut villas Eccleſiaſticas, & alia bona exteriora, quæ de munificentia Regum obtinent Eccleſiæ, ipſis electis concedere. Unde Auguſtinus ſuper Joannem prima parte tractatu ſexto: Quo jure defendis villas Eccleſiæ, divino an humano? divinum jus in ſcripturis habemus, humanum in legibus Regum: Unde quiſque quod poſſides nonne jure humano? nam jure divino, Domini eſt terra, & plenitudo ejus: jure humano dicitur, hæc villa mea eſt, hæc domus mea eſt, hic ſervus meus eſt. Tolle jura Imperatorum, quis audet dicere, hæc villa mea eſt, meus eſt iſte ſervus, mea eſt iſta domus? Item noli dicere: Quid mihi & Regi? Quid tibi & ergo, & poſſeſſioni? per jura Regum poſſeſſiones poſſidentur. Dixiſti: Quid mihi, Regi? Noli dicere poſſeſſiones tuas, quia ad ipſa jura renuntiaſti humana, quibus poſſeſſiones poſſidentur: Quod ſi hæc & æterna lege ſancita eſſent, non eſſet in manu præſidentium, ut*

ea

JESU CHR. AN. 1098.

ea in quibuſdam diſtricte judicarent, in quibuſdam miſericorditer relaxarent, ipſis in honore accepto permanentibus; contra quos iſta loquuntur. Nunc vero quia ea illicita maxime facit præſidentium prohibitio, licita quoque eorumdem pro ſua æſtimatione remiſſio; videmus nullos, aut pene nullos, pro hujuſmodi tranſgreſſione damnatos, plurimos autem vexatos, plurimas Eccleſias ſpoliatas, plurima ſcandala exorta, diviſum regnum, & ſacerdotium, ſine quorum concordia res humanæ nec incolumes eſſe poſſunt, nec tutæ. Videmus quoque miſeros Epiſcopos, & Abbates, nec ruinas morum, nec ruinis murorum reficiendis velle vel poſſe vacare, ſolum ad hoc intentos, ut poſſint ſibi aliquam linguam magniloquam amicam facere, cujus nundinis ſe poſſint utcumque defenſare: Multi quoque electi, qui gratuitam, & canonicam habent electionem quia hujuſmodi dilationibus, vel fatigationibus impediuntur, comparatis ſibi pecunia mediatoribus, & procuratoribus, ne turpem patiantur repulſam, in ſimoniacam offendant aliquando conſecrationem. Cum ergo omnis inſtitutio Eccleſiaſticarum legum ad ſalutem referenda ſit animarum, iſtarum inſtitutionum tranſgreſſiones, aut diſtrictius eſſent corrigendæ, ut ſaluti prodeſſent, aut interim ſilentio premendæ, ne ſpiritualia, vel temporalia commoda ſupradictis modis impedirent: Hæc Ivo Carnotenſis Epiſcopus, quæ cum in deteriorem partem interpretari fortaſſe potuiſſent, iis mox apponens antidotum, illa ſubjungit. *Non iſta dico tamquam velim adverſus Sedem Apoſtolicam caput erigere, vel ejus ſalutaribus diſpoſitionibus obviare, vel melioribus ſententiis præjudicium facere, ſi vivis nitantur rationibus, & evidentioribus veterum Patrum auctoritatibus: ſed hæc vellem cum multis mecum pie ſentientibus, ut Romanæ Eccleſiæ miniſtri tamquam probati medici majoribus morbis ſanandis intenderent, & non ab irriſoribus ſuis audirent, Culicem excolantes, & camelum glutientes, mentam, rutam, cyminum, & anethum decimatis; graviora autem legis prætermittitis, cum per totum pene mundum flagitia, & facinora videamus, publice perpetrari, nec ea a vobis aliqua juſtitiæ falce reſecari. Quorum exempla, quia vel a vobis non ſunt remota, vel vobis non ignota, non eſt meum ea ſpeciali ſermone taxare. Vos videritis, quid de his, & ſimilibus agere debeatis. Nunc vero ſpecialiter ad hoc intendit ſtylus meus, ut electum Senonenſis Eccleſiæ, ſi nihil in eo quod ſacris canonibus obviet, reper-*

JESU CHR. AN. 1098.

tum fuerit, ſecundum morem antiquum conſecrari permittatis. Ac ſe poſt ejuſdem conſecrationem effecturum promittit, ut idem Senonenſis Epiſcopus, eidem Hugoni Lugdunenſi, tamquam Primati ſecundum canones reverentiam exhiberet: De ſacrilegis etiam raptoribus ab ſe excommunicatis, & ab Hugone, ſe neſciente, reſtitutis conqueritur, ac tandem. *Si ad hæc omnia reſpondere non licet vel non placet, ad hæc ſaltem duo ultima reſpondeat ſanctitas veſtra, Bene vale.* Hactenus Ivonis epiſtola, cujus cauſa nonnihil Urbanus etiam Papa in eum commotus eſt, quaſi in Hugone Lugdunenſi legato ſuo, Romanæ Sedis majeſtatem, auctoritatemque ſpreviſſet, ob quam cauſam non ſe multo poſt Urbano ſcribens, ſcripta Hugonis excuſans, nihil in Romanam Eccleſiam reprehenſione dignum ſcripſiſſe teſtatur; eademque epiſtola, ſe Epiſcopatus renunciatione, eidem ſatisfacere paratum eſſe addit, uti jam ſupra adnotavimus.

Epiſt. 6.

Ivonis epiſt. ad Urbanum de Daimberto Senonen. Epiſc. *Epiſt. 65.*

23: Cumque Hugo Lugdunenſis in ſua ſententia perſeveraret, Urbanum Papam ea de re certiorem Ivo Carnotenſis epiſtola ſua fecit, qua hæc inter cetera habet *de Senonenſi electo, cujus conſecratio a Legato veſtro Lugdunenſi Archiepiſcopo ob hoc impeditur, quia & jure Primatus ſui ante conſecrationem ſuam obedientiam non profitetur, quid nobis agendum ſit, reſcribat Paternitas. Cum enim nulla aliquo accuſante alia cauſa prætenderetur propter quam ejus conſecratio differatur, eo tamen jubente propter reverentiam veſtram manus ab ejus conſecratione continuimus, cum de profeſſione a Metropolitanis Primatibus facienda nihil legamus conſuetudine firmatum, vel legibus inſtitutum: ultra quas metas nihil conceſſum eſſe Primatibus teſtatur Papa Nicolaus &c.*; Hæc Ivo ad Urbanum.

Daimbertus ab Urbano Papa ordinatur.

24. Daimbertus vero Senonenſis Epiſcopus electus, cum nec ordinationem ab Epiſcopis Comprovincialibus obtinere poſſet, neque contra jura ſuæ Sedis Lugdunenſis Archiepiſcopi Primatum vellet agnoſcere; intelligeret etiam Hugonem in ſua ſententia permanere, ac prohibataſque provincialibus Epiſcopis juſſiſſe ne ordinationem ejus peragerent, Romam profectus eſt, ubi abſque ulla conditione ab Urbano II. conſecratus fuit, ut diſcimus ex Epiſt. ejuſem Pontificis ad Hugonem *Lugdunenſem Archiep.* data, & a Marca in Diſſert. de Primatibus num. CXVIII. ex MS. Lugdunenſi eruta, ſcriptaque *Romæ apud B. Petrum indi-*

indictione ſeptima viii. Kal. Maii anno Dominicæ Incarnationis 1093, ſeu potius 1098. *Pontificatus Domini Urbani ſecundi Papæ duodecimo*; eodemque anno in Galliam reverſus; *in Sede propria locatus eſt* 14. *Kal. Maii*, ſeu die 18. menſis Aprilis, qui in Dominicam eo anno incidit, ait Pagius; ſicque ut auctor chronici adnotat, *ſine benedictione paſtorali fuit anno uno, & duobus menſibus*; ab electione ſcilicet, ad ordinationem; Cumque Senonenſis Epiſcopatus poſſeſſionem vix iniiſſet hoc anno Daimbertus, ſequentis initio Romam rediit, ac Romanæ Synodo adfuit; ibique ſe Primatum Lugdunenſis Archiepiſcopi agniturum fore promiſit, ut in ſupracitata epiſtola ad Hugonem ſcripta his verbis teſtatur Urbanus Papa, in qua poſtquam dixit ſe Daimbertum in Epiſcopum conſecraſſe, mox ſubdit. *Nuper autem cum ad Apoſtolorum limina, tam pro ejuſdem cauſæ actione, quam pro communi ſynodica vocatus rediiſſet, præſentibus legatis fuit &c. Sedit Apoſtolicæ cogente judicio, omni demum tergiverſatione caſſata, in manu noſtra profeſſus eſt, ſe & Lugdunenſis Eccleſiæ ſuper Senonenſem primatum agnoſcere, & de cetero tibi; tuiſque legitimis ſucceſſoribus tumquam Primati obedire &c. Præſentibus fratribus noſtris, quorum infra ſcripta ſunt nomina Anſelmo videlicet Cantuarienſi, Leodegario Bituricenſi &c.*, ac data dicitur octavo Kal. Maji anni proximi 1099.

JESU CHR. AN. 1098.

25. Dum tantam Eccleſiarum ſollicitudinem Urbanus Papa ſecundus gereret, ipſa quoque ſchiſmaticorum factio, ut Pontificis zelum æmularetur, conciliabulum Romæ coegit, cujus mentio occurrit, ad calcem libri ſecundi a Bennone ſchiſmatico, & ut ait Baronius extra cardinem Cardinale, ubi ſynodalis, ſeu potius latrocinalis epiſtola adverſus catholicos inſerta eſt; *data Romæ anno Incarnationis Domin.* 1098., *indict. ſexta, ſeptimo Idus Auguſti*; Quinam ibidem convenerint, Præfatio indicat his verbis. *Adalbertus Epiſcopus Sanctæ Ruffinæ Silvæ Candidæ, Joannes Epiſcopus Oſtienſis, Hugo Epiſcopus Prænelinus, Albertus Epiſcopus Nepeſinus, Benno Cardinalis Presbyter Urbis Romæ, Romanus Cardinalis Presbyter Urbis Romæ, Guido Cardinalis Presbyter Urbis Romæ, Octavianus Cardinalis Presbyter deſignatus, Paulus Primicerius Romanæ Eccleſiæ, Nicolaus electus Abbas Sancti Silveſtri Urbis Romæ, N. Abbas Sancti Pancratii Urbis Romæ, & Clerus, & clariſſimi Principes laici Theobaldus Chinebii, & Udalricus de S. Euſtathio, & Popu-*

Concilium Romanum ab ſchismaticis celebratum.

Epiſtol. Schiſmaticorum.

Labb. to. 20. pag. 959. novis. edit.

JESU CHR. AN. 1098.

Populus Romanus, omnibus Deum timentibus, & ſalutem Romanæ Reipublicæ diligentibus, epiſtola vero hæc habet: *Nolumus ignorare prudentiam veſtram, quod ad deſtruendas hæreſes, noviter ab Hildebrando inventas ſub nomine pietatis impie ab ipſo renovatas, & ad defenſionem Fidei Catholicæ, & ad exterminandam impietatem eorum, qui noviter ipſam Fidem Catholicam (quantum in ipſis erat (ſcindere non timuerunt, Deo auctore, Nonis .... apud ſanctum Blaſium convenimus, octavo Idus apud ſanctum Celſum, ſeptimo Idus apud Sanctam Mariam in Eccleſia, quæ vocatur Rotunda conſedimus, ipſas hæreſes damnatas, ſicut majores noſtri, & nos damnamus omnes ſectatores, communicatores, complices ſemel damnatæ pravitatis pari ſorte cenſemus, ne ſi vel paulum taceamus, conſentire videamur*, ac ſecuritatem omnem pacemque promittunt iis, qui in ſuas partes tranſire voluiſſent, ſeu filios pacis eſſe teſtantes, ob quam rem ſubduut'. *Eos, qui Sanctam Eccleſiam ſcindere non timuerunt, iterum vocamus ad Synodum, quam Deo auctore, celebrare diſpoſuimus circa Kalendas Novembris. In præſenti tamen, quia venire renuunt, teſtes invocamus contra eos cœlum, & terram, quod nullum conſenſum adhibemus eorum perverſitati. Et in teſtimonium illius in medio Eccleſiæ, in conſpectu Angelorum, & hominum incendio tradimus decreta eorum hæretica, quibus orbem terræ perverterunt, verbum Dei adulterantes, ſub ementito colore pietatis, quærentes plus ſe, quam Fidem Catholicam amari. Qui per ſexdecim annos nullum dederunt locum veritati, fugientes lucem examinationis, tenebris errorem aſſueti, falſis expoſitionibus violenter intorquentes Scripturas in adjumentum nefandiſſimi ſchiſmatis. Hildebrandus in extremis ſuis vocavit ad ſe unum de Cardinalibus duodecim, quem multum diligebat præ cæteris, & confeſſus eſt omnipotenti Deo, & toti Eccleſiæ, ſe valde peccaſſe in paſtorali cura, quæ ei ad regendum erat commiſſa. Atque hanc confeſſionem ſuam miſit ad Imperatorem, & ad totam Eccleſiam, ut optarent illi veniam.* Hucusque Acta pſeudoſynodi apud Bennonem in vita Gregorii Papæ Septimi edita, quorum poſtrema verba de Gregorii pœnitentia tempore mortis, ab ſchiſmaticis inventa, vulgataque fuiſſe ſcimus, atque de his jam ſatis.

JE-

JESU CHRISTI AN. 1099. PASCHALIS II. PAPÆ AN. I. HENRICI IMP. 16. ALEXII COMNENI IMP. 19.

JESU CHR. AN. 1099.

1. Ad festum usque S. Michaelis, Villelmi Angliæ Regis causam cum Anselmo Episcopo distulerat Urbanus Papa, uti anno proximo diximus. At morte præventus, sub Julii finem hujus anni, eam tractare non potuit; Synodum quidem in tertia post Pascha Dominica, indictam celebravit, de qua hæc Bertholdus. *Romæ Dominus Papa generalem Synodum centum quinquaginta Episcoporum, Abbatum, & Clericorum innumerabilium tertia hebdomada post Paschа collegit, in qua Synodo confirmatis suorum antecessorum statutis, etiam sententiam anathematis super Guibertum hæresiarcam, & omnes ejus complices iteravit. Statuit quoque ibi, ne communicare præsumerent iis, qui concubinas haberent, nisi prius eas dimitterent. De Hierosolymitao itinere multum rogavit ut irent, & fratribus suis laborantibus succurrerent.* Eadimerus vero, qui cum Anselmo interfuit, narrat quod cum Prælatorum copia ibidem adesset, adstans quilibet juxta consuetudinem loco suo stetit, cumque nemo hactenus Cantuariensem Archiepiscopum in Romana Synodo vidisset, quinam ei locus daretur, incertum erat, tamen *ex præcepto Papæ in corona sedes illa posita est, qui locus honoratior est*, ait auctor, interea cum plurima ibidem statuta fuissent, vel potius renovata contra Guibertum, ejusque schismaticam factionem, & ad simoniam, & investituras prohibendas, ut apud Labbeum videre est, ut decreta in Synodo edita ab Reingero Lucensi Episcopo, utpote sonoræ vocis viro, legerentur Pontifex jussit; Decretorum lectione incœpta, voce repente mutata, vultuque Reingerius, interrupta lectione, sua sponte, non sine adstantium admiratione. *Quid facimus*, ait *præceptis subditos oneramus, & iniquis tyrranorum vexationibus non occurrimus! Querelæ de oppressionibus Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum ad hanc sedem referuntur in dies, & ab ea, tamquam ab omnium capite, consilia, & auxilia requiruntur: sed quo effectu? heu totus orbis Christianus novit, & ingemiscit. En vobis ante oculos e remotissimis partibus ejus testis unus, modestus ac silens, cujus silentium, quavis voce altius clamat, cujus humilitas, & patientia quo magis oppressa, eo sublimior est apud Deum, & in nos*

Rom. Synodus ultima ab Urbano Papa celebratur.

Eadmerus lib. 2. Novorum p. 55.

Labb. concil. tom. 10. pag. 615. vel to. 20. noviss. edit. 962.

Raynerus pro Anselmo Archiepisc. perorat.

JESU CHR. AN. 1099.

nos efficacior. Anſelmum indicans? jam annus ſecundus eſt ex quo huc venit: ſed quid hucuſque præſidii invenit? His dictis, virgam paſtoralem, quam manu tenebat, ter pavimento illiſit, ut rei indignitatem exprimeret. Ad quem Pontifex: Frater Reingere, ſufficit: hac de re bonum conſilium erit. Et quidem expedit, ait ille: alias qui juſte judicat, id non feret impune: tum reliqua Concilii decreta legere inſtitit; iiſque lectis, iterum, ne parvi penderetur Anſelmi injuria, denuo inculcavit. Hæc omnia tacens auſculavit Anſelmus: cui permirum viſum eſt, ſic de ſe, & pro ſe locutum fuiſſe Reingerum, quem nec a ſe, nec a quoquam e ſuis ad hæc dicenda impulſum fuiſſe ſciebat; atque his geſtis, atque a Synodo probatis, *quibus præſentes fuimus*, ait Eadmerus, ac addit *his ab univerſis fiat fiat, acclamari audivimus*; De eadem Synodo Dominica tertia poſt Paſcha celebrata, ſeu Dominica ſecunda poſt Albas, qua *Miſericordiæ Domini cantatur*, ut ait auctor, de reſtitutione Attrebatenſis Epiſcopatus actum eſt, ut ex Balutii miſcellaneis conſtat tom. 5. Bertholdus, etiam Hovedenus, aliique ſtatuta ibidem commemorant; auctor vero chronici Malleacenſis hæc etiam addit. *Eo anno* 1099., *fuit factum Romæ concilium, quod noviſſime tenuit Urbanus Papa ſeptimo Kal. Maii, in quo confirmavit viam S. Sepulchri D. N. J. Chriſti*, & pro felici expeditionis exitu, ut feriæ ſextæ jejunium ſervaretur, decrevit.

Anſelmus Lugdunum redit, ubique cum honore exceptus.

2. Synodo abſoluta, *accepta licentia*, ait Eadmerus, *Roma digredimur*, ac inter multa pericula, Anſelmus cum ſociis Lugdunum pervenit, ubi non ſicut hoſpes, aut peregrinus, ſed velut *loci Dominus ab Archiepiſcopo habitus eſt*, cui ut Epiſcopalia munera obiret non aliter, ac ſi in propria Eccleſia fuiſſet, permiſit. Huc ſpectat ipſius Anſelmi Epiſtola, quæ nona eſt in Spicilegii Tomo IX. ad Hugonem Archidiaconum Cantuarienſem, qua teſtatur, ſe, ex quo ex Anglia exierat, nullam paſſum eſſe rerum temporalium indigentiam; nec ullius mali violentiam, quin tantam ubique gratiam ſe inveniſſe, apud Epiſcopos, Abbates, & Principes ac divites hujus ſeculi, minoris ordinis homines, a mari Barenſi uſque ad mare Bononienſe, ut amplius timeret eos oſtendere præſentiam ſuam ſubtrahendo, quam eos frequentando. *Inter quos*, inquit, *venerabilis Archiepiſcopus Lugdunenſis gaudet*

JESU CHR. AN. 1099.

det ad præſens ſe ſuam mihi munificentiam copioſe, & honorifice exhibere, & deſiderat me ſemper; quamdiu exul ero ab Eccleſia noſtra manere.

Anſelmi ſumma animi modeſtia.

3. At tantæ modeſtiæ Anſelmus erat, ut antequam Roma excederet, Urbanum Papam rogaverat, teſte Malesburienſi; *ut ſibi aliquem præponeret, cujus juſſu vitam diſponeret. Is Edmerum, ab aliis Ednerum dictum exhibuit, cujus Anſelmus tanti juſſa faciebat, ut cum cum cubili locaſſet, non ſolum ſine præcepto ejus non ſurgeret, ſed nec latus inverteret*: Erat Edmerus ejusdem a ſecretis, qui (ut dictum eſt) ejus res geſtas deſcripſit. Et ſane, quantæ humilitatis fuerit, ac ab omni faſtu, etiam in eminenti dignitate conſtitutus, ſatis geſta, ſcriptaque ejus teſtantur; inter cætera, ad Fulconem Bellovacenſem Epiſcopum ſcribens, ſe nullatenus Archiepiſcopatus honore, aut gloria, uti nonnulli ſuſpicabantur, teneri his verbis teſtatur; *Sciant ergo omnes, ſicut mea conſcientia mihi dicit, quam coram Deo, quem invocare teſtem mendacii nefas eſſe ſcio: quia non me rapit, aut alligat ad Archiepiſcopatum Anglorum cupiditas alicujus rei, quam ſervus Dei comtemptor mundi contemnere debet, ſed timor Dei me cogit pati, ut quamvis dolens, & timens, ob Eccleſia Dei trahar. Et quia ſi mihi liceret. ſervata obedientia, & charitate, quas Deo debeo, & Eccleſiæ ejus matri meæ; propter eum potius ac libentius eligerem ſub Abbate & regulari diſciplina in monaſtica paupertate, & humilitate eſſe, & obedire, & ſervire, quam regnare in hoc mundo ſæculariter, aut dominari. aut Archiepiſcopatum ſive Epiſcopatum poſſidere, vel Abbatiam, aut hominibus quibuslibet præeſſe ad animarum gubernationem, ſive ad corporum ſuſtentationem in magna terrarum, & rerum terrenarum poſſeſſione & opulentia*; hæc & alia ibidem Anſelmus, de quo iterum infra ſermo non ſemel occurret.

Anſelmi lib. 3. epiſt. 11.

Concilium Audomarenſe pro Eccleſiæ juribus ſervandis.

4. Inter concilia hoc anno in Galliis celebrata Audomarenſe occurrit ab Manaſſe Remenſi Archiepiſcopo cum ſuffraganeis ſuis celebratum, quo præſertim ut Eccleſiis, privilegia, & bona ſua ſervarentur, canonibus quinque cautum eſt, cujus hæc eſt præfatio. *Anno Domini* 1099., *pridie Idus Julii apud S. Audomarum in Baſilica B. Mariæ ſemper Virginis Dominæ noſtræ, petente Domino Roberto juniore Flandrenſium Comite cum primatibus ſuis, adſtante quoque non parva mul-*

Labb. conc. tom. 10. pag. 618.

JESU CHR. AN. 1099.

titudine cleri, & populi, recitata & sub excommunicatione reconfirmata est a Domno Manasse venerabili Remensium Archiepiscopo, & suffraganeis coepiscopis ejus, Domno videlicet Baldrico Noviomensi, Lamberto Atrebatensi, Manasse Cameracensi. Joanne Morinensi, hujus subscriptæ pacis forma; ac canones quinque ibidem vulgati sequuntur; In eam rem extat epistola Manassis ad Robertum Comitem data, a Balutio primum vulgata, & in novissima conciliorum collectione Veneta inserta, qua Comiti narrat, se apud S. Audomarum cum Episcopis suis de illicitis Presbyterorum conjugiis sermonem habuisse, eumdemque admonet, ne ea de causa Presbiteris, vel clericis molestiam afferat, antequam ab Episcopis, quorum officium est, hæc inquirere, rogatus fuerit, ut ibidem videre est, ad hunc quoque annum aliud in Gallia concilium celebratum est in causa Rabodi Noviomensis Episcopi de simonia accusati ab Hugone Lugdunensi Archiep. Rom. Sedis legato, cujus acta ibidem ex Dacheriano spicilegio tom. 2. referunt supracitati conciliorum editores.

Baluz. miscell. tom. 5. Concil Labb. novissi. edit. to. 4. p 971.

To. 20. p. 973

Urbani II. Papæ obitus, & elogium.

5. Tribus ab Romana Synodo mensibus vix elapsis eximius Pontifex Urbanus post multos labores pro Ecclesia Dei toleratos, post domitos patientia magis, quam armis adversarios, pace Ecclesiæ Romanæ conciliata, sacraque in Orientem expeditione susceptа, quarto Kal. Augusti Romæ obiit, postquam Sedi Apostolicæ annos undecim, menses quatuor, dies 18. præfuisset, ac cum honore in Basilica Vaticana sepultus fuit, quem etiam post obitum miraculis claruisse refert Guibertus Abbas fere æqualis, apud Mabilonium lib. 2. de gestis Francorum; Præceteris vero, de obitus anno, & die, ejusque laudibus, hæc in vita Mathildis Domnizo habet, quæ pro sepulchrali Epitaphio sint

Non erat hic Rector tremulus quasi cannula vento,
Sed veluti ferrum truncabat noxia verbo.
Ut cervum serpens, hæresum sic turba timet quem:
Cuncta sibi prava subduntur dogmata falsa.
Nunquam decrevit libertas denique Sedis
Romanæ per eum, sanctum peramat quia Petrum
Aureus Antistes, color optimus extitit ipse
Scilicet Urbanus, Sanctis merito sociatus.
Talem væ Romæ cum perdidit Upilionem,

Mor-

Mortuus est Romæ, digno conditus honore,
Julius ipse dies binos cum dat prope finem,
Anno milleno nonagenoque noveno
A nato celso de prima Virgine Verbo.

JESU CHR. AN. 1099.

Murat. to. 3. pag. 375.

Hucusque Donizo ibidem.

6. Urbani Pontificis, cujus, *quot apices, tot gemmas existimamus*, ait Baronius, quamplurima hinc inde sparsa decreta canonum collectores, Anselmus Lucensis, Ivo Carnotensis, Gratianus referunt, nonnulla sua ætate inedita Annalibus suis inseruit Baronius nos plurima suis locis commemoravimus; Ex Romana Synodo hoc anno celebrata, ad Hugonem Lugdunensem Episcopum, & Romanæ Sedis legatum de reditu Roberti Molismensis Abbatis, qui anno proximo ad Cisterciensem eremum transierat, litteras dedit; *Molismensium fratrum magnum in concilio clamorem accepimus, Abbatis sui reditum vehementius postulantium; dicebant enim in religionem in suo loco eversum, seque pro Abbatis illius absentia odio apud Principes, & ceteros vicinos haberi*; Quare ut Molismensis Monasterii incolumitati, vel Abbatis sui reditu, vel alia quacumque ratione provideret, jussit, ut ibidem videre est; Eodemque tempore epistola altera consultationibus Pipponis Tulensis Episcopi satisfecit, qua præcipue de ordinandorum qualitatibus agit, ac incontinentes, simoniacos, bigamos ab ordinum susceptione, vel in susceptis administratione removendos esse docet; Filios vero Presbyterorum, ait *a sacris altaris ministeriis removendos decernimus, nisi aut in cœnobiis, aut in canonicis religiose probati fuerint conversati*, quod etiam alias in concilio Claramontano statutum fuerat; Cum etenim Presbyterorum concubinatus, ubique fere vigeret, ut vix a concubinis, quas uxores dicebant, ab se avelli paterentur, prudenter judicavit Ecclesia eorum filios a sacris officiis, & ordinibus omnino arceri, tum ne in ordinibus constituti Patrum exempla imitarentur, tum ne Ecclesiarum præbendæ hæreditariæ quodammodo fierent, nam facile ex patribus in filios transibant; hinc Roscelinus hoc tempore in Anglia exulans hanc pertractavit quæstionem, contenditque Presbyterorum filios ad sacros ordines nusquam promovendos esse. Theobaldus vero Stampensis, qui tunc Oxoniæ Scholam Theologicam regebat, contrariam sententiam propugnavit,

Bar. n. 27.

Urbani II. decreta collectionibus canonum inserta.

Labb. concil. to. 20. pag. 967. noviss. edit.

Apud Labb. bibliot. Ms. to 1.

Apud Labb. conc. tom. 20 p. 968. edit. noviss.

An Presbyterorum filii in sacris ordin. admittendi sint.

JESU CHR. AN. 1099.

vit, eamque in rem Epiſtolam ſcripſit ad Roſcelinum, quæ legitur Tom. 3. Spicilegii Dacheriani, in qua ait: *Quoniam Sacerdotum filios, & alias ex lapſu carnis generatos non ſatis provida ratione calumniaris, & calumniando illos exleges eſſe nimis imprudenter adſtruere conaris, quæ ſuper iis a Patribus ſanctis rationabiliter audivimus, non quaſi præſumendo, ſed diligentiæ ſubſcribendo, ad memoriam revocare curavimus.* Poſt plura interpoſita: *Joannes quoque in Apocalypſi*, qui lavit nos in ſanguine ſuo, & fecit nos Deo regnum, & Sacerdotes. *Qua igitur fronte quidam homunciones non palam, ſed e latibulis loquentes, & totam Campaniam libidinoſa peregrinatione polluentes, indignos Sacerdotio judicant, quos Petrus, & Joannes Regali Sacerdotio dignos eſſe confirmat &c.*, & ut diſcerent homines peccata parentum non obeſſe filiis, Chriſtum quoque de progenie peccatorum natum fuiſſe adnotat.

Paſchalis II. Rom. Pontifex eligitur.

7. Urbano ſecundo defuncto, Paſchalis hujus nominis ſecundus, die 16. ab Urbani Papæ obitu, ſeu die 14. Auguſti electus, ac deinde Romanus Pontifex ordinatus fuit, ut narrat Bertholdus in chronico ad hunc annum, ubi chronicon ſuum abſolvit; *Romæ venerabilis Papa Urbanus hujus nominis ſecundus, poſtquam Sedem Romanam undecim annos, & quinque menſes*; paucis diebus demptis a chronographo neglectis; *gubernavit, poſt multas tribulationes tandem quarto Kal. Auguſti de hac vita migravit, poſt cujus obitum Dominus Paſchalis; qui & Regengerus* (Ragingerius etiam, & Raynerus) *dictus eſt in ordine*, Rom. Pontificum, 162 *Papa ordinatur, & hoc divina revelatione factum*, ut diſerte narrat Doedechinus Abbas hujus temporis ſcriptor. *Ordinatus eſt autem*, ſequitur Bertholdus, *a clero, & populo poſt diſceſſum ſui prædeceſſoris die decima ſexta*, ſeu 14. Auguſti labentis anni; hæc is auctor in appendice ad Hermannum Contractum. Paſchalis Papæ vitam a Pandulpho Piſano digeſtam, quam ſub anonymi nomine citat Baronius, Cardinalis de Aragonia vitis Rom. Pontificum inſeruit; eaque ſcimus, eum natione Tuſcum, patria Bledanum, patre Creſcentio, & matre Alſatia natum fuiſſe, eumque amore vitæ religioſæ ducendæ ductum Cluniacenſe monaſterium petiiſſe, ibique ſub S. Hugone Abbate monaſticam vitam excoluiſſe, quem cum mitti contigerit Romam ob negotia monaſterii tempore Gregorii Papæ Septimi, ob eodem Pontifice retentum, creatum Presbyterum Cardinalem titu-

Bertol. German. rerum ſcript. to. 1. p. 378.

Paſchalis Papæ vitæ initia, & geſta. *Apud Muratt. rer. Ital. ſcript. to. 3.*

tituli S Clementis, postea vero Abbatem monasterii (ut dictum est) electum fuisse. Hæc summatim ex Pandulpho, qui etiam de ejusdem ordinatione agens, invitum pene, & reluctantem ordinatum fuisse addit, ac ad Lateranensem Basilicam equo ductum, & in sede, quæ ibidem est, locatum, ut pluribus idem auctor narrat. Jesu Chr. an. 1099.

8. *Die altera mensis sexti Augusti videlicet decimaquarta, consecrandus in Pontificem, consecraturi Pontificem Pontifices, cum frequentia populi plebisque Basilicam Beati Petri adeunt, quorum nomina sunt, Oddo Ostiensis, Mauritius Portuensis; Gualterius Albanensis, Bono, alias Boso, Lucianus, Milo Prænestinus, Otto Nepesinus: & inter missarum solemnia, loco, & termino quem decuit, manum ipsi imponunt. Primus in consecratione Odo Ostiensis, qui ad hoc utitur pallio, & benedixit, & linivit eum chrismate. Catholice igitur a Catholicis, & orthodoxis Episcopis in Pontificem consecratus, translato in se pallio, expletisque iis, qui restabant, Missarum solemnibus, cum plenitudine laudum, cum ingenti applausu populi plebisque, cum alacritate Patrum ac devotione, Dominus Paschalis Papa Secundus coronatus in Urbem rediit, convaluitque Ecclesia, dum hæc Romæ agerentur.* Hisque plura de ejusdem Pontificis sollicitudine in procuranda urbis concordia, & ne ob Gibertinum schisma turbaretur. In quam rem cum litteras de electione sua ad Catholicos Principes dedisset, ut in fide Romanæ Ecclesiæ debita persisterent, præ ceteris Matildem in tota Italia schismaticorum malleum hortatus est, ut in suscepto opere perseveraret. Unde Donizo in ejus vita, de Paschalis electione agens, hæc subdit. Paschalis Papa ordinatur

Paschalis Papæ epist. ad Mathildem Comitissim. *Murat. to. 5. cap. 12. pag. 375.*

Dogmate pro Christi certanti porro Mathildi
Signatos apices benedicentes sibi mittens,
Illos ut mores teneat monet anteriores,
Quos docuere Patres ipsam vehementer amantes.

Quod sane illustris mulier usque ad obitum egregie præstiti, ut ex dicendis constabit.

9. Henricus autem Imperator in suscepto schismate, & Guiberti patrocinio perseverans, cum Corradum sibi adversantem pateretur, *in Epiphania*, ait Uspergensis Abbas, *Aquis filium suum juniorem Henricum quintum Regem fecit, reprobato* Henricus Imp. Henricum filium Regem dicit.

JESU CHR. AN. 1099.

bato majore ſuo Chunrado, quem prius coronavit. Chunradus vero cauſam rebellationis ſuæ paucis tantum ſibique familiariſſimis in regno detegens, aſſumpto quodam ex ordine miniſteriali um patris, æque Chunrado nomine, forti admodum, & prudenti viro, per quaſdam Italiæ partes, & nomen, & dignitatem Regis annis fere novem obtinuit, quem non ſolum Apoſtolicæ ſedi obſequentem fuiſſe, ſed omni virtutum genere ornatum addit, eademque de Henrici quinti inauguratione cum labenti anno copulat chronographus Hildeſeimenſis.

Ludovicus Franciæ Rex a patre dictus.

10. Hoc etiam, vel ſuperiori anno Philippus Rex Francorum, Ludovicum filium in Regni ſocietatem adſcivit, eoſque erraſſe, ait Pagius, qui uſque ad annum tertium ſupra milleſimum hæc ab Philippo geſta fuiſſe tradiderunt, atque ex Ludovici diplomatibus probare id nititur, quorum plura ibidem refert. De Philippo Francorum Rege id etiam adnotamus, quod etſi cum Urbano Papa dum in Galliis eſſet anno 1096. reconciliatus fuiſſet, ac ab excommunicationis ſententia abſolutus, qua ob Valdradam Fulconis Andagavenſis Comitis uxorem thoro ſuo ſociatam, vinctus fuerat; eaque ut ibidem diximus, abdicata reconciliatus fuiſſet; paulopoſt tamen, fide violata eam revocavit, cui conſenſum ſuum præbuiſſe Fulconem adnotat Oldericus lib. 8. *Inter opulentos rivales*, ait Philippum ſcilicet, & Fulconem *ingens tumultus, & præliorum exortus eſt, verum verſipellis mulier inter rivales ſimultatem compeſcuit, ingenioque ſuo in tantam pacem eos compaginavit, ut ſplendidum eis convivium præpararet, & apte prout placuit illis miniſtraret*. Sugerius etiam in vita Ludovici cap. 17. *Andegavenſem priorem maritum licet thoro omnino repudiatam, ita mollificaverat, ut eam tamquam dominam veneraretur, & ſcabello pedum ejus ſæpius reſidens, aceſi præſligio fieret, voluntati ejus omnino obſequeretur &c.*

Pagi not. 22. 53.

Cruceſignatorum geſta ante expugnationem Hierosolymæ.

11. Ad Cruceſignatorum nunc geſta ſtylum revocamus, quorum præclara facinora proſequens chronographus Malleacenſis hujus temporis ſcriptor adnotat. *Raymundus Comes Sancti Ægidii exivit de civitate Mayra Idibus Januarii, & venit ad Caſtrum Capharda, ibique junxit ſe cum eo Comes Rothertus Nortmaniæ: Rothertus Flandrenſis, & Dux Godofredus venerunt uſque Liciam* (Leodiciam) *civitatem ſequentes Raymundum Sancti Ægidii. Ibique Boamundus ſeparavit ſe ab aliis, & reverſus eſt Antiochiam. Indeque tendentes venerunt*

runt Tripulim, & ibi pugnaverunt contra Turcos, & maximam partem occiderunt: Alia die equitaverunt ultra vallem Ediſſen, & ad caſtrum Archæ. Quod tenuerunt obſeſſum per tres menſes uno die minus; ubique Paſcha Domini celebraverunt tertio Idus Aprilis) legendum quarto Idus Aprilis). *Fecerunt placitum cum Rege Tripuli, & diſceſſerunt a caſtro, & pervenerunt, in ſexta feria quarto Idus Maii*) legendum, tertio Idus Maii, qui hoc anno in feriam ſextam incidit). *Poſtea diſceſſerunt a Civitate, veneruntque ad caſtrum Betholon, deinde Gibelon,* (Biblum), *& inde ad civitatem Barut, & de illa ad ſagittam* (Sidonem), *& de ſagitta civitate ad civitatem Sur* (Tyrum, *de civitate autem Sur ad Acram civitatem, & de Acra ad Caiphae, indeque pervenerunt ad civitatem Cæſaream; ibidem Penteceſten celebraverunt quarto Kal. Junii, unde venerunt ad civitatem Ramam, & ibi ordinaverunt &c.*

Jesu Chr. an. 1099.

12. Inde Hieroſolymam tandem, tantæ expeditionis terminum, & ſcopum profecti ſunt; ac ſeptimo Idus Junii obſederunt, ut idem proſequitur auctor, *Robertus Nortmannus obſedit eam a ſeptentrione, & juxta eum Flandrenſis Comes Robertus, a meridie Comes Raymundus Sancti Ægidii; Quinto Idus fecerunt bellum; quarto Idus aggrediuntur civitatem, & minorem murum ſtraverunt, & unam ſcalam ad majorem erexerunt, & ſuper ſuis enſibus, ac lanceis eminus pugnabant &c.*, ac tandem poſt varia diſcrimina, eadem potiti ſunt, ait auctor, ac ſubdit. *Primus, qui intravit miles extitit Letot, ſecundus Godefredus Dux, tertius Euſtachius Comes frater ejus. Octava poſtquam civitas capta fuit, celebraverunt feſtivitatem ereptionis per omnem civitatem Hieruſalem &c.* Eadem fuſiori ſtylo narrantur ab auctoribus, qui de hac crucefignatorum expeditione ſcripſerunt, collecti in unum ſub titulo Geſta Dei per Francos, & apud Duchesnium tomo quarto, præcipue vero ab Anna Comnena libro undecimo, & Gulielmo Tyrio, qui diem, & annum expugnationis Hieruſalem his verbis adnotat. *Capta eſt autem prædicta civitas anno ab Incarnat. Domini 1099. menſe Julio, quinta decima die menſis, feria ſexta, circa horam diei nonam, anno tertio ex quo fidelis populus tantæ peregrinationis ſibi onus aſſumpſerat*; quam fauſtus is dies Chriſtianis militibus fuerit, quam largi lacrymarum fontes præ gaudio, aut etiam pro compunctione cordis

Hierosolyma a Christianis expugnatur.

Guliel. Tyr. lib. 8. cap. ult.

JESU CHR. AN. 1099. cordis, ubi pedem ibidem fixerunt, ubi veneranda ob Christi memoriam loca tuto adire potuerunt, verbis satis exprimi non potest; *Venerunt omnes gaudentes, & præ nimio gaudio plorantes ad nostri Salvatoris sepulchrum*, ait Petrus Tudebodus Presbyter Siuracensis apud Pictones his rebus præsens, qui res per quinque priores annos in ea expeditione gestas narravit; Fulcherius vero Carnotensis narrata Hierusalem expugnatione; *Tunc ad sepulchrum Domini, & templum ejus gloriosum euntes clerici, simul, & laici exultationis voce altissona . . . . lætabundi omnes visitaverunt; O tempus tam desideratum, o tempus inter cetera tempora memorandum, o factum, factis omnibus anteferendum &c.*

Duchesn. to. 4. p. p. 812.

Pag. 835.

Gothofredus Bulionis Rex Hierusalem dicitur

13. Die octava post Hierusalem captam Duces exercitus in unum convenientes, Gothofredum Bullionem Lotharingiæ Ducem, virum pietate, & militari virtute insignem, Principem, seu Regem Hierusalem elegerunt, ait Petrus Tudebodus, ut eam, & ab Paganis defenderet, christianosque in ea degentes tueretur; Patriarcham deinde in locum Simeonis, qui instante obsidione, propter Turcarum minas Cyprum aufugerat, quique ibidem paulo post obierat, virum, *sapientissimum, & honorabilem clericum, cui nomen erat Arnulphus in festivitate S. Petri ad vincula elegerunt*; ait Tuecbodus pag. 812. hujus tamen merita vix tanto culmine digna fuisse adnotat Tyrius, unde paulo post inde amotus, eidem in Hierusolyma Sede Daimbertus, seu Daibertus Pisanus successit, cui etiam Paschalis Pontifex Urbani successor, vices suas super exercitum Domini commisit, ut ex Guiberto Abbate, & Fulcherio Carnotensi coævis auctoribus adnotat Pagius not. 13. Gothofredus autem utpote vir religiosus, subdit Gulielmus Tyriensis, paucis elapsis ab electione sua in Regem diebus, ea, quæ decorem Dei spectabant, sollicite curavit; *Nam protinus in Ecclesia Dominici sepulchri, & Templi Domini canonicos instituit*, eisque privilegia, & præbendas adsignavit, ut ibidem continuo Domino deservirent, majora etiam collaturus, *nisi mors cum præveniisset &c. Promotus autem* (ad Regnum) *subdit humilitatis causa coronam auream Regum more in sancta civitate noluit insigniri, ea contentus & illi reverentiam exhibens, quam humani generis reparator in eodem loco usque ad Crucis patibulum, pro nostra salute spineam reportavit*, quod nonnullis, sed immerito displicuisse adnotat.

Apud Duches. p. 812.

Lib. 9. pag. 763.

Gothofredus coronam auream regalem recusat.

Ut

Jesu Chr. an. 1099.

14. Ut vero in Oriente fama vulgatum est Urbano Papæ Paschalem successisse; Godofredus Bulionis Dux, de Hierosolymâ capta litteras ad eum dedit, quas etiam ad omnes Occidentales, communes esse voluit, easque integras ex Gulielmo Tyrio recitat Baronius, ac quæ hactenus in ea expeditione gesta fuerant in expeditione Niceæ, Antiochiæ, & Hierusalem singulatim exponit, quæ ut in Occidente vulgata sunt, novos Occidentalibus peregrinationis susciendæ stimulos addiderunt, sicque nova expeditio statim in Italia; Gallia, aliisque locis parata est, cum præsertim ob itineris labores; ob certamina cum Turcis, & Saracenis inita, ob aeris intemperiem, aliasque toleratas calamitates, eo usque Crucesignatorum exercitus imminutus fuerat, ut tanto operi sustinendo impar omnino esset: plurimi etiam postquam votis eorum satisfactum fuisset, dum sancta Hierosolymis & Palestinæ loca viderant, in Occidentem reversi sunt, Bohamundus vero Antiochiam sibi concessam transierat, Balduinus Edessam, ita ut cum Gothofredo, socioque ejus Tancredo, *vix inveniretur equites trecenti, pedites duo millia*, ait Guliel. mus lib. 19. pag. 773.

Gothofridi Ducis litteræ ad Paschalem Papam.

Bar. an. 1100 num. 8. ad 14.

15. His autem acceptis Paschalis Papa, hoc, vel sequenti anno ad exercitum in Palestina militantem litteras dedit, quarum hæc est inscriptio. *Paschalis Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus, seu Filiis. Episcopis, Clericis, Proceribus, militibus, & omni populo militiæ Christianæ in Asia triumphantis, salutem, & Apostolicam benedictionem. Quod per Prophetam populo suo Dominus pollicetur, impletum in vobis cognoscimus; Inhabitabo*, inquit, *in eis, & inambulabo cum eis, quia per fidem in vestris pectoribus habitat, & per operationem ita inambulat, ut novavit enim Dominus antiqua miracula, ut in uno mille, & in duobus decem millia persequeretur, & his Ecclesiæ annis, sacerdotalium precum tubis inimicarum urbium mœnia aperiret. Illud vero quanti gaudii, quam potentis miraculi æstimatis, quod sacrosancti lateris sanguine cruentam lanceam, & vivificæ crucis partem vestris oculis revelavit, vestris retractandam manibus obtulit? Quantas super his redemptori nostro gratias debeamus, nec humanus animus opinatur, nec lingua prævalet enarrare. Videmus enim Christianæ Fidei hostes, Christiani populi oppressores per divinam misericordiam manu vestra partim contritos, partim e diu possessis regionibus effugatos: videmus Orientalem Ecclesiam post*

Paschalis Papæ epist. ad exercitum in Palestina. *Labb. to. 10. pag. 622.*

JESU CHR. AN. 1099.

longa captivitatis tempora. magna ex parte ad antiquam libertatis gloriam rediisse. Dicendum igitur ore, dicendum corde: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Orationi etiam, & vigiliis insistendum, ut quod cœpit, adimpleat, & manus vestras, quas hostium suorum sanguine consecravit, immaculatas usque ad finem, affluentes firma pietate, custodiat. Quapropter agite, filii in Christo desideratissimi. rememoramini, quanta pro amore Domini reliqueritis, quanta pro fratrum salute, & ereptione pericula subieritis: patriam, domus, parentes posthabuistis, vosmetipsos exilio addixistis, morti oppositis: curate nunc ad meliora semper tendere, pacem cum omnibus conservare, ut possitis ad æternam pacem Domini misericordia pervenire, ac Mauritium Portuensem Episcopum ad eos se misisse admonet, cui tamquam legato suo ut reverentiam æque ac obedientiam exhibeant præcipit, hisque adnotatis volumini huic vigesimo secundo, ac undecimi seculi historiæ finem imponimus.

FINIS.

IN-

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM,

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

Numerus primus paginam, ſecundus paragraphum indicat.

A

☞ *Adverte pag. 369. ad 377. per errorem repetitas.*

Adelaidis, ſeu Praxedis querelæ ad Synodum Conſtantien. delatæ. 329. 3.

Agnetis Auguſtæ obitus, & elogium. 109. 29.

Alexius, & Iſacius imperium occupant. 184. 24. Alexius Imp. Henricum adversus Robertum excitat. 197. 11. theſauros accipit. 198. 12., at inde reſtituit. 199. 13. opem ab latinis principibus adversus turcas poſtulat. 315. 5. legationem ad Synodum Placentinam mittit. 346. 2. Occidentalium Crucesignatorum adventum ſuſpectum habet. 370. 7.

Alphonsus Caſtellæ Rex Gregorii VII. monitis paret. 160. 20. Toletum occupat. 236. 20.

Almoravidum in Hiſpania imperium. 246. 9.

Arnulphi Svessionen. Epiſc. obitus. 257. 14.

Annæ Comnenæ ortus. 207. 12.

Anſelmi Mediolan. Epiſc. aliorumq. obitus. 319. 6.

Anſelmus Cantuarien. Archiep. eligitur. 320. 7. ejusdem patria, ſtudia, & geſta usque ad epiſcopatum. 321. 8. ordinatur epiſc. *ibid.* litteræad eum. 322. 9. Librum de Trinitate, & Incarnatione adversus Roscellinum scribit. 325. 12. cum Rege Gulielmo diſſidium habet. 339. 17. eumque admonet, 340, 18. eundi Romam licentiam petit. 249. 19. accepto pallio Primatum exercet in Anglia. 363. 25. Urbanum Papam in Apulia convenit. 378. 7. habita a Rege licentia, in Gallias tranſit. 379. a Pontifice cum honore exceptus. 379. 8. Commentarium edidit = *cur Deus homo ſit factus* = 379. 9. in Catris pro infidelium converſione laborat. 380. Epiſc. renunciare tentat. 381. 10. pro Gulielmo rege Angliæ apud Papam intercedit. 383. 13. Lugdunum pergit, ibi, cum honore exceptus. 400. 2. ejus modestia. 401. 3.

Anſelmi Lucen. Epiſc. apologia pro Gregorio Papa. 170. 6. ejus epiſt. ad Guibertum antipapam. 192. 4. sua Sede ejicitur. 193. 5. Gregorii emulator, & miraculorum ſcriptor. 231. 12. ejus obitus. 241. 5. de ejusdem ſcriptis. 243. 6.

S. Annonis Colonien. Archiep. obitus. 47. 18.

Antiochia ab Cruceſignatis capitur. 381. 17. exercitus Duces de feli.

ci hoc eventu ad Urbanum Papam scribunt. 388. 18.
Anzir Mauritianæ Rex legationem mittit Gregorio VII. 77. 35.
Arnulphus Mediolanen. Episc. ordinatur. 346. 3.
Armenorum legatio ad Gregorium Papam. 163. 20.
Attrebatensis Ecclesia Sedem Episc. recuperat. 341, 20.

B

Beatricis Comitissæ obitus. 68. 26.
Berengarius Rom. Conc. fidei professionem exhibet. 321. 11. Synodo alteræ sistitur, & hæresin damnat. 130. 4. in Galliam reversus relabitur in hæresim. 133. 10. qua mente fidei professioni subscripserit. 134. 11. suam hæresim confirmat. 135. 12. ejus obitus. 269. 10. de illius pœnitentia. 270. 11.
Bertramni Provinciæ Comitis juramentum Gregorio Papæ præstitum. 183. 23.
Bernardus Tolet. Episc. ordinatus Romam pergit. 267. 8.
Bernardus Constantien., aliiq. contra Schismaticos, scriptis, & gestis certant. 384. 4.
Bonizonis Episcop. Sutrien. martyrium. 276. 7. de ejus operibus, *ibid.* ejusdem liber ad Amicum. 278. 8. ipsius vitæ summa. 279. 9. de ejus ordinatione, in episc., & martyrio. 279. 10.
Bohemundus cum exercitu in Orientem transit. 372. 4.
Briennius a Nicephoro obcœcatur. 126. 16.
S. Bruno Asten. & Segniæ Episcop. cum Berengario disputat. 131. 7.
Bruno Carthusian. fundator. 218. 14. 219. 15. Cur in eremum transierit. 219. 16. Benedictinam regulam amplectitur. 220. 17. Romam vocatur. 290. 12. in Calabriam transit. 343. 23. Squillaci Monasterium ædificat. *ibid.* ejus epist. ad Rodulphum. 344. Rogerium de paratis insidiis admonet. 375. 3.

C

Carthusiani Ordinis ortus, vide Bruno.
Catholici Schismaticos undique exagitant. 319. 5.
Canonicorum regularium vita propagatur. 312. 2.
Cencii Rom. Patricii in Gregorium VII. insidiæ, seu injuriæ. 46. 17.
Cencii duo diverso exitu e vita abeunt. 112. 32.
Constantinus Michaelis Imp. filius Roberti Ducis filiam uxorem ducit. 81. 40.
Crebaldi Salisburgen. Episc. epist. de Guiberti ordinatione. 169. 4.
Communio sacra sub unica specie prohibetur. 354. 13. usus miscendi species apud Græcos. 354. *ibid.*
Conventus Brixien., & Papien. ubi Guibertus antipapa eligitur, & ordinatur. 166. 1. Conventus in Saxonia, & Thuringia celebrati. 223. 1.
Congregationis Antonianæ in Gallia institutio. 364. 28. Canonicorum regularium Aroasiæ. 391. 21.
Constantinopolitana Ecclesia cujusdam Itali hæresi turbatur. 208. 13.
Concilium Rom. sub Gregorio VII. primum. 11. 15. Concilii Moguntini inanis exitus. 34. 4. Concilium Londinen. a Lanfranco celebratum. 47. 20. alterum Rom. 58.

58. 14. de aliis post Henriciaexcommunicationem in eod. Conc. gestis 63. 20. excommunicantur schismatici Episcopi Galliarum, & Longobardiæ. 64. 22. Concilia celebrata in Hispania. 101. 19. Concilium Gerunden. 102. 20. Augustodunen. ab Hugone. 103. 22. Concilium. 4. Gregorius celebrat. 113. 1. de ibidem gestis. 115. 3. & 4. Quintum Rom. Conc. sub Gregorio. 120. 8. seqq. Canones. *ibid.* Concilia in Galliis celebrata. 124. 13. & Romæ ab Gregorio. 127. 1. Conciliabulum Moguntinum. 150. 7. Gregorium excommunicat, *ibid.* Concilium, & Juliæ novæ in Britannia min. 162. 25. Meldense. 163. 26. Tolosanum. 282. 1. ejus decreto romanum officium in Hispania receptum. 282. 2. Legiouen. in Hispania. 309. 19. Sveſſionen. adversus Roscellinum. 325. 11. Constantiense. 329. 2. Gallicanum, seu Augustoden. 331. 5. Placentinum, ejusque gesta. 335. 1. Claromontanum, ejusque Canones. 352. 11. & 12. & 360. 22. Angliæ in causa Urbani Papæ. 361. 23. Nemausen., ejusq. Canones. 367. 3. Romanum ab schismaticis celebratum. 397. 25. Audemoren. pro juribus Eccles. servan. 401. 4.

Conradus contra Henricum patrem suum pugnat. 317. 3. cur in patrem rebellavit. 318. 3. cum Urbano Papa colloquium habet. 330. 8. 3. Rogerii filiam uxorem ducit, *ibid.* 9.

Crucesignati, *vide* Sacræ expedit.

D

Dimbertus Archiep. Senonen. de accepta investitura excusatur 304. 22. ab Usbano Papa ordinatur. 396. 24.

Desiderius M. Cassini Abbas Pontificiæ dignitatis onus renuit. 233. 17. & 236. 1. at Roman. Pontifex eligitur, Victor tertius dicitur. 237. 2. de altero eligendo consilium ab adversariis initum. 239. 4.

Densdedit Cardinalis opus quadripartitum. 256. 13.

Dialectici in reales, & nominales divisi. 313. 3.

Durandi Abbatis Taurinensis obitus. 271. 13.

E

Elias Ursoni Baren. Episc. succedit, 306. 16.

Episcopi Lombardiæ depositioni Gregorii Papæ subscribunt. 58. 13. excommunicantur cum Episcop. Galliarum ab Synodo Rom. 64. 22. Germaniæ Episc. aliquot, & Longobardor. Gregorium excommunicant. 64. 23. Episcopi, aliique absolutionem a Gregorio Papa petunt, & obtinent. 83. 2. Episcoporum, & Principum Longobardiæ adversus Gregorium, & Henricum querelæ. 92. 10.

Eucharistiæ species miscendi usus apud Græcos. 354. 14.

Excommunicationis sententia lata cum candelis ardentibus. 226. 5.

F

Filii presbyterorum an ad Sacros ordines admittendi. 402. 6

Friderici Comitis obitus. & elogium. 308. 18.

G

Gallorum expeditio in Mauros Hispaniæ. 222. 21. altera. 247. 10. Ga-

cenerit. 84. 4. quem inde absolvit, eique communionem impertitur. 85. 5. contestatio Pontificis de sua innocentia, *ibid.* num Papa cum Henrico asperius se gesserit. 87. 7. ejus epist. ad Germanos de Henrici reconciliatione. 87. Legatos Mediolanum mittit. 90. 8. Henricum Moedetia coronari prohibet. 91. 9. Legatos in Germaniam mittit. 94. 13. nec Rodulpho regi electo, nec Henrico adhæret. 99. 17. ejus epist. de Rodulphi electione. 100. 18. altera ad Udonem Treviren. Episc. 104. 24. in Urbem redit. 105. 25. variæ ejus litteræ, *ibid.* & ad Regem Daniæ. 106. 26. Legatos in Germaniam delegat pro ineunda pace. 115. 3. Litteræ ad Archiep., & alios mittit. 117. 5. pro servanda pace anxius. 119. 6. ejus sollecitudo pro Danis, & Norvegis. 125. 14. Synodum habet. 127. 1. ejus epist. ad Germaniæ Episc. de missa legatione. 128. 2. & ad Galliæ Episc. de Berengarii retractatione. 131. 5. ab schismaticorum calumniis vindicatur. 131. 6 Massilienses Monachos consolatur. 136. 13. Raimundi Com. Barcinonen filios reconciliare studet. 136 14. queritur cum Hugone Abb. Cluniacen., quod Ducem Burgun. in monasterium receperit. 138 15. ejus epist. ad Ladislaum Hungarorum Regem. 139. 16. aliæ plurimæ ejusdem epist. 139. 17. ipsius querelæ adversus Gulielmum Angl. Regem. 140. 18. Lugdun. Archiep. 141. 21. ad suos Legatos. 142. 23. item ad Vezelinum Ducem in Dalmatia. 144. 24. ad Alphonsum Castellæ regem. 144. 25. Legatum in Brittaniam mittit. 145. 26. sententiam in Henricum tulit. 147. 3. & in alios schismaticos, & reliqua in Rom. Synodo ab eo sancita. 149. 4. de vera & falsa pœnitentia agit. 150. 5. Roberto reconciliatur. 152. 9. in Campaniam, & Apuliam proficiscitur. 153. 10., officium lingva Sclavonica recitari prohibet. 155. 13. ad Manassem Episc. Remen., & alios scribit. 156. 14. & ad Gulielmum Anglorum regem. 157. 16. item ad Regem Sveonum. 158. 17. ad Alphonsum Castellæ regem. 158. 18. ad Hugonem Abbatem Cluniac. 159. 19. conflictis criminibus notatur, & a schismaticis condemnatur. 167 2 ejus apologiæ. 170. 6. 171. 7. 172. 8. ejus epist. ad Episc. Apuliæ, & Calabriæ de conflato schismate. 174. 10 ad Desiderium Cassini Abb. de Henrici in urbem adventu. 175. 11. ab Roberto auxilium postulat. 176 12. scribit Altmanno Patavien. Episc. & Abbati Hirsaugien. 177. 13., & Encyclicam ad omnes fideles ad patientiam excitans 178. 14. pecuniam in Gallia colligit. 181. 19. Lantfrancum ad Apost. limina vocat. 182. 20. alia ejus gesta. 182. 2. apologiam pro se scribit. 193. 6. Synodum indicit. 200. 2. & celebrat, ibique gesta. 203. 5 Desiderium Abb. ad se vocat. 204. 7. qui ad eum proficiscitur. 204. 8. 205. 9. causam Rom. Eccles. coram Henrico defendit. 205. 10. indignos Eccles. ministros ab Apost. Basilica ejicit: 214. Salernum transit. 215. 7. ejus litteræ ad omnes fideles. 215 8. ejus obitus. 229. 10. Successorem sibi designat, excom-

communicatos absolvit. 230. 11. 12. Luctus de ejus obitu. 231. 13. ejus famam a nonnullis vexata. 232. 14. quænam præcipuè Gregorio objicierentur. 242. 15. de ejusdem scriptis. 233. *Dictatus Papæ* eidem minime adscribendus. 233. 16. quæ acta post illius obitum pro electione Pontificis. 233. 17.

Guitmanuus Aversanus Episc. 97. 15.

Guiberti Antipapæ ordinatio ubique exosa 168. 3. ejusdem extrema facta. 180. 16. & 220. 3. Urbe ejicitur. 272. 1. iterum in urbem redit. 298. 8.

Gulielmi Regis Angliæ ad Gregorium VII. 20.

H

Henrici Regis epist. ad Gregorium Papam. 38. 8. simulatam concordiam violat. 39. 9. Thedaldum Episc. Mediolan. elegit. 40. 11. Gregorii Papæ monita, & Legatos spernit. 52. 4. Conciliabulum Vormatiæ adversus Gregorium congregat. 53. 5. schismaticiGregorium anathemate damnant. 54. 6 ejus litteræ ad Gregorium calumniis refertæ. 56. 10. & 11. in Synodo Rom. oblatæ, & lectæ. 67. 12. plures Gregorii adversarii pereunt malo fine. 66. 24. Henricus propositis conditionibus concordiæ se subjicit. 73. 31. & in Italiam proficiscitur. 73. 32. pœnitentiam promittit, aut simulat. 75. 33. Gregorio Papæ resistit. 81. 1. absolvi postulat. 84. 3. purgationem canonicam recusat. 86. juramentum ab Henrico Papæ præstitum. 86. 6. Schismaticis iterum sociatur. 93. 11. ejus insidiæ adversus Gregorium, & Mathildem detectæ. 110. bellum instaurat, a Saxonibus fugatur. 146. 1. Gregorium sua Sede ejicere tentat. 150. 6. schisma confirmare frustra satagit. 170. 5. Romam cum Antipapa venit. 173. 9. ejus gesta, in Longobardiam redit, *ibid.* Ecclesiam persequitur. 178. 15. in Matildem fuerit. 181. 19. Romam secundo, sed in irritum aggreditur. 190. 1. tertio aggreditur, & Leoniam urbem occupat. 202. 1. Romanorum animos sollicitat. 202. 3., & 4. Urbem invadit. 209. 1. a Guiberto Antipapa coronatur. 210. 2. in Germaniam redit. 215. 9. cladem ab adversariis accipit. 245. 8. init nuptias cum Adelaide, seu Praxede. 276. 6. Thiemonem Salisburgen. persequitur. 285. 5. inde in Germaniam se recipit. 374. 1. Filium suum Henricum Regem dicit. 405. 9.

Herfenbardus a factiosis occiditur. 42. 12.

Herimannus Meten. Episc. Sede ejectus restituitur. 227. 7. ejusdem & aliorum obitus. 283. 3.

Hermannus Germaniæ Rex eligitur. 188. 30. ab Sigiberto coronatur. 189. ejus obitus. 266. 7.

Hierosolyma a Christianis expugnatur. 407. 12.

Hildeberti Cenomanen. Episc. epist. ad Anselmum. 384. 15. a Guilelmo Angliæ rege vexatur. 385. 15.

Hidulphus Colonien. Episc. ob villam S. Nicolai retentam percussus obiit. 111. 31.

Hugo Abbas Cluniac. Romam veniens a periculo mirabiliter liberatus

ratus. 25. 28. quanti a Gregorio VII. habitus. 123. 12.
Hugo Burgundiæ Dux fit Monachus 138. 15.
Hugo Dien. Episc. in Sedem Lugdun. translatus.
Hugonis Schismatici, aliorumque calumniæ in Gregorium Papam. 34. 7.
Hugo magnus a Græcis detentus paulo post dimittitur. 376. 14.
Hugonis Archiep. Lugdun. diploma pro Ordine Cistercien. 380. 20. ejus dissidium cum Daimberto Archiep. electo Senonen. 391. 22. quem ordinari vetat. 392. 23.

I

Illustrium virorum, & fœminarum obitus. 307. 17.
Imperatores duo in Oriente creati. 113. 32.
Imperium C. P. Alexius, & Isacius occupant. 184. 24.
Investituræ quid essent, quidve in iis reprehensione dignum. 49. 2. Daimbertus de accepta investitura ab Ivone excusatur. 394. 22.
Isacii Imp. gesta, & pœnitentia. 185. 26. cum Turcis pacem firmat. 186. 27.
Ivo Carnoten. Episc. ab Urbano ordinatur. 293. 3. ejus epist. ad Richerium Senonen. Archiep. 294 5. & apud ipsum causam suam tuetur. 296. 6. ad Sedem Apost. appellat. 297. 7. ejus epist. ad Anselmum Cantuarien. 322. epist. 7. adversus Roscellinum scribit. 326. 13. illicitis Regis nuptiis adesse recusat, ceteros ab iisdem revocat. 322. 7. qua de re Archiep. Remen. scribit. 333. 8. persecutionem sustinet ob negatum regis nuptiis consensum. 333. 9. Ecclesiæ bona sibi restitui postulat. 334. 10. in carcerem conjicitur. 334. 11. ad Urbanum Papam querelas defert. 335. 12. rationem reddit cur Synodo Remensi non adfuerit. 337. 14. ad Hugonem Rom. Sedis Legatum scribit *ibid.* 15. & ad Urbanum Papam ut sibi caveret. 347. 4. de indicta Trecensi Synodo eumdem admonet. 348. ad Synodum vocatus se excusat. 349. 6. illicitas Philippi regis nuptias detestatur. 349. 7. ad Urbanum Papam gratulatoriam mittit. epist. 369. 2. & alias 370. & 371. 3. ac Daimberto Archiep. Senonen. 396. 23. quem de accepta investitura excusat. 394. 22.

L

Ladislaus Geisæ in Regno Hungariæ succedit. 108. 27.
Lantfranchi litteræ ad Gregorium VII. 140. 19. ejus obitus elogium, & scripta. 180. 12.
Leo Calced. Episc. Imp. Alexio resistit, e Sede ejicitur. 198. 12.
Liemanus Archiep. Bremen. author schismatis inter Henricum Regem, & Gregorium VII. 9. 11.
Lotharius Rex conqueritur de nimia Conciliorum frequentia, cui Ivo suum aperit sensum. 361. 23.
Ludovici Comitis responsio ad Valtramum Magdeburg. 289. 11.
Ludovicus Franciæ Rex a patre dicitur. 406. 10.

M

Marcianensium Monialium mira fides, & constantia. 338. 16.
S. Margaritæ Scotorum Reginæ obitus. 323. 10.
Mathildis donatio facta Rom. Eccle-

siæ. 109. 30. præceteris Henrico reſiſtit. 180. 17. Gregorii Papæ partes tuetur. 191. 2. Eccleſiæ Canuſinæ theſaurum eidem mittit. 192. 3. Eccleſiæ & Gregorii partes tuetur. 217. 12. ſcribit ad Germanos contra Henricum. 213. 13. ejus ad Urbem adventus cum Victore III. 248. 2. init Nuptias cum Velphone Bojariæ Duce. 275. 5.
S. Matthæi corpus Salerno inventum. 157. 15.
Michael C. P. Imp. monachus obiit. 126. 14.
Michael fictus Imp. in ſcœnam prodiit. 164. 28.
Monaſterium S. Mauri Caſſinenſi Urbanus ſubjicit. 366. 2.
Morbo igneo tacti in Gallia Antonii ope liberantur. 281. 13.

N

Narbonenſis Archiep. de erepta ſibi Tarraconen. Eccleſia conqueritur. 304. 14.
Nementinenſis, ſeu Spirenſis conventus Principum Germaniæ. 253. 10.
Nicolaus Grammaticus C. P. Patriarcha ordinatur. 222. 20.
Nicephorus Botoniates CPolitanus Imperator in Conc. Rom. excommunicatur. 121. 10. Imper. coronatur. 126. 15. deponitur, & in monaſterium detruditur. 184. 24.
S. Nicolai corpus Barium tsansfertur. 254. 12.
Normanniæ Principes inter ſe diſſident. 263. 5.

O

Officium Dei genitricis ad Clericos, & Laicos propagatur. 360. 20.
Orientale imperium ab Turcis arctatum, & imminutum. 356. 17.
Ordo Carthuſian. *vid.* lit. C.
Ordinis Ciſterciensis origo. 389. 19. Hugonis diploma pro illius fundatione. 390. 20.
Otto Comes eccleſiaſtica ſepultura privatur. 286. 7.

P

Patriarchæ Aquilejen. juramentum Rom. Pont. 132. 9.
Patavien. Epiſc. ſchismatici infelix exitus. 254. 11.
Paſchalis II. Pontifex eligitur. 404. 7. initia vitæ ejus, & geſta, *ibid.* ejusdem ordinatio. 403. 8. ad Comitiſſam Mathildem ſcribit, *ibid.*
Petri Ignei presbyteri Card. obitus. 280. 12.
Petrus Caven. Abbas mitræ usum obtinet. 292. 2.
Petrus Eremita ſacram expeditionem urget. 356. 16. cum exercitu Conſtantinopolim proficiſcitur, geſta ibidem, & ſtrages. 374. 11.
Philippus Rex Franciæ Berta uxore dimiſſa, Bertradam ducit. 331. 6. Concilium Remis congregat. 336. 13. ab Urbano reconciliatur. 365. 1.
Piſani, & Januenses in africana expeditione ſociantur. 253. 8. Piſanorum victoriæ. 253. 9.
Poloniæ Dux Regem ſe dicit. 108. 28.

R

Rainerius pro Anſelmo Archiep. in Synodo perorat. 399. 1. *in med.*
Reliquiarum S. Sabini Epiſc. inventio. 305. 15.

Ritus

Ritus Romanus in Hispaniæ Eccle-receptus. 160. 20.
Rogerius Siciliæ Comes absolutionem poſtulat. 79. 36. Tauromenium capit. 127. 17. Syracusam, totamque Siciliam obtinet. 264. 6. Epiſcopos ibi ordinari curat. 265. ejus milites Cruce se signant 376. 15.
Rodulohus ex vulnere in acie accepto obiit. 151. 8.
Roberti juramentum fidelitatis Gregorio Papæ exhibitum. 154. 2. inveſtituræ formula Roberto col. latæ. 154. 22. ejus epiſt. ad Gregorium. 176. 12. ejus expeditio in Dalmatiam. 186. 28. Dyrracium obtinet. 196. 9. in Italiam redit. 197. 10. ejus geſta in Illirico cum Imp. & victoriæ. 206. 11. Romæ veniens Gregorium ab obſidione liberat. 212. 5. bellum in Illirico perſequitur. 221. 18. ejus obitus. 234. 18. oblationes plurimæ ab Roberto ejusque uxore monaſt. Caſſinen. aliisque factæ. 233. 19.
Romæ civile bellum. 211. 4. ſtrages & incendia. 212. 6.
Romani Pontificis privilegia, & Primatus defenditur. 225. 3.
Roſſelinus nominalis Sectæ auctor, vel propagator. 313. 4.

S

Sacræ expeditionis causæ. 455. 15. ab Vrbano Papa expoſitæ. 339. 19. alacriter ſuscipitur. 369. 6. quo fine ſuscepta. 371. 8. quo jure, quave juſtitia, 372. 9. tribus exercitibus compoſita in Orientem proficiſcitur. 373. 10. cum Alexio pacem init. 372. Antiochiam obtinet. 373. 5. Cruciſignatorum geſta ante expugnationem Hieroſolymæ. 406. 11.
Sancius Ramirus Oſcam obſidet, ibique obiit. 342. 22.
Sanctii Gargiæ Navarræ regis obitus, cujus regnum Aragonenſi conjungitur. 81. 39.
Saxonum querelæ adverſus Gregorium Papam. 129. 3. & expoſitæ in Rom. Synodo. 146. 2.
Schisma exortum inter Sacerdotium, & Imperium. 48. 1.
Schismatici Gregorium Papam anathemate damnant. 54. 6. Pontificatu abdicant. 55. 9. quinam factionis schismaticæ præcipue fuerint. 63. 21. Schismatici Epiſc. in Synodo Rom. anathematis ſententia feriuntur. 114. 2. Schismatici plurimi in Italia, & Germania. 216. 10. Catholicos graviter affligunt. 217. 11. Schismaticorum Epiſcopor. & Principum obitus . . . . de concordia fruſtra agitur. 272. 2. de geſtis anno 1097. 2. inter Catholicos, & Schismaticos. 311. 1.
Simoniaca labes, & schisma in Placentina Synodo damnantur. 346. 3
S. Stanislai Cracovien. Epiſc. martyrium. 145. 27.
Svenonis Regis Daniæ pœnitentia, & obitus, cui Geraldus ſuccedit. 106. 26.
Synodus Beneventana. 47. 19. Xantonenſis in Gallia. 102. 21. Burgenſis. ritum Mozarabum abrogat. 160. 22. Synodi in Galliis celebratæ. 161. 23. Avenionen. ab Ugone celebratur. 162. 24. C. P. de Imaginum cultu adverſus Leonem Chalcedon. Epiſcop. 222. 19. Quidlinburgenſis Catholicorum. 224. 2. ejus Canones. 225. 4. Moguntina ſchismaticorum. 226. 6. Romana a Guiberto celebrata. 228. 8. Moguntina Boemiæ Ducem Regem dicit. 244. 7. Melphitana ab Urbano

Papa celebrata. 273. 3. gesta in Baren. Synodo. 382. 12. damnantur Ecclesiarum investituræ. 384. 14. Romana ab Urbano Papa celebrata. 399. 1.

T

TArvanen. Ecclesia per vim invasa, ædes ibidem patratæ. 194. 7.
Tarracon. & Narbon. Archiep. Tolet. Ecclesiæ se subjicere tenuunt. 269.
Tarraconensis Civitas S. Petro, & Rom. Eccles. donatur. 300. 10.
Tarraconen. Archiepiscopatus ab Urbano restitutus. 302. 12.
Terraciræ Conventus pro electione Pontificis celebratur. 260. 1.
Thiemo Salisburgen. ab Henrico persecutionem patitur. 285. 5.

V

VAltrami Episc. schismatici epist. ad Ludovicum Comitem. 289. 10.
Velpho a Mathildis uxoris consortio se separat. 351. 10.
Viberti ordinatio ubique exosa. 168. 2.
Villelmus Trajectен. Episc. contemptæ excommunicationis dat pœnas. 65. post med.
Villelmi Anglorum regis obitus. 257 15. Villelmus II. patri succedit. 259. 16.
Visigotorum conversio ad fidem Christi. 183. 22.
Victor III. Rom. Pontifex ordinatur. 247. 1. Synodum Beneventi celebrat. 250. 4. ejus ultima gesta. 251. 5. ejus obitus. 252. 6. de exercitu ab ipso contra Saracenos in Africam misso. 252. 7.
Vita communis inter laicos utriusque sexus instituta. 298. 9.
Volphemus Abbas Berengarium confutat. 182. 8.
Urbanus II. Pontifex ordinatur. 260. 2. fere ab omnibus Pontifex agnoscitur. 261. 3. Cassinum transit, ibidem gesta 262. 3. ejus epist. ad Hugonem Cluniac. 262. 4. & ad Episc. Germaniæ. 263. item ad Bernardum Toletan. Episc. de Primatu illius Ecclesiæ. 268. 9. altera ad Idelphonsum Regem, *ibid.* Concilium in Urbe celebrat. 272. 1. Barim transit. S. Nicolai reliquias veneratur, Eliam Episcopum ordinat. 275. 4. Legationem Sedis Apost. Gebehardo Constantien. delegat. 285. 6. ad Rogerium, & Bohamundum scribit pro Monasterio Bantin. 286. 8. concilium Beneven. celebrat. 292. 1. ejus epist. ad Clerum, & Populum Carnoten. 293. 3. & ad Richerium Archiepisc. Senonen. 294. 4. diploma edit. pro Eccles. Tarraconen. 301. 11. ejus epist. ad Comites Barcinonen. 303. 13. Corsicam Pisano Episcopo sub annuo tributo concedit. 310. 20. concilium Trojæ celebrat. 316. 1. Joannem Cajetanum Card. Diaconum ordinat. 317. 2. palatio Lateranensi potitur. 327. 1. in Thusciam, & Longobardiam transit. 330. 4. ejus epist. de illicitis Philippi Regis nuptiis. 331. 6. Bisantio Episcopo Tranen. Canonizationem Nicolai Peregrini committit. 344. 24. Episcop. Galliæ admonet. 348. 5. Claromontanum Conc. habet. 352. 11. Orationem in Concilio recitat. 357. 17. commoti adstantes ad expeditionem sacram se parant. 359. 19. gesta in Gallia. 365. 1. expeditionem in Orientem urget.

get. 368. 4. rosam auream Fulconi donat. *ibidem* Urbem redit. 369. 5. ad Alexium Imper. scribit. 376. 16. Schismaticos ab urbe ejecit. 369. 1. pacis conciliator. 375. 2. Rogerium Romanæ Sedis Legatum in Sicilia constituit. 376. 4. sequitur illius Diploma. 377. 5. de ejusdem diplomatis sinceritate, & interpretatione. 377. 6. Synodum Bari celebrat. 382. 11. Anselmi causam apud Regem tuetur. 386. 16. ejus obitus, & elogium. 402. 5. ejus decreta collectionibus Canonum inserta. 403. 6.

Vulstini Virgonien. Episcop. obitus. 393. 26.

X

Xphilini Patriarchæ obitus, cui Cosmas succedit. 48. 21.

ERRATA	CORRIGE
Pag. 15. circ. fin. excredere	ascendere
22. 25. censum	censura
52. 3. cleri	celeri
70. 28. cum	eum
143. 23. obtinerent	abstinerent
253. lin. 2. Crucesnatorum	Crucesignatorum

BAV 205139